

PETRI LOTICHII SECUNDI

CARMINUM

LIBRI TRES.



PETRVS LOTICHIVS SECVNDVS
POETA CELEBERRIMVS ET MEDICVS.
natus Solitariae A°. CIↃ IↃ XXVIII. d. 2. Novembr.
defunctus Heidelbergae A°. CIↃ IↃ LX. d. 7. Novembr. aetat. 32.

Talis adhuc juvenis LOTICHIVS, adderet annis
Bis duo cum natus lustra duobus, erat.
Ira brevis, moderatus amor, patientia victrix,
Invidia pectus, carmina felle carent.

PETRVS LOTICHIVS SECVNDVS.
an. [illegible]

Qui cithara primus, qui primus carminis arte
Inter erat vates, Teutonis ora, tuos:
Quatuor ut lustris geminos superadderet annos,
Hac tibi LOTICHIVS fronte SECVNDVS erat.
Adjice lustra duo: sic omnis transiit aetas.
O sic eximium nil solet esse diu.

JOH. PETR. LOTICHIVS. an. [illegible]

J. Houbraken sculpsit.

PETRI LOTICHII SECUNDI
SOLITARIENSIS
POËMATA OMNIA,
QUOTQUOT REPERIRI POTUERUNT, EDITIS AUCTIORA
ET LONGE EMENDATIORA.

Accedunt

EJUSDEM P. LOTICHII SECUNDI

Narratio Historica de Caede MELCHIORIS ZOBELLI, Episcopi Herbipolensis.

Epistolarum Libri Duo: Vita P. LOTICHII a diversis Auctoribus descripta.

Adoptivorum Libri tres, & Virorum Doctorum Elogia ac Testimonia de LOTICHIO.

Omnia ex codice MS. a JOH. PETRO LOTICHIO *ad novam editionem adornato,*
& collata prima editione Parisina ac Voegeliana,

recensuit, Notis & Praefatione instruxit

PETRUS BURMANNUS SECUNDUS.

TOM. I.



AMSTELAEDAMI

Ex OFFICINA SCHOUTENIANA. A°. CIƆ IƆ CC LIV.

INCLYTIS ET NOBILIBUS

ILLUSTRIS ATHENAEI

AMSTELAEDAMENSIS

CURATORIBUS,

VIRIS HONORATISSIMIS,

FERDINANDO VAN COLLEN,

J. V. D. TOPARCHAE IN GUNTERSTEIN, TIENHOVEN ETC. ETC.
CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS CONSULARI ETC. ETC. ETC.

GERARDO ARNOLDO HASSELAER,

J. V. D. CIVITATIS EJUSDEM CONSULARI ET SENATORI,
SOCIETATIS INDICAE ORIENTALIS MODERATORI ETC. ETC. ETC.

PETRO RENDORP,

J. V. D. TOPARCHAE IN MARQUETTE, EJUSDEM URBIS
SENATORI ET CUM MAXIME CONSULI, ETC. ETC. ETC.

NOVAM HANC PETRI LOTICHII SECUNDI,
POETARUM GERMANORUM PRINCIPIS,
EDITIONEM

HONORIS ET OBSEQUII ERGO
CONSECRAT

PETRUS BURMANNUS
SECUNDUS.

AD MANES
PETRI LOTICHII
SECUNDI.

LOTICHII *Manes, Phoebei candida cycni*
Umbra, per Elysium ludere sueta nemus;
Hic ubi te sacro Peneïa tegmine obumbrat
Laurus, & Idaliae myrtus amica Deae;
Qua tua te pascit succis dulcissima lotos,
Ruta vel intonsas cingit odora comas;
Qua violis tellus passim vestita rosisque
Florida perpetüi gaudia veris habet;

* *Qua*

Qua Pandionia resonant ab aëdone silvae,
Et Zephyrus vento temperat arva levi;
Qua citharae vocesque canunt, manesque piorum
Aonios celebrant ad tua plectra choros.
Si nemus aeternum fortunatosque recessus
Linquere, & humano sistere calle pedem;
Mortalesque licet post fata revisere coetus,
Huc ades, & gressus ad tua sacra refer.
Fas mihi sit castae celebrata volumina Musae,
Ditiaque ingenii tot monumenta tui;
Carminaque antiqui genium referentia secli,
Qua datur, ante tuos ponere, PETRE, *pedes.*
Cernis, ut ornatu jam splendidiore nitescant,
Si modo quis nostra splendor ab arte venit:
Nec vaga, vel lacero divulsa a corpore oberrent
Membra, sed in partes sint revocata suas.
Non tua Calliope foedata squallida veste,
Sorde nec ad dominum dedecorata redit;

Sed

Sed nitida, & naevos maculasque exſuta priores,
Utque decet, pura conſpicienda ſtola.
Jamque mea ſic comta manu, ſic arte polita,
Tendit in amplexus, en, recidiva tuos.
Seque videns hac dote nova formaque probari,
Me ſimul agnoſcit non meruisſe nihil.
Et tibi creſcentem commendat amica poëtam,
Dum partes pro me conciliantis agit.
Quodque ſuum ſit nacta decus, ſe ſponte fatetur
Acceptum curae, PETRE, *referre meae.*
Pro quibus officiis, ſi fas, mea Muſa precatur,
Ut tuus incendat pectora noſtra calor.
Utque meae famam detur ſperare Camenae,
A Genio *cantet rite animata tuo.*
Dic age, quo licuit carmen tenuare ſub antro,
Quo pede Phocaici culmen adire jugi?
Quae Dea Caſtalii ſacras tibi fluminis undas
Tradidit, & puris ora rigavit aquis?

Si bene quid de te merui, cultissima si quid
Debeat officiis forte Thalia meis;
Tu mihi Pimplaeo latices de fonte perennes
Suffice, ne vena paupere Musa fluat.
Et quoties citharam libeat tractare sonoram,
Tacta tuo toties pectine dulce canat!
Sic tua te luco teneat formosa beato
Claudia, nec sensus ludat imago tuos!
Sic tua Callirhoë niveas tibi porrigat ulnas,
Dum choreis junctum fert tunicata pedem!
Mutua sic Panaris semper tibi gaudia praestet,
Osculaque ambrosio Phyllis ab ore ferat.
Felices! quibus Elysias tecum ire per oras,
Et licet aeternum sic habitare nemus.
Felices! quarum lateri modo proxima adhaeret
Nunc quoque Nasoni juncta Corinna suo.
Blanda quibus Nemesis, culto comitata Tibullo,
Adsidet, & docti Lesbia vatis amor.

Cyn-

Cynthia quîs teneris paſſim ſubridet ocellis,
Dum ſtupet ad numeros, terſe SECUNDE, *tuos.*
Nempe apud has docti veteres Heroïdas aevi
Tu quoque jam nitido carmine notus eris.
Teque tuosque canunt inter ſua gaudia verſus,
Adtonitae citharam depereuntque tuam.
Fallor, an ad purae conſpecta volumina Muſae,
Certatim ut manibus ſurripuere tuis;
Quaeque ſui cenſent ſe carmina nota Poëtae,
Et tereti ſolitos conbibere aure modos.
His etenim aequalis crevit tibi gloria, & omnis
Aonius ſimilem te probat arte chorus.
Nec negat hoc Naſo, blandique Propertius oris,
Teque parem cultu, PETRE, *Tibullus amat.*
Ipſe quoque Andinus formoſam Amaryllida paſtor
Hic calamis cantat laeta per arva tuis.
Nec pudet hos citharae Germana ad plectra canorae,
Te duce, Romanam ſollicitare chelyn.

Et tua conjungunt Latiis modulamina chordis,
Quîs fortunati perſonat ora ſoli.
Nec tantum antiquis comitem te Vatibus addis,
Plurima & hic ſecli te colit umbra tui.
Hic tibi ſunt ſocii, qui Martia ſigna ſecuti
De gemina tecum Pallade ſerta gerunt.
Pannonius, patrium Muſas qui duxit ad Iſtrum,
Et Latia incultos meſſe beavit agros.
Cui par Hungaricum Sommeria ſuada rigorem
Dulciſonae mollit laude probata lyrae.
Temperat emeritum blanda teſtudine Martem
Huttenus, celebri ſtemmate notus Eques.
Diſcipulo plaudit divina Melanchthonis umbra,
Aoniique faves dux, Joachime, chori.
Et tibi laurigeri qui primus ad ardua Pindi
Culmina monſtravit, PETRE, *Micyllus iter.*
Adderis hic citharae felix Eobane Sabino,
Et Latiae fidicen culte, Meliſſe, lyrae.

Hic

Hic agit Ausonias Pontano juncta choreas
Gloria Parthenopes Actia Musa suae.
Hippolyten celebrat hic Castilionus, & infert
Dorica Romanis sacra Marullus agris.
Hic latus Etruscae claudunt tibi cetera gentis
Lumina, olivifero germine cincta caput.
Militiae comites adsunt Zobellus, & Altus,
Hagius & vitae conputat acta tuae.
Quos juvat exhaustos Martis meminisse labores,
Castraque Pieriis non inhonora viris.
Hos tua, dum niveo percurrit pollice chordas,
Calliope adtonitos ad nova plectra tenet.
Jamque inmortales tecum modulantur olores
Carmina, at humano non imitanda sono.
Felicesque animas inter jam laetior errans
Ostendis sociis haec monumenta tuis.
Forsitan adsurgens vatum tibi turba piorum
Laudat in Elysiis & mea dona choris.

Tu-

Tuque meae ſpondens non omina laeva Camenae,
Neſcio quid grato murmure dulce ſonas.
Quae rata ſint; & quae tibi numina dextra fuerunt,
Fac veniant votis ſaepe benigna meis.
Sic tibi nectareos latices, epulasque Deorum
Tradat inexhauſta pulchra Juventa manu!
Sic ver perpetuum tibi ſacra vireta perennent,
Mulcet ubi Idalias mitior aura roſas.
Utque novo aeternis exſultas munere in hortis,
Excipis & plauſus aure probante meos;
Sic mihi, Caſtalii nemoris ſecreta petenti,
Laetus ab Elyſia valle, SECUNDE, *fave.*

PETRUS BURMANNUS
SECUNDUS.

LECTORI BENEVOLO
ET
MUSARUM STUDIOSO
S. P. D.
PETRUS BURMANNUS
SECUNDUS.

Quamquam ex perenni & inexhausto veterum poëtarum fonte, & praesertim ex uberrima illorum, quos Augusteum protulit aevum, scaturigine derivandos esse limpidissimos rivos, quibus inundata Musarum vireta rite foecundari debeant, neminem negaturum esse arbitror, cui rectae rationis usu certissimum iter ad verae eruditionis adyta Mens bona umquam monstravit, tamen & antiquis illis magistris, & praestantissimis aureae aetatis ingeniis adsociari ac conjungi posse optimos e recentioribus, qui vestigia horum ducum feliciter prementes, unice se ad doctae vetustatis exemplum conformare adnisi sunt, immo & saepissime jure ac merito suo conferri & conparari debere, non raro professi sunt & rebus ipsis demonstrarunt periti & exercitati in hac arte judices, non sine ingenti elegantiorum literarum fructu, & felicissimo Poëtices successu, quam coeleste donum, & non nisi paucissimis mortalibus Superum munere commodatum omnia agnoverunt secula. Errare igitur illos censendum est, qui solis antiquis contenti, nihil in recentioribus admirantur aut laudant, sed eos vel penitus negligentes, aut levius curantes, unice veteres ve-

venerantur ac ſuſpiciunt, in ſui autem vel paullo remotioris aevi poetis faſtidioſe rejectis & poſthabitis hoſpites ſint ac peregrini. Non ea mens fuit Horatii, optimi certe rei poëticae arbitri, Lib. II. Epiſt. I. vs. 63.

Interdum vulgus rectum videt, eſt ubi peccat,
Si veteres ita miratur, laudatque poëtas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet; errat.

nec minus verum eſt illud Julii Caeſaris Scaligeri, licet ſeveri nimis antiquorum cenſoris, Lib. VI. Poëtices pag. 802. ubi inter Horatium & Hieronymum Vidam comparationem inſtituit: *Latini veteres*, inquit, *quum Graecos poëtas ſuorum ingeniorum haberent auctores, non tamen commiſere, quin, quae melius dicturos ſeſe ſperarent, incaſtigata relinquerent. Ad hunc enim modum ita creſcunt artes, ut ex poſteriorum judicio prioribus fiat acceſſio commendationis.* Non tamen cum Peralto, aut Bohurſio, & ſimilibus proxime elapſi ſeculi Thraſonibus Gallis ita efferre nos decet recentiorum ingenia, ut eos longo poſt ſe intervallo reliquiſſe veterum dotes, & praecipue in arte poëtica Homerum, Virgilium, Pindarum, ſimileſque, novi ſeculi vates adeo ſuperaſſe ſtatuamus, ut quo ſe jactet in poſterum antiquitas, nihil amplius ſuperſit, ſoliſque recentioribus poëtis ad ſummum gloriae culmen conſcendiſſe datum fuerit. Nimirum dum vitia vitant inepti, in contraria plerumque currunt, & inſanam ac ſtolidam hanc jactantiam, ingeniique fatuitatem cum dudum refutaverint atque exploſerint elegantioris & rectioris judicii viri docti, mediam hic viam inſiſtere tutius eſt, ut primam antiquitati palmam tribuamus, ſed nec ſuccedaneam laudem, & ſuo tempore ubique regerminantis laureae adoream novis ingeniis quoque maligne denegemus, ne Naturam ſterilem & effoetam injuſte incuſemus, quaſi nihil laudabili poſteriorum induſtriae atque inventioni, aut honeſtae recentiorum aemulationi reſiduum reliquerit. Neque etiam aut nimio patriae amore, aut caeco & perverſo nationis alicujus favore, dum huic ſtudemus genti, alteri nos injurios eſſe oportet, ſi poſt meritam veterum in poëtica arte gloriam ſolis Italis hanc benignae ſortis felicitatem largiamur, quaſi praerogativa quadam terrae, cui innutriti fuerunt, veluti haereditariam veteris Latii laudem unice ſibi vindicaverint; ceteri vero ſub alio coeli cardine editi tamquam in craſſo Boeotorum aëre aut vervecum patria nati eſſent. Licet enim poſt renatas literas & reſuſcitatas e tumulis Gothicis veterum elegantias ſoli apud Italos Franciſco Petrarchae poëſeos renatae inſtaurationem, ejuſdemque vigorem & florem Sannazario, Bembo, Joviano Pontano, Vidae, Caſtilioneo, Molſae, Fracaſtorio, Naugerio, ac Flaminio adſcribere par ſit, quorum car-

carmina ſolo tantum tempore veteribus minora ſunt, non uni tamen Italiae tam faciles & benignae adriſerunt Muſae, ut non & alios in remotioribus terris naſcentes placido lumine viderint. Ne ex Gallis Sanmarthanos, Hoſpitalios, Thuanos, Auratos, Balſacios, Huetios, Commirios, aut Menagios; ſimileſque melioris notae poëtas recenſeam, aut illuſtria Belgici Pindi ſidera, Janum Secundum, Douzam, Grotium, Baudium, Heinſium utrumque, & Broukhuſium invidioſis ex patriae amore efferamus laudibus, ſola certe Germania, quod propius hujus inſtituti eſt, in hoc uno, quem publicae nunc exponimus luci, poëta habuit, quo caput hac in parte merito efferat, quemque ceteris aliarum gentium principibus poëtis aut conferat aut anteponat. Erat ea tunc ſeculi felicitas, ut gloriari poſſet duobus maximis, & non niſi cum doctrina ipſa morituris viris, Philippo Melanchthone, & Joachimo Camerario, quos unicos omnis eruditionis magiſtros, & communis patriae praeceptores tota venerabatur Germania, & ex quorum inſtitutione ac diſciplina non niſi meri heroes, uberrimo iſtius aevi proventu, prodierunt; ita ut quiſque in hanc vel illam doctrinae partem inclinante naturae genio ferebatur. Inter eorum diſcipulos vel aetatis conſortes, qui ex poëtici ſtudii cultura famam inmortalem conſecuti ſunt, eminuerunt praeſertim Eobanus Heſſus, Georgius Sabinus, Johannes Bocerus, Georgius Fabricius, Jacobus Micyllus, Johannes Stigelius, Johannes Fabricius Montanus, & his omnibus major PETRUS LOTICHIUS SECUNDUS, qui a natura ad poëſin factus, ſuavitate & elegantia carminum, numerorum dulcedine ac concinnitate, admirabili & fere invidendo nativae ſimplicitatis cultu, ſermonis puritate, venae ubertate ac copia, conpoſitionis dexteritate, & praeſertim artificioſiſſima veterum poëtarum imitatione, ſive in Elegiis ad inexhauſtam Ovidiani ingenii fertilitatem ſe conponat, vel candidum Tibulli nitorem effingat, ſive ad Propertianam eruditionem ſe exſerat, vel Catulli veneres in hendecaſyllabis exprimat, aut denique Virgilianam in Eclogis ſimplicitatem gravitate mixtam aemuletur, communi omnium conſenſu Poëtarum Germanorum, & aliarum forte nationum poëta primus & princeps adpellari meruit. Hanc enim laudem prae ceteris conſecutus eſt Lotichius maxime per feliciſſimam & paucis conceſſam optimorum e veteribus imitationem, quorum diverſas dotes ac virtutes, dexterrima artificii variatione, ita ſemper miſcuit ac temperavit, ut difficile dictu ſit, quemnam ex poëtis, qui ſuperſunt, Elegiacis antiquis ſibi praecipue exprimendum propoſuerit. Licet enim paſſim & ubique Ovidii veſtigiis inſiſtat proxime, ad Tibullianum tamen genium, ut inter Italos Strozza, Bembus, Molſa, & Baſilius Zanchius, maxime ſe conpoſuit, & poëtam hunc feliciter ubique aemulatur, quem reliquis omnibus Elegiacis, & ipſi quoque Naſoni

 prae-

praetulisse patet ex Lib. III. Carm. XXXVI. ubi versibus elegantissimis ita de utroque judicat:

At myrthi vacua solus gemit unus in umbra,
Quem circum lacrimis omnia plena madent.
Hunc quondam facilem pharetrato semper Amori
Ipsa Venus campos duxit in Elysios.
Hoc duce carpe viam. Sed enim tu mente pudica
Caste puer, castis carmina finge modis.
Ipse quidem, nec vera nego, Sulmonis aquosi
Ad Musas propius monstrat alumnus iter.
Sed tantum superat facundi Musa Tibulli,
Quantum voce alias Daulias ales aves.

Secutus enim hic fuit Lotichius vel naturae ductum, sive ipsius antiquitatis judicium, & praesertim Quintiliani Lib. x. cap. 1. *Elegia Graecos quoque provocamus, cujus mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. Sunt qui Propertium malint. Ovidius utroque lascivior, sicut durior Gallus.* & hanc Quintiliani sententiam probasse etiam videtur Auctor vitae Tibulli, a Scaligero ac Broukhusio in codicibus antiquis repertus, & in MSS. Bodlejanis a Nicolao Heinsio: *Hic multorum judicio, & maxime Quintiliani, viri in studio literarum acerrimae licentiae* (forte *diligentiae*) *inter Elegiographos principem obtinet locum.* Ex isto autem Quintiliani loco adparet, diversa jam apud veteres fuisse sententiarum suffragia, ut nec minus hic dissentiunt recentiores, quorum unus Ovidio, alter Tibullo, alius denique Propertio palmam carminis Elegiaci defert. Sic Ovidio & Propertio Tibullum quoque praefert Luceus Ripa apud Gyraldum Dialog. IV. de Poëtar. Hist. pag. 225. & 226. ubi singulos inter se conparat. & prolixe Bartholomaeus Riccius docto & elaborato de Imitatione opusculo Lib. I. pag. 35. ubi dum Tibullum ex merito effert, in quo omnia lectissima & facillima laudat, maxime propter scribendi suavitatem, numerorum lenitatem filumque concinniter connexum, injurius tamen est Ovidio ac Propertio, dum unum sine ullo delectu versus conflasse, & quidquid in buccam venerat, in carmen conjecisse, alterum difficilem nimis, & numero asperiore horridum sugillat. Alii vero, & quidem plures, uni Propertio adsurgunt, eique primas concedunt, qua de re nota sunt Francisci Floridi Sabini in Apologia adversus L. Lat. Calumniat. & Gulielmi Canteri in praefatione ante Propertium judicia, quorum verba inter eruditorum hominum de Propertio Testimonia editioni Broukhusianae praefixa legi possunt, quemadmodum elegantissimi ingenii vir Rolandus Maresius Tibullo Propertium praefert Lib. II. Epist. 6. pag. 266. & 267. ubi utrumque inter se conparat. Sed om-

omnium optime hic judicasse mihi videtur venerum ac deliciarum Romanarum peritissimus exactor M. Ant. Muretus initio Dedicationis Scholiorum ad Propertium, Francisco Gonzagae inscriptae; ex qua nonnulla hic delibabimus bona cum Lectoris venia, quia nemo aequiorem & magis sinceram inter duos hos poëtas, certe egregios, instituit conparationem, variasque genii utriusque dotes vividioribus depinxit coloribus. Sic igitur elegantissima Mureti suada: *Summa in Tibullo elocutionis elegantia & proprietas: summa in Propertio eruditionis poëticae copia & varietas: in illo Romana prope omnia; in hoc pleraque transmarina. Illum nativa quaedam & incorrupta Romani sermonis integritas, in media urbe natum & altum esse, perspicue ostendit: hunc praeter cetera forma & character ipse dicendi in Graecorum poëtarum scriptis assiduissime versatum esse demonstrat.* &c. *Mollior ille, & delicatior: nervosior hic & acutior. Illo magis oblectere; hunc magis, ut opinor, admirere: illum judices simplicius scripsisse, quae cogitaret; hunc diligentius cogitasse, quid scriberet: in illo plus naturae, in hoc plus curae atque industriae fuisse perspicias.* Quo loco pulcherrimo Muretus, dum neutrum ab altero superatum, sed suis quemque meritis, licet diversis, primum esse docet, se ipsum elegantia scribendi superasse videtur. Eo autem, verissimo sane, judicio diligenter pensitato facile conponi ac sedari posse varios pro partium studio animorum motus, & diversa haec sententiarum divortia optime conciliari posse quisque fatebitur, si nec inique huic palmam auferamus, nec temere nimis alteri soli adjudicemus, sed quod in alia re dixit Ovidius,

Spectetur meritis quaeque puella suis.

ita hic certe locum habebit:

Laudetur meritis quisque poëta suis.

Vere igitur Georgius Fabricius in Epigrammate de Poëtis antiquis Elegiacis.

Est gravis & cultus, puroque simillimus amni,
Dulciaque eloquio verba Tibullus habet.
Mollis & abstrusus, tenerique Propertius oris,
Interdum Baccho sed trahit ille pedem.
At facilis Naso, sulcans pleno aequora velo
Pectore Castalias divite fundit opes.
Hos celebrat blandos Elegeïa docta poëtas:
Diversi quamvis, laus sua quemque manet.

ubi tamen Tibullo & Propertio praetulisse videtur Ovidium, cujus foecundissimi ingenii ubertatem & incomparabilem venae de perenni fonte fluentis ferti-

litatem, omnes admirantur, ſed pauci adſequuntur, licet luxuriem nimiam in eo reprehenderint plurimi, tam veteres quam novi Ariſtarchi: Sed meliorem fuiſſe poëtam Ovidium quam ipſos illos poëtarum cenſores, recte dicit Dan. Heinſius in Confut. Fab. Burdon. pag. 219. ubi poëtam hunc adverſus Lambini ac Victorii cenſuras vindicavit. Certe *ſatius fuerit*, ut ſubjungit ibidem Muretus, *ſingulos ſtudioſe ac diligenter evolvere, ſingulorum virtutes accurate perpendere, ſingulos ſibi ad imitandum proponere, ſi quando nos ad tentandum idem poëmatis genus aut voluntas adducet, aut naturae impetus feret.* Quam quidem imitationis varietatem, &, ut ita dicam, artificii mixturam paucos Lotichio felicius alternaſſe, ex ſingulis ejus carminibus manifeſtum ſit

Haec cum ita ſint, non facile accedendum arbitror ingenioſo quidem, ſed cui ſi maturior contigiſſet aetas, moderatiori forſan futuro Critico, Valenti Acidalio, cujus exſtat Diſſertatio docta & prolixa, titulo Orationis ſcripta, & poſt ejus Epiſtolas Criticas edita, de vera carminis Elegiaci natura & conſtitutione, in qua id praecipue agit, ut Ovidium ex principe Elegiacorum poëtarum loco deturbet, ideoque Tibullum prae ceteris quidem commendat, ſed tamen Propertium ante alios omnes admiratur, ſolum Propertium imitandum proponit, unius Propertii genium & ſcribendi characterem Ovidiano longe praeferendum contendit, vel eo potiſſimum argumento, quia in illo frequentiores ubique occurrunt pentametri in polyſyllaba deſinentes. Qua tamen ſola vel praecipua ratione ſi Propertium reliquis anteferendum judicaremus, non valido admodum patrocinio ejus cauſſam tuebimur. Quamquam enim neminem tam perverſum numerorum poëticorum arbitrum fore confidamus, qui non, potiori ſaltem ex parte, probaturus ſit ea, quae contra viros doctos, qui pentametros in polyſyllaba exeuntes penitus culpant, operoſa digreſſione ſcripſit Janus Douza in Praecidaneis ad Tibullum cap. IX. & noviſſime Joh. Anton. Vulpius, ſed breviore gyro decurrens, in praefat. ante Fracaſtorii Poëmata pag. 4. tamen polyſyllaba haec non paſſim & ubique ſine ullo diſcrimine adhibenda, neque unicam carminis Elegiaci artem aut numerorum ſuavitatem in iis conſiſtere, ſed certo quodam judicio vel pro Elegiae argumento, vel pro ratione numerorum, quibus totum carmen includendum ſumſimus, perite & tempeſtive inſerendos eſſe, non inficiabuntur gnari rerum judices. Optandum certe fuiſſet, ut poëta ipſe perfectiſſimus & poëticae artis conſummatiſſimus cenſor Janus Broukhuſius, ea, quae de vario artificio pentametri in vocem polyſyllabam deſinentis adcuratius diſſerere meditatus fuit, cum Muſarum ſtudioſis communicaſſet, ut promiſerat in notis ad Tibullum Lib. II El. 6. 22. eo enim neminem peritius hac de re judicaturum fuiſſe agnoſcent omnes, qui carmina poëtae optimi, & quo nullus recentiorum felicius genium Propertianum ſuo exemplo expreſſit, non ſine tacita quadam

dam

dam veneratione, & fere inimitabilis artificii admiratione diligenter perlegerint. Noſtro etiam ſeculo Franciscus Heſſelius in animo habuerat hortatu Ampliſſimi Jani Wittii ſub Dialogi forma Petrum Francium Janumque Broukhuſium introducere diſputantes inter ſe de diſpari filo ac diverſo Muſae Ovidianae & Propertianae genere, ut ex ejus Epiſtolis MſT. ineditorum poëmatum fasciculo additis mihi patuit; breviter enim de vario veterum ac novorum poëtarum Elegiacorum charactere diſſerit in Epiſtola ad Gul. Elgerium, Otiis ſuis Haganis ſubjuncta, ubi inter illos, qui Propertium feliciſſime imitati ſunt, recenſet Sannazarium, Janum Secundum, ac Broukhuſium; noſtrum autem Lotichium, D. Heinſium, Hoſſchium, Wallium, ac Francium inter Ovidiani genii aemulatores enumerat: quod de Lotichio tamen non ubique aut in omnibus dici poteſt, quem Ovidio praetuliſſe Tibullum, ex iis, quae ſuperius ſcripſimus, tum ex ipſis ejus carminibus abunde conſtat. Ad Janum vero Douzam ut revertamur, virum ceteroquin in omnibus ſummum, & quem numquam ſine honoris praefatione nominare Batavum decet, licet ille tam acriter invehatur in eos, qui Propertianis numeris praeferunt mollius artificium & lenius fluentem venam Ovidii; quem eadem ſemper chorda oberrare, & a quo nihil minus quam numerorum rationem expetendam dicit, ſi tamen cum Broukhuſianis Douzae utriuſque conparentur carmina, & reliquorum, qui ejus praeſertim aetate, magno forte Viri illuſtris exemplo conmoti (ut fuerunt Lernutius, Acidalius, Victor Giſelinus, Gruterus, Gulielmius, aliique) nimia horum polyſyllaborum adfectatione Muſas ſuas duriores & ſalebroſas reddiderunt, illorum certe artificium ſi ad ſuas aures ipſe exigeret Propertius, neſcio an non omnes faſtidioſe prae ſolo Broukhuſio rejiceret, & ex Belgis Ovidianam Danielis Heinſii, & qui ejus veſtigia legerunt, in Elegiis ſuavitatem, aut Tibullianam inter Italos Molſae, Sannazarii, aut Baſilii Zanchii puritatem, his ſuis imitatoribus praeferret, quemadmodum contra aequalis Broukhuſio poëtae & amici ſummi Petri Francii Naſonianam facilitatem, quam tamen feliciori adhuc ſucceſſu adſecuti ſunt Jacobus Wallius & Sidronius Hoſſchius, nemo non poſtponet Propertianae Broukhuſii gravitati. Adeo enim non uniuscujuſque eſt, eodem tramite decurrere, aut pari cothurno incedere, ſed ut in plurimis aliis rebus obtinet, genium illum, quo ſua quemque flectit natura, ducem ſequi praeſtat!

Neque tamen ſolum Propertium faciunt aut commendant polyſyllaba in fine verſus pentametri ſaepius adhibita, qua certe ratione nihil Propertiana imitatione facilius eſſet; ſed ſtupendam & vix uni aut alteri aemulandam divini poëtae artem exhibet totus ejus, isque incomparabilis, ſcribendi character, eruditionis poëticae & mythologicae adparatus non vulgaris, ſpiritus vera ſublimitate adſurgens, majeſtas augusta & decora gravitas, & ſingularis carminum ac praecipue numerorum poë-

ti

ticorum contextus, totus ad Graecorum imitationem formatus ac conpositus, de quo judicare magis liberum esset, si vel Callimachi & Philetae Coi integrae superessent Elegiae, vel aliorum poëtarum Graecorum, hodie deperditorum, ad posteritatem pervenissent opera, quorum fragmenta apud Athenaeum, Grammaticos Graecos, & Scholiastas antiquos sparsa vagantur, quae si quis, sed ex quotidiana lectione Propertium fere in numerato habens, cum cura conpararet atque excerperet, ut & multa in Anthologia Graeca vetustiorum poëtarum Epigrammata, quae haud raro imitatus fuit, non tantum plurimis poëtae eruditissimi locis, nondum satis expeditis, egregiam adfunderet lucem, sed & admirandum ejus artificium dilucidius illustraret, & quam presso pede Graecorum vestigia legens orgia Itala puro de fonte per Grajos choros ferre primus e Romanis ingressus fuerit, apertius demonstraret. Sed hic quidem non omnium labor est, Jacobo Phil. Dorvillio, in hac palaestra quondam exercitatissimo, si viveret, dignus, aut superstite adhuc viro in his literis summo Tiberio Hemsterhusio, si orbi erudito & Musae Propertianae cultoribus largiri vellet ea, quibus privato studio Propertium cum his Graecorum poëtarum ubique apud veteres dispersis reliquiis aliquando conparasse mihi narrantem memini. Idem quoque de Catulli Elegiis judicandum est, quarum innumeri pentametri in polysyllaba exeuntes, totusque carminis tenor ad Graecorum imitationem, quapropter docti titulum praecipue promeritus fuit, exactus & elaboratus est, neque dubito idem nobis existimandum fore de Calvi, poëtae deperditi, Catullo aequalis & similis, Elegiis, si eas longi temporis situs non obduxisset.

Ex his igitur patet, quam difficile hodie sit, non tantum polysyllabos pentametros vere Propertianos imitari, sed totum ejus carminis filum deducere, ejusque nativum scribendi artificium effingere, & numerorum poëticorum sonum formamque, ita ut ex antiquitatis gustu par est, adsequi, quia nobis perierunt poëtarum Elegiacorum Graecorum carmina, quos ille & Catullus sibi imitandos sumserunt, & periculoso minus ausu, sed felicioris successus spe nos sequi posse exemplar Ovidianum ac Tibullianum, quod si efformandum nobis proponamus, & ad eorum normam meditatas Elegias scribamus, saltem non ita promiscue aut sine certo judicii delectu ceteris carminibus, quae longe alterius genii ac saporis sunt, inferendae inoportune sunt polysyllabae illae in pentametri fine voces, sed parce & sobrie, nec umquam, nisi ubi singularis ornatus gratiam versibus conciliant, aut adfectus nunc lenius demulcent, nunc vehementius commovent. Recte igitur Tarquinius Gallutius de Elegia cap. XIX. pag. 461. *Sunt quibus hae placeant numerorum salebrae & quadrisyllabon illud in fine: Mihi probantur quidem, sed nominatim in argumento flebili aut alioqui atroci ac peracerbo. In aliis enim argumentis bisyllabus videtur esse jucundior, ille praesertim, quem antecedunt aliqua interdum participia passiva, quae admirabilem pentametro venustatem addunt. ut sae-*

saepe apud Tibullum. ubi quod de Tibullo dicit, observare tamen potuisset, poëtam illum mimine polysyllaba refugere, & quidem singulari artificio, quo in priore pentametri hemistichio collocare amat duo epitheta, quae separantur voce una media; in posteriore autem hemistichio sunt bina substantiva, inter quae verbum constructionem regens medium inserit, quae si conmutentur in pentametros bisyllabicos, perit omnis gratia ac numeri lepos; ut clarius patebit ex exemplis a Broukhusio productis ad Lib. II. El. 6. vs. 22. quemadmodum & alia loca, quae omnem suavitatem artis ac numerorum dulcedinem amittunt, si ex polysyllabicis pentametris ea convertas in bisyllabicos, optime ex eodem Tibullo & Propertio exhibet Acidalius pag. 423—425. ex quibus patebit, male Broukhusium in versu Tibulli, qui exstat Lib. III. El. 6. 4.

Saepe tuo cecidit munere victus Amor.

praetulisse *Saepe tuo cessit* &c. ea de caussa, ut addit, quia Tibullus raro faciat pentametros, quorum hemistichia possint inter sese conmutari: quod in vulgata versus istius lectione locum habebit, si verba transponas:

Munere victus Amor saepe tuo cecidit.

contrarium certe patet ex ejusdem Elegiae versu paullo post sequente 8.

Fulserit hic niveis Delius alitibus.

cujus hemistichia ita transponi possunt:

Delius alitibus fulserit hic niveis.

& vs. 10.

Neve neget quisquam me duce se comitem.

quae iisdem verbis retentis mutari possunt,

Se comitem quisquam, me duce, neve neget.

& vs. 26.

Tu puer, i, liquidum fortius adde merum.

& Lib. II El. 7. 14.

Et madefacta meis serta feram lacrimis.

qui versus sine ullo venustatis detrimento trajici potest hoc modo:

Serta feram lacrimis & madefacta meis.

quibus addi possent innumera alia ex Lib. I. El. I. vs. 4. 16. 32. 76. 84. Eleg. II. vs. 8. 22. 42. 52. 62. El. III. 4. 94. El IV. 64. 74. El. V. vs. 12. 16. 26. El. VI. 20. VII. 2. 6. 12. 22. 24. 28. 84. 86. 88. & qui porro in Tibullo passim occurrunt pentametri, quorum hemistichia verbis transpositis ex bisyllabicis in polysyllabicos, licet saepius cum magna elegantiae jactura, conmutari possunt. De Catullo autem praemiserat idem Gallutius: *Numerus quadrisyllabi in fine pentametri*

metri semper habitus est mollior in Elegiis, Scaligero teste in Hypercritico; videturque esse accommodatus praesertim argumentis flebilibus, ut apud Catullum, Sed cari fratris flebile discidium. *Nam ceteroquin videtur Catullus nimius in hujusmodi quadrisyllabis fractus & veluti confragosus. Sunt tamen qui illa ipsa Catulli duritie atque asperitate sic delectantur, ut eam audeant etiam imitari. Principatum in his tenent Fracastorius & Flaminius.* ubi tamen quod duritiem & asperitatem, ut vocat, Catullianam Fracastorio & Flaminio ausu temerario imitatam inprobet, iniquum nobis censorem agere videtur. Quis enim non Catullum in Carm. LXIX. ad Manlium, quo Fratris obitum suis numeris artificiosissime contextis lamentatur, in illo carminis charactere non aeque admirabitur, ac Ovidianum, licet alterius genii, Epicedium in mortem Tibulli, & utrumque in suo genere regnare non profitebitur? Quis Fracastorii Elegiam in obitum Marci Antonii Turriani, cum illo Catulliano Epicedio conparans, non laudabit pentametros polysyllabos continuo tamquam intercalares tempestive insertos, & egregiam imitationem, qua tota ad modum Catullianum conposita est, non tam facile aliis adsimulandam, multo minus reprehendendam, agnoscet, praesertim si vires suas in hac arte ipse experiretur? Quis flebile illud Catulli ejusdem Epigramma CII. quod Inferias conplectitur ad Fratris tumulum, conponens cum Lotichii nostri Epigrammate, quod Inferias itidem ad Fratris Georgii tumulum continet Lib. I. Carm. X. non fatebitur, Catullianam carminis modulationem a poëta cultissimo Ovidiana suavitate optime temperatam esse? Ad Flaminium vero quod spectat, de quo aeque ac Fracastorio male illic judicat Gallutius, si quis illius Elegiam de Hercule & Hyla Lib. II. Carm. VI. ubi plura occurrunt in fine pentametri polysyllaba, exigat ad Propertianam ejusdem argumenti Elegiam Lib. I. El. XX. eam certe stylo Ovidiano scriptam nollet. cujus etiam generis ejusdem Flaminii Pausilypus est Lib. II. Carm. VII. tum Elegia ad Anton. Gibertum Lib. II. El. IX. & delicatissimum in obitum Hyellae Epicedium Lib. IV. Carm. XVII. in quibus videmus multo cum judicio variatam numerorum horum rationem, & nusquam fere collocata polysyllaba, nisi oportune & ornate, sed parce tamen, & ubique cum dulcedine aures mulcente: frequentius enim iis utitur in carminibus brevioribus, sed aliquando durius; ubique autem, quod mireris, iis abstinet in suis illis egregiis Lusibus Pastoralibus, nisi in solo Carm. III. quod longe diversi a ceteris artificii est, & propter polysyllaba optime adhibita tam tenerum ac suave est, ut nec ipse Catullus id melius potuisset scribere aut mollius: quod idem dicendum de celebrato illo Joh. Cottae Epigrammate X. ad Lycorin, cujus singularem conpositionis dulcedinem adeo admiratus est Julius Caes. Scaliger Lib. VI. Poëtices p. 796. ut vel conatum vel etiam vota superasse, nihilque ei addi vel demi, aut mutari posse ipsi visum fuerit. Sed simul quoque observabis utrumque illud Flaminii & Cot-

Cottae carmen numeri poëtici mollitiem colorisque elegantiam fere omnem debere venustissimis Q. Catuli & Valerii Aeditui Epigrammatibus, quae leguntur apud Gellium Lib. xix. cap. 9. quorum ultimum merito ut *delicatissimum* laudatur Broukhusio ad Tibull. I. 10. 42. & *divinum* Mureto ad Cic. I Catil. cap. 6. qui ipse utrumque illud Epigramma felici aemulatione expressit in Deliciis Poët. Gallor. Tom. II. pag. 755. sed quod iis ipsis Epigrammatibus Gellius Latinorum elegantiam Graecorum poëtarum ingeniis opponat, ignoravit illud ultimum Q. Catuli tenerrimum carmen totum de Graeco ad verbum esse expressum, ut docet Jos. Scaliger Lib. III. Epist. 245. p. 527. Pari elegantia polysyllaba & bisyllaba in pentametris variavit Joh. Baptista Amaltheus in Elegia ad Ludov. Dulcium pag. 73. Carmin. & praeclara Elegia ad Lygdamum de Hyla pag. 76. & seqq. qua post Theocritum & Propertium e veteribus in certamen laudis poëticae descendisse videtur cum Flaminio, cum cujus Elegia ejusdem argumenti modo memorata paria facit. Et in hunc etiam numerum referenda est Cornelii Amalthei Elegia in Collem Cenetensem pag. 121. ed. Broukh. post Sannazar. Nec minus feliciter e nostratibus hac in parte ingenii sui vires exseruit N. Heinsius duabus Elegiis ad formam hanc dedita opera conpositis, de Orpheo & Eurydice, quae exstant in ejus Poëmatibus Juvenilibus Lib. I. ad quod exercitium poëticum forte praevio ductu filium animavit Danielis Heinsii Monobiblos, cujus titulum non tantum adsumsit ex primo Propertii Libro, qui *Monobiblos* vel *Propertii Cynthia Monobiblos* in codicibus antiquis inscribitur, ut Scaliger ad Catalect. p. 5. & Broukhusius initio notarum recte adseruerunt, & Propertii exemplo Janus etiam Secundus primum Elegiarum Librum Juliae consecratum eadem inscriptione insignivit; sed praecipue totam carminis Elegiaci Latini structuram numerosque lepore quodam transmarino ad normam Catulli & Propertii, tamquam inaffectatae elegantiae venustus affectator (ut ipse de Veronensi & Umbro poëta dicit) singulari arte, & eo majori laude digna, quia nemini felicius tentata fuit, plane formavit ad Graecorum genium, ut singulae ostendunt Elegiae, sed prae ceteris Eleg. XI. quae conplectitur fabulam Peri & Peniae, ex Platonis Symposio desumtam, quae si conparetur cum Catulli Elegiis, & praecipue cum Propertii Eleg. xx. Lib. I. de Hercule & Hyla, quam post Flaminium & Amaltheum Daniel quoque Heinsius ibidem aemulatus est Eleg. v. perfectissimum exemplar praebere poterunt carminis Elegiaci Latini ad modum Graecorum Elegorum conpositi, cujusque artificii aliis vix imitandi difficultas inde praesertim adparet, quod paucos suo exemplo ad idem successu adeo probato praestandum excitaverit Daniel Heinsius, licet ad ejus imitationem contexta etiam sit venustissima Casparis Kinschotii Elegia de congressu Martis & Veneris pag. 74. Poëmat. & quae sub titulo Dinae sauciae occurrit

rit Lib. II. pag. 65. quae inter omnia Kinſchotii carmina elaboratiſſima ſunt. His autem accedere par eſt Lotichium, qui ſpecimen Elegiae Catullianae, in qua ſinguli pentametri, fere ad Graecorum rationem deducti, in polyſyllaba deſinunt, nobis reliquit Lib. III. Carm. XXVII. ad Car. Cluſium, ut ibidem notavimus: & in Epigrammate ad Ad. Gelphium eodem Libro carm. XXXIII. Sed neque alibi in Elegiis ſuis, licet ad amabilem Ovidii vel Tibulli canorem conditis, refugit haec polyſyllaba in fine pentametri, ſed ubique exquiſito cum judicio, & tanta aurium gratia, ut ſane biſyllabis ea mutari nolles. Audiant, quibus ad numerorum ſuavitatem & leporem percipiendum benignior natura aures poëticas dedit, haec licet rariora in tanto ejus carminum acervo occurrentia, ſed nuſquam fere ſine ratione aut cultu. Lib. III. Eleg. 5. in fine:

Tu quoque ſeu Panarus gaudes de more vocari,
Amnis ab aëriis orte cacuminibus,
Nobile ſeu flumen Scultenna libentius audis,
Seu quodcumque juvat nomen habere, vale.

ubi polyſyllabo praecedente, ſenſu adhuc ſuſpenſo, longe gratius & venuſtius in biſyllabon finit Elegia; cui pentametro Lotichii polyſyllabico ſimilis eſt ille Fracaſtorii Epicedio Turriani vs. 90.

Interea ô vos Benaco centum patre Nymphae,
Sarcaque ab Alpinis edite verticibus.

rurſus noſter Lib. I. El. I. 46.

Illic Saturni contriſtat Pleiades aſtrum,
Orionque alto mergitur Oceano.

Lib. II. El. XII. 14.

Praemia quae vincunt gemmas, & munera regum,
Quidquid & in lato naſcitur Oceano.
Nunc procul a domina, miſeri ſolatia luctus,
Maeſta cano ſurdis carmina litoribus.

ſed venuſtius adhuc apud Flaminium Lib. II. El. 6. vs. 8.

Hic idem tanto puerum dilexit amore,
Ut, ſeu nox alto ſurgeret Oceano,
Seu roſeo terras veſtiret lumine Titan,
Hercule cum magno candidus eſſet Hylas.

ubi

ubi ſimile vides exemplum, quo, ut modo obſervabam, ſenſu nondum finito, polyſyllabico pentametro ſubjungitur biſyllabicum, elegantius certe, quam ſi ultimum quoque verſum triſyllabo formaſſet hoc modo,

Hercule cum magno pulcher Hylas ageret.

non diſſimile illud apud noſtrum Lib. II. El. 10. 6. ſententia quoque cum ſequenti diſticho connexa:

Et modo Maſſiliae portus miramur, & altas
Puppibus antiquum Stoechadas hoſpitium;
Phocaicoſque ſinus, & qui latiſſima ſulcat
Arva Pyrenaeis montibus ortus Atax.

ubi neſcio quam gravitatem verſui conciliat in nominum propriorum enumeratione pentameter polyſyllabicus ſequentem biſyllabicum praecedens. Nec quemquam, ut puto, offendet in Lib. III. El. 3. 32.

Nec minus ex animo tu me venerata colebas,
Mente fovens ſancti gaudia conjugii.

non magis quam illud Catulli carm. LXIX. vs. 84.

Noctibus in longis avidum ſaturaſſet amorem,
Poſſet ut abrupto vivere conjugio.

aut illud Flaminii Lib. II. carm. 5. vs. ult.

Et dulces dabit amplexus, & baſia junget,
Junget & optati gaudia conjugii.

in quo verſu certe mollius longe & ſonorius deſinit Elegia, quam ſi ſcripſiſſet:

Junget & optati gaudia mille tori.

Sed praecipue in argumento triſti numeros neſcio quo modo flebiliores efficiunt pentametri aliquando in polyſyllaba deſinentes: cujus rei inſigne, ut alia mittam, exemplum praebet elegans Epitaphium antiquum a Sexto Onuſiano memoriae M. Lucceji nepotis ſcriptum, egregio nec vulgari numerorum artificio, quod e Grutero aliiſque edidimus in Specim. Animadv. ad Catalect. & Epigr. vet. pag. 46. & ſeqq. ubi pentametro polyſyllabico praecedentem biſyllabicum identidem excipiente affectus optime moveri nemo non ſentit, qui iſta percipit: ut in illis:

Et gemerem triſti damnatam ſorte juventam,
Verſaretque novus viſcera tota dolor.

Me desolatum, me desertum, ac spoliatum
Clamarem, largis saxa movens lacrimis.

& paullo post;

Vidi sidereo radiantem lumine formam
Aethere delabi: non fuit illa quies.
Sed verus juveni color & sonus: at status ipse
Major erat nota corporis effigie.

& in sequentibus:

Adsinis memorande, quid o me ad sidera coeli
Ablatum quereris? desine flere Deum.
Ne pietas ignara superna sede receptum
Lugeat, & laedat numina tristitia.

Recte igitur numerum hunc dolori exprimendo convenientissimum aliquando etiam adhibuit Lotichius. ut Lib. III. El. 7. 40. disticho vere Catulliano:

Nunc tecum mea vita leves abiere per auras,
Nunc mea spes omnis funere fracta tuo est.
Deliciisque animi tota de mente fugatis
Cogor in extrema vivere tristitia.

& ibid. vs. 70.

Ipsa etiam natum Clymene Jovis ignibus ictum
Hic olim celsis flevit in aggeribus.
Flevit Lampetie, &c.

quomodo in eadem conparatione Fracastorius Epicedio Turriani vs. 11. elegantissimo numerorum delectu:

Moerentemque, vagumque, & turpem fletibus ora
Amissum totis quaerere litoribus;
Fertur ut Eridani ripas errasse per omnes
Anxia fraterno funere Lampetie.

sic Lotichius in Elegia ad villam Phyllidis Lib. V. El. 12. 38.

Unica tu praestas nostris solatia curis,
Omnia tu nostrae gaudia tristitiae.

&

& in Lib. II. Carm. 3.

Vos lauri ſalvete mihi, ſalve optima rerum
Avia frondoſis lympha ſub arboribus &c.
Hic meus argutas cecinit Venator ad aures,
Dum fleret maeſtis Sarnidem arundinibus.

Lib IV. Eleg. 5. 8.

Flere tuos obitus jubet illud amabile quondam
Nunc interruptae foedus amicitiae.

in quo audire rurſus videor Catullum carm. 97.

Cum deſiderio veteres renovamus amores,
Atque olim amiſſas flemus amicitias.

ſic in Inferiis Jac. Marii Lib. II. Carm. XIX.

Haec tibi, fide Mari, poſui monumenta Secundus,
Extremum ſanctae pignus amicitiae.

& bis in uno Epigrammate, itidem flebili, Lib. III. Epigr. 34.

Interea terris onus hoc mortale reliquit,
Et caſti puras corporis exuvias.

& paullo poſt,

Felix illa dies, quae nos coeleſtibus infert
Sedibus, hoc miſero ſubtrahet exſilio.

aptiſſime etiam alia in re polyſyllaba voce uſus eſt Lib. V. Eleg. 21. 58.

Saepius & viſunt ſpatioſa palatia lentis
Paſſibus, arguta molliter in ſolea.

quod delicatum & molliter lentum puellarum inceſſum venuſtius exprimit, idque de Catullo mutuatum eſſe ex notis patebit. Optime etiam tali pentametro utitur, ubi Tibullum circumſcribit, nomine ejus non expreſſo, Lib. III. carm. XXXVI. 24.

Hunc quondam facilem pharetrato ſemper Amori
Ipſa Venus campos duxit in Elyſios.

ut quaſi digito poëtam ipſum demonſtret, locumque deſignet, ubi de ſe ipſe loquitur Tibullus Lib. I. El. 3. 58.

Sed me, quod facilis tenero ſum ſemper Amori,
Ipſa Venus campos ducet in Elyſios.

In

In his vero paucis, quae mihi ſe obtulerunt ex tot carminibus Lotichianis, licet forte hic & illic alia quoque habeantur, polyſyllabicis pentametris, nullum tamen, ut patet, exemplum occurrit, quod ſine certa ratione ac cauſſa adhibitum ſit, aureſque non demulceat, tantum abeſt, ut eas obtundat ac laceret. Plura ejuſmodi exſtant apud principem, & veterum artem hac in parte provocantem, gentis noſtrae poëtam Janum Secundum, qui in eo parem Lotichio ac communem habet laudem, quod in tam juvenili aetate multis veteranis poëtis exſtiterit ſuperior, & nemo umquam Tibullianos ac Propertianos numeros dulcedine Ovidiana conditos felicius miſcuerit ac conjunxerit; ut aliquando pluribus forte videbimus in nova poëtae venuſtiſſimi editione, ſi hanc Lotichio adhibitam curam viris eruditis non inprobatam experiemur. Sed ſufficiant haec de diverſo Catulli, Tibulli, Ovidii ac Propertii, quos ſuperſtites nobis ex veteribus Elegiacis poëtas tam feliciter imitatus eſt Lotichius, charactere, & de vero polyſyllaborum & biſyllaborum in fine pentametri uſu obſervata, longe diverſa ab iis, quae poëtae noſtri nepos, ſed Patruo ſuo magno multis nominibus inferior, ſcripſit Joh. Petr. Lotichius in Promulſ. Critica, ſive Cenſura ſuper Poët. Lat. Nov. Antiq. ubi in cap. v. vii. & viii. de poëtis his antiquis Elegiacis ſententiam nimis certe decretoriam ferens, Catulli Elegias aſperas, tortuoſas, & hiulcas multo cum ſupercilio damnat, Ovidio ac Tibullo principatum carminis Elegiaci defert, Propertium vero tamquam horridum nimis, ſalebroſum, durum, & propter tot pentametros polyſyllabicos ingratum, atque in artificio numerorum poëticorum aeque ac Catullum valde taedioſum rejicit, quorum plurimos adfert verſus, quos vitiis iſtis obnoxios explodit ac proſcribit, dum ſingulorum genium ad eamdem exigit trutinam, neque Catulli ac Propertii carmina ad ſonum chordae Graecae deducta diſtinguit a longe diverſa Ovidianae & Tibullianae Muſae lege, nonnulla quoque eorum loca ex mendoſis editionibus producit corrupta & depravata, pleraque etiam tamquam vitia & naevos in Propertio & Catullo caſtigat, quae praecipuam potius in iis artem ac carminis dotes conſtituunt: in quibus omnibus fere cenſuris bonae mentis ac recta judicandi virtus continuo eum deſtituit, quod praeſertim adparet ex ſequenti cap. ix. ubi Elegias Maximiani, falſum Cornelii Galli nomen venditantes, Tibullo ac Propertio molliores terſioreſque praedicat; quas tamen neminem hodie tam inſubidi & averſi a veris Muſarum deliciis palati futurum, ut cum Propertio aut Tibullo conferat, multo minus anteponat, ſed bonis frugibus & melioris aevi dapibus innutritum & adſuetum tamquam fatuas & nimis duras glandes abjecturum eſſe arbitramur. Verum iſta operoſius refutare, & plura de vero Carminis Elegiaci artificio licet addere in promtu foret, ſed quae longius nos a ſcopo in his paginis propoſito quum abducerent, praeſtabit, opi-

opinor, ut ad alteram Praefationis partem accedamus, & exponamus rationem instituti nostri, qua in adornanda hac nova Poëmatum Lotichianorum editione usi sumus, & videamus, qua occasione ac consilio poëtam recentiorem quidem, sed antiquis parem, adnotationibus illustrare, quibusve copiis instructi bene de optimi Vatis manibus mereri conati sumus.

Elapsis abhinc quinque annis conparaveram mihi vetustum ineditorum ad Aristiden Scholiorum codicem, cujus apographum, manu Francisci Goyeri inde exaratum, dono miseram Celeberrimo & amicissimo Jacobo Philippo Dorvillio, quo κειμηλίῳ ille laetatus remisit mihi ἀντίδωρον Codicem MS. Poëmatum Petri Lotichii Secundi, plurimis accessionibus locupletatum, ita ut manu Johannis Petri Lotichii descriptus, & ad novam editionem paratus erat, quem sibi in Germania ex Bibliotheca Uffenbachiana vindicari curaverat. Hunc codicem esse opinor, quem ipse Uffenbachius memorat in Epist. ad Joh. Henr. Majum filium scripta d. 31. Martii 1714. quam nuper in Commercii Epistolaris Uffenbachiani Selectis edidit J. G. Schelhornius Tom. II. Epist. 79. pag. 376. ubi narrat Uffenbachius, in manus suas incidisse decem grandia Volumina Joh. P. Lotichii manu scripta, quorum priora Commentarios illius Petronianos ingenti mole Observationum auctos, tum Epistolas, & Carmina, aliaque opera ejus poëtica, historica, medica & physica conplectebantur, decimum verum seu ultimum conprehendebat novam auctioremque Collectionem Operum Petri Lotichii Secundi, ejus Patrui, quam cum vita poëtae, Vaticiniis, & Adoptivis in lucem dare cogitaverat nepos ejus, vir certe laboriosissimus, licet ingenii ac judicii nomine cum Patruo non conparandus, quae omnia quum in hoc ipso MS. conpareant, eumdem illum esse, persuasissimum habeo. Exosculatus gratissimum munus, codicem hunc avide cum editis conferre, Elegias & Carmina, quae in eo legebantur, inedita inde describere, locisque idoneis inserere coepi, unde inflammari me statim sensi ad novam poëtae unice mihi semper amati editionem his supplementis auctam publici juris faciendam, maxime quoniam primae ejus editiones non nisi rarissime obviae, ceterae vero deinde vulgatae, licet longe auctiores, vel vitiosissime excusae, vel vilissimis typis sordide descriptae poëtam vulgo exemtum, sed nullo merito suo negligentius in publicum prodire jussum, infra tralatitiorum versificatorum libellos fere deprimebant. Placuit consilium Cel. Dorvillio, ex cujus Epicedio in obitum Hoogstratani cum mihi constaret, idem illum aliquando molitum fuisse, facile a Viro literariae suae supellectilis, sed funesto nunc adamante obseratae, munifico, dum vixit, largitore inpetravi apographum Hoogstratani, ita ut manu sua in quinque Elegiarum & duos Carminum Libros digesta poëmata Lotichiana ipse descripserat, pauculis

notis, ſed vix magnae rei, adjunctis, quas augere & majori adparatu inſtruere forte fato inpeditus fuit, licet tamen vel ſic quoque nonnullam earum rationem habuerim.

Nactus deinde fui primam omnium, eamque rariſſimam, Carminum Lotichii editionem Pariſinam, quam auctor ipſe, dum in Gallia verſaretur, anno aetatis ſuae XXII emiſit ex officina Vaſcoſani an. 1551. dedicavitque praemiſſa Epiſtola Danieli Stibaro, Equiti Franco, cujus filiis in Galliam peregrinantibus additus erat ſtudiorum moderator. Haec prima Pariſienſis editio, de qua vide ipſius Lotichii Epiſt VII. Lib. I. ad Camerarium, cui eam illic mittit, exhibet unum Elegiarum, ſed decem tantum Elegias conplectentem, unumque Carminum Librum, ex paucis hendecaſyllabis, aliisque nonnullis carminibus conſtantem. Secundum enim Carminum librum Lugduni anno ſequente editum patet ex Epiſt. XII. ad Patruum ejus Abbatem Solitarienſem ſcripta. Raritatem primae hujus editionis colligas ex nota Th. Cruſii ad P. Albini vitam G. Sabini pag. 49. *inter poëmatum Lotichii editiones illa praeſertim cimelii inſtar habetur, quam auctor ipſe Lutetiis* 1551. *in* 8°. *luci expoſuit.* eamdem editionem Johanni Petro Lotichio, locupletata Patrui ſui magni carmina edere paranti, indicat, & ut cum aliis deinde excuſis conferret, admonet Janus Gruterus in Epiſtola, quae habetur in hac editione Tom. II. pag. 302. *Heus Brettae puto me habere editionem Poëmatum Petri Lotichii Pariſiis editam, ubi ille alia multa habuit, quam etiam publicavit in Germania. Operae pretium fuerit conferre exemplaria.* ubi indicare aliam videtur editionem, quam praeter Pariſinam ipſe Lotichius in Germania publicavit, quam mihi ignotam fateor, cum ceterae omnes, quae in vulgus prodierunt, poſt ejus mortem editae ſint: niſi innuat Gruterus Lotichium carmina illa, quae antea ſparſim & diverſo tempore ſeparatim ediderat in Germania, longe aliter emendata ac mutata junctim in illa editione Pariſiis divulgata exhibuiſſe. Quantum vero iſta editio Pariſina a ſubſequentibus Lipſienſibus diſcrepet, docet Kortholtus in Diſquiſit. de Obſid. Magdeburg. a Lotich. praedict. §. VI. his verbis, quae, licet prolixiora, hic adſcribenda ſunt, quia nonnulla in iis animadvertenda occurrunt: *Eadem occaſione*, inquit, *indicavi Cl. Baylio editionem Carminum Lotichii, quam Camerarius an.* 1561. *vita jam defuncto auctore publici juris fecit, non eſſe omnium primam, quod Baylius putarat; ſed me manibus terere multo rariorem, quam ipſe ſcriptor luci expoſuerit Pariſ.* 1551. *cum illa etiamnum frueretur.* &c. *Addidi epiſtolam dedicatoriam ad D. Stibarum datam eſſe Lutetiae Pariſiorum Idib. Febr.* 1551. *aetatis Lotichii* XXII. *non autem anno.* 1552. *ut conjectura velle colligere videbatur. Conſtat haec editio paginis minime multis, & ſi paucos verſus excipias, elegias decem tantummodo, nec cultisſimam illam de Obſidione Magdeburgenſi complectitur, ſatisque manifeſtat aetatem Lotichii juvenilem. Nam conferendo modo dictam Pa-*

Parisiensem cum editione Camerarii deprehendi illam cum hac conferri non posse. Nimirum integras elegias ita immutavit, ut omnino aliae videri queant, & quem prior editio mediocrem, altera probat incomparabilem poëtam. Idem judicium est Niceronii in Memor. Gallic. Viror. Illust. Tom. XXVI. pag. 37. *Cette edition (de Camerarius Lipſ 1561. in 8°.) est bien differente de celle qui avoit paru dix ans auparavant a Paris: dans celle-ci Lotichius n'etoit qu'un poëte mediocre; mais dans celle qui parut après sa mort par les soins de Camerarius, les pièces, qui avoient deja été inprimées, sont fort changées, & il y en a de nouvelles beaucoup melieures.* quibus locis indicant alteram editionem raro itidem obviam, quae Lipsiae apud Ernestum Voegelinum an. 1561. uno post obitum auctoris anno, cura maxime Joach. Camerarii prodiit: de quo Ernesto Voegelino, Typographo ejus temporis laudatissimo, legi meretur idem Camerarius in Epistolis suis Lib. II. pag. 116. & 117. Hanc autem editionem appellare solemus Voegelianam, licet subsequentibus annis plures typis Valentini & Gothardi Voegelini prodierint. Quod vero Kortholtus, & Niceronius, Kortholtum nimis forsan secure describens, censeant in prima editione Parisina Lotichium adparere mediocrem tantum poëtam, in altera Voegeliana Lipsiensi incomparabilem, satis equidem admirari nequeo. Omnes enim Elegiae & Carmina, quae ex Parisina repetiit illa Voegeliana, nihil omnino differunt, sed ubique eadem sunt: in Voegeliana autem locupletiore plura numero edita sunt carmina, adeo ut quinque Libros Poëmatum conprehendat, quorum seriem exhibet Index in fine additus, ex quo patet Quartum librum, sub titulo *Libelli Carminum*, Bononiae etiam editum fuisse, sine dubio ab auctore ipso, cum in Italia studiorum caussa degeret. Quae vero auctiora conplectitur Voegeliana, illa quidem exercitatum magis produnt poëtam, non tamen ita differunt, ut priora mediocrem tantum manifestent. Certe mihi in iis ita mediocris poëta adparet Lotichius, praesertim si aetatem adeo juvenilem spectemus, ut si Kortholtus aut Niceronius talia in virili & matura admodum aetate conposuerint carmina, ultro illis locum longe supra mediocres poëtas adsignaremus. Sed quae in utraque illa editione exstant, a reliquis Lipsiensibus, quas vulgatas vocamus, tam diversa sunt, ut pleraque poëmata adeo sint mutata, emendata, addita multa, plurima detracta, ut eadem vix videantur, quae varietas haud parum decoris & elegantiae iis adtulit, & limatum poëtae judicium ac foecundum variationis artificium demonstrant: nam a vulgatis Lipsiensibus editionibus nihil fere differunt poëtae nostri Carmina, ita ut Deliciis Poët Germ. Tom. III pag. 1297. usque ad pag. 1489 inserta sunt. Eadem de utraque illa prima editione est sententia Christiani Daumii in Epistola Cycneae data Kal. Maji 1653. apud Cl. Heumannum Tom. III. Poeciles pag. 406. *Petri Lotichii Elegiarum Librum Lutetiae apud Vascosanum 1551. editum possideo, ut & poëmata Lipsiae apud Ernest. Voegelinum 1561.*

primum excusa, longe ab ea editione, quae vulgo habetur, diversa, nec sic emendata. Utramque editionem inter se contendens saepius stupui admodum tanti Viri in emendandis suis scriptis judicium. Recte igitur atque ordine me fecisse arbitror, quod utramque hanc editionem omnium primam, & a vulgaribus, quae nunc plerorumque manibus versantur, editionibus adeo discrepantem, conferre cum ceteris, & versuum inmutationes & emendationes inde enotare, & exemplari, quo uti solebam ex Lipsiensi editione cum vita Lotichii ab Hagio scripta an. 1586. excusa, adscribere adgressus fuerim. Hinc primum quidem enatum fuit consilium, nudum tantum auctoris contextum, subnotatis harum editionum varietatibus, edere, sed quum codici meo haud pauca veterum poëtarum loca, quae pulcherrime imitatus erat Lotichius, & similia recentiorum cum nostro conparata inter lectitandum, ut solemus, adnotassem, nonnulla quoque ad illustrationem eruditorum hominum, ea aetate paullo quam hodie notiorum, quibus carmina sua inscripsit, aut quorum in iis mentionem fecerat, adlevissem, unde aliquid lucis adfundi poterat locis haud paucis, quae hodie ceteroquin non ita omnibus plana ac manifesta videbantur, consilium cepi, poëtam hunc, quantumvis recentiorem, sed cum veteribus tamen conparandum, paullo diligentiore cura tractare, ad antiquorum imitationem exigere, cum aliis melioris notae recentioribus conponere, notisque sub manu crescentibus instruere. Id quidem olim fore praeviderat, sed cujus votum me inpleturum esse numquam certe putaveram, Joh. Petrus Lotichius, sperans ut aliquando Patrui sui poëmata notis illustrarentur, in Promulf. Critic. cap. XIII. in fine: *Neque ego denique dubitare velim, quin aliquando futurum sit, ut aliquis emaculatissima P. Lotichii Secundi opera, antiquitatem apprime sapientia, tamquam vetustos illos poëtarum optimorum antecessores, Catullum videlicet, Virgilium, Ovidium, Tibullum, Horatium, Propertium, aliosque notis atque interpretamentis illustrare velit. Hic enim e ceteris fere recentioris aevi poëtis omnibus veri ac gnesii vatis partes obire visus est hactenus* &c. Quin & idem Joh. Petr. Lotichius in animo habuit Patrui sui Poëmata plurimis additamentis ditata evulgare, ut constat tam ex Codice nostro MS. ad novam editionem ab eo adornato, tum ex illius Epist. ad Daumium, quae habetur inter Epistolas Daumii ad Hekelium pag. 80. & praesertim ex Promulf. Critic. cap. XIII. in init. ubi singulas illas accessiones novas recenset, & amicos, qui in conquirendis Carminibus, Elegiis, Adoptivis, similibusque copias auxiliares ipsi subministraverant, laudat: & ante eum Christianum quoque Lotichium operam dedisse, ut postuma defuncti fratris sui P. Lotichii Secundi poëmata colligeret, vitamque auctoris & studiorum cursum describeret, sed morte praeventum fuisse, quo minus fraternis manibus hoc pietatis officium persolveret, patebit ex J. P. Lotichii Biblioth. Poët. P. III. pag. 86. & 88. & vid. Camerar. in Epist. ad Christ. Lotich. quae legitur in Epistolis Camerarii Lib. V. Epist. ult.

No-

Noſtrum vero inſtitutum ab his valde diverſum nonnulli forte aut nimis ambitioſum, aut hodie non ita uſitatum, vel tanto molimine vix dignum eſſe novum poëtam cenſebunt, majoremque adplauſum mihi exſpectandum fuiſſe arbitrabuntur, ſi vetuſto cuidam poëtae cum variorum hominum eruditorum notis hic illic refutatis vel addita obſervationum ſilva auctis, operam meam potius addixiſſem. Sed ſua quemque voluptas trahit, & novitatis hujus, ſi qua ea eſt, me facile abſolvent aliorum exempla viris doctis probata. Quis enim poëticarum deliciarum amans elegantiſſimis Jani Broukhuſii ad Sannazarium notis carere, & non magno redemtum vellet, ut eadem opera etiam Flaminii Poëmata adnotationibus ſuis illuſtrata produxiſſet, quarum ſpem fecerat in Praefatione ad Aonium Palearium, a quibus quid exſpectandum fuiſſet, fidem mihi fecerunt breviores ejus ad Flaminium, quas poſſideo, notae, quae majoris operis molimina ac praeludia adparent. Quis non in forulos rariorum libellorum reponit Mureti Scholia ad Ronſardi Amores? Quis ex Chevraei & Menagii ad Malherbae poëmata obſervatis non egregium adparatus poëtici theſaurum colligit, ejusdemque Menagii obſervationes ad Amintam Taſſi & Poëmata Caſae ſine fructu jucundiſſimo non evolvit? Et diu ante Angeli etiam Politiani Nutricia, ſive Sylvam de re Poëtica & Poëtis, doctiſſimis notis expoſitam edidit Joh. Alexander Braſſicanus Norimbergae 1538. quos commentarios ab eruditionis reconditae copia valde commendat inſignis ille Paulus Leopardus Lib. II. Emend. cap. 18. & Lib. XVII. 4. Sic ſuos ipſe Hymnos ſacros prolixis valde Scholiis inſtruxit Joh. Franciſcus Picus, Comes Mirandulanus, ut jam nihil addam de Viti Amerbachii notatis ad Joh. Joviani Pontani Meteora: & utinam ſupereſſent Eobani Heſſi adnotationes ad Hieronymi Vidae de re Poëtica Libros, quos nova ſe editione recudi curaſſe, & publice in praelectionibus Academicis interpretatum fuiſſe ſcribit Lib. III. Epiſt. Fam pag. 65. & 66. Noſtro etiam ſeculo eruditum orbem demeruit decus Italiae Anton. Franc. Gorius, edito divino Sannazarii Poëmate de Partu Virginis ad Mediceum & Vaticanum codicem collato: & Petrus Antonius Seraſſius, quod non tantum nitidam cultiſſimi poëtae Baſilii Zanchii Carminum cum adcurata auctoris vita editionem nobis dederit, ſed & Italicis Petri Bembi Odis adſociata ejus carmina Latina notis nonnullis additis evulgaverit.

His virorum eruditorum exemplis fretus nonnihil notarum poëtae noſtro adſpergere incepi, in quibus prima mihi cura fuit, ut ex collatis ſupra memoratis primis editionibus diligenter excerperem ea, quae ab auctore prius conſcripta, ſed magis ſubacta judicandi facultate deinceps mutata aut emendata erant, quae inter ſe conparare, & inde creſcentes divinae artis vires, & auctas ingenii dotes colligere atque aeſtimare, voluptas haud exigua neque infructuoſa eſt: quemadmodum optimi quique poëtae carminibus ſuis ſub incudem revocandis & po-

 lien-

liendis ſemper incubuerunt, gnari tum demum perfecta & poſteritatem ſpondentia enaſci carmina, ſi primum illum ſpiritus poëtici calorem, qui feliciſſimos plerumque concipit foetus, temperet ac moderetur limae ſeverioris cura, ſed non moleſta aut nimis moroſa, quam exercitatior quotidianae artis uſus expolit, & cum tempore vires adſumens atque adſidua meliorum poëtarum veterum & novorum lectione confirmatum judicandi acumen conſummat & abſolvit. Id numquam fere magis mihi conſtitit, quam ubi nonnulla Johannis Joviani Pontani Carmina cum MS codice ab Ampliſſimo Joh. Wittio mecum aliquando communicato ad editionem Aldinam conferrem, & praecipue Nicolai Heinſii Poëmatum ultimam editionem Elzevirianam nanciſci licuit, ſingulis paginis ab auctoris ipſius manu innumeris in locis inmutatam & caſtigatam. Janum etiam Secundum, licet in Epiſtolis pag. 322. teſtetur nihil magis ſe faſtidire & averſari, quam carmina ſua recognoſcere, ſubinde tamen haud pauca in verſibus ſuis emendaſſe, & ad ſeverius examen revocaſſe patebit, ſi quis conparet carmen ejus in arcem Reginae Albae, ita ut legitur Lib. I. Epigr. 72. pag. 119. & denuo occurrit in Itinerar. Gall. p. 276. 277. tum egregiam Elegiam de ſtatuis & ſepulcris in templo Dionyſii, quae exſtat Lib. III. Eleg. 17. ubi plurima longe aliter, & quidem caſtigatiora, habentur, quam in eodem Itiner. Gall. pag. 278. quemadmodum & in Epiſt. p. 324. loca nonnulla ex Eleg. VIII. Lib I. mutata & elegantius correcta mittit Petro Clerico, unde adparet poëtam hunc venuſtiſſimum non ſemper taedium limandi & poliendi carmina ſua averſatum fuiſſe; quod mihi apertius innotuit tam ex prima Poëmatum ejus editione Trajectina Hermanni Burculoi, quam ab exemplari ad MS. codicem Scriverii a Petro Francio emendato. Jacobi etiam Sannazarii felicitatem in emendandis carminibus ſuis colligas & ſuſpicias licet vel ex ſolo ſpecimine Epigrammatis Dedicatorii ad Clementem VII. quod Operi de Partu Virginis praefixit, ita ut nunc in vulgatis legitur editionibus, & ut antea concinnatum erat in ipſius archetypo, unde ſemel atque iterum variatum exhibet Joh. Bapt. Criſpus in libello Italico de vita Sannazarii edit. Neap. 1633. nam in Romana editione deſiderantur iſta. Huc refer tria prae ceteris inſigniora Lotichii noſtri exempla, Lib I. El. I. ita ut ex Pariſina & Voegeliana cum Lipſienſibus editionibus collatam initio notarum exhibui, & ſi conferantur duae Elegiae de Natali ſuo, quarum una Gregorio Scheto inſcripta legitur Lib. II. Eleg. 8. & altera ad Georgium Cracovium Lib. II. El. 13. tum Elegia de obitu Callirrhoës ad Gul. Rondeletium, quae bis occurrit Lib. III. Eleg. 3. & Lib III. Carm. XXVII. unde conſtabit, quam felici varietate ejuſdem argumenti carmina aliter inmutaverit. Neque pigebit harum elegantiarum cupidis cultoribus in hunc quoque cenſum referre Hadriani Relandi, poëtae nitidiſſimi, quemque, niſi gravioribus ſtudiis ſe totum addixiſſet, inter primos gentis noſtrae numerare

po-

potuiſſemus, Oden optimam in Poëſin Lucretianam, ita ut primum ab eo meditata, ſed deinde cultiori ornatu emaculata eſt. Non tamen ſemper δεύτεραι poëtarum φροντίδες ſunt σοφώτεραι, & ſaepe ultima primis diſtant, ſi vel nimis difficilis cura elumbes & male tornatos verſus reddat, qui plerumque frigidiores fiunt, ſi juvenilia carmina in aetate ſenili emendentur, quando primus ille integer aevi aeſtus & calor juvenilis, qui ſpiritum poëticum agitat & fovet, elanguit ac deferbuit. Lege Menagium ad Malherbae Poëmata Lib. III. pag. 173. ubi id Malherbae ipſius, ut & Ronſardi & Taſſi exemplis docet.

Altera notarum, eaque praecipua, mihi ratio fuit, ut ſi non omnia, pleraque ſaltem, quantum ratio hujus ſcriptionis patiebatur, carminum Lotichii loca conferrem cum poëtis antiquis, quos dexterrime imitatur, inſertis quibusdam animadverſionibus, quae vel ex Codicibus antiquis, vel ex conjectura locis veterum poëtarum productis & collatis nonnihil lucis ac medicinae adferrent, aut ex imitatione Lotichii aliorumque recentiorum veris ac genuinis lectionibus adſerendis calculum eorum adjicerent, ut nonnullis conatuum Criticorum ſpeciminibus apud viros doctos conpenſarem ea, quae illis forte leviora & notiora inſerui ſtudioſae juventutis cauſſa, ut reſuſcitarem poëticarum deliciarum guſtum, ad quas plurimorum palatum jam obbrutuit, cum ſuavitas poëſeos Latinae a plerorumque auribus fere receſſerit; conparatis non tantum veterum poëtarum locis ſimilibus aut adfinibus cum Lotichianis, ad rectae imitationis uſum demonſtrandum, ſed & additis plurimis recentioris aevi poëtarum exemplis, ratus me nihil ab inſtituto meo alienum praeſtare, ſi poëtam recentiorem ex recentioribus itidem illuſtrarem: quorum tamen illum delectum inſtituendum eſſe cenſui, ut neglectis vulgaribus & inferioris ſubſellii verſificatoribus unice rationem haberem illorum, quos in prima Parnaſi ſede collocarunt Muſae, quoſque a tenera juventute non indiligenti lectione mihi familiares reddideram. In his, quamquam e longinquo, ſecutus ſum veſtigia optimi poëticarum venerum arbitri, & poëtae quoque primi ordinis, Jani Broukhuſii, cujus commentandi ratio in notis Tibullianis ac Propertianis inſtituta, propter tot recentiorum poëtarum loca cum veteribus collata, minus quidem adprobata fuit nonnullis faſtidioſi & averſi ab his dapibus palati cenſoribus, licet nec Janus Douza uterque in ſuis ad Catullum & Tibullum Praecidaneis ac notis, nec P. Scriverius in notis ad Martialem, dedignati fuerint loca nonnulla Jani Secundi & noſtri ipſius quoque Lotichii cum antiquis illis poëtis conparare. Certe Broukhuſiani hi Commentarii, quemadmodum a perititſſimo nec imae caveae judice Ez. Spanhemio in Tom. I. de Praeſt. & Uſu Numiſm. Diſſ. IX. p. 657. a praeclaris cultiſſimae eruditionis, perpoliti ingenii, & ſingularis plane induſtriae, limatique judicii virtute commendantur, ita ſemper adeo mihi placuerunt, ut paucis eos imitandos opiner, qui tam

diſ-

diffusa & adcurata veterum ac recentiorum lectione, cum tam recto de studii poëtici dotibus judicio conjuncta, numquam instruxerunt sua adparatus elegantioris promtuaria, licet non negaverim plurima cum in Tibullo ac praesertim Propertio loca reliquisse intacta & praeterita, quae aliorum curas atque emendationes adhuc requirant; quemadmodum nulli poëtarum veterum interpreti contigit esse adeo felici, ut omnia exhauserit, neque aliorum ingenio atque industriae, etiam post uberrimam primae classis eruditorum messem, aliquod reliquerit spicilegium. Id sane adfirmare expertus ausim, numquam juventuti, cui felicior natura aptum ad poëticen ingenium largiri dignata est, commendari posse ullius viri docti Commentaria, ex quibus ad verum poëseos Romanae gustum incendi & inflammari ardentius possit, aut majori cum fructu supellectilem musicam instruere, vel felicius de imitationis poëticae artificio judicare addiscat; utilius certe, quam ex ullis institutionibus aut praeceptis poëticis, etiamsi ad systematicum ordinem exactissimum conpositis, cum sola fere ex omnibus disciplinis aut scientiis sit Poësis, quae per praecepta aut canonas, peritissimorum licet magistrorum, doceri nequeat. Quantum vero utilitatis ad studii poëtici exercitium conferant, neque jejunum aut aridum, sed copiosum & divitem Musarum cultorem reddant veterum ac novorum poëtarum conparationes, quibus eorum carmina, quae vel in eodem versantur argumento, aut quibus easdam elegantias, sed diversis orationis luminibus ac coloribus distinctas, exprimunt, perite inter se collata exiguntur, verissime his verbis idem Broukhusius docet in notis ad Tibullum Lib 1. El. 3. 35. *Poëtarum virtutes diversas contendere inter se, & variis eloquentiae luminibus distinctos colores, ut est eruditae voluptatis plenissimum, ita & bonae frugis plurimum confert ad facultatem decore & poëtice scribendi. Etenim qui adsueverit huic exercitationis generi, ei numquam deesse potest vel orationis ornatae supellex, vel illustre dispositionis artificium, vel imitandi ratio promta atque expedita.* & omnium eruditorum princeps Josephus Scaliger in notis ad Varronem de L. L. pag. 92. ubi versus Ennii cum Euripideis conparat, *Ponam*, inquit, *& alia quae conparabis cum verbis Euripidis: non enim in ejusmodi exercitationibus male horas collocari puto.* In his autem ceterisque Lotichio adjectis observatis si fortasse nimii aut ultra modum hic illic operosi fuisse videbimur, benignis tamen & peritis amoenitatum poëticarum aestimatoribus non fastiditas has dapes futuras speramus, veniamque daturos, si viri maximi Isaaci Casauboni verba in fine Persianae Horatii Imitationis hic nostra faciamus: *Nobis ille potius animum incessit metus, ne in hoc negotio diligentiores, quam par erat, fastidiosis & ἀψικόροις lectoribus videamur fuisse: solide doctos & candidos aestimatores non negaturos confidimus, hujusmodi sive μιμημάτων sive ξυνεμπτωμάτων observationem, & ad intelligentiam ipsorum poëtarum plurimum conferre, & hoc amplius ad recte instituendam veterum imitationem non mediocriter conducere.*

Cete-

Ceterum in digerendis Lotichii Poëmatibus fecuti fumus ordinem illum, quem in fuo apographo inftituit Hoogftratanus, quod in fine Libri Secundi Carminum definebat: cui Librum Tertium adjecimus, qui carmina Lotichii maximam partem juvenilia conplectitur, cum in vulgatis hactenus duo Carminum Libri, & quatuor tantum Elegiarum confpiciantur. Juvenilia enim illa Lotichii carmina in feparatum fafcem, ut & Eclogas, & prolixum in Nuptias Saxonicas Epithalamium, conjicere voluiffe Hoogftratanum opinor, cum illa in exemplari manu ejus exarato, quo totum ex editis defcripfit Lotichium, forte ut ejus genium inbiberet, non occurrant. Suis etiam locis, ubi id oportunum videbatur, inferuimus inedita vel ex Cod. MS. depromta, vel officiofa amicorum humanitate mecum communicata. Quos inter praecipue in Lotichianis λειψάνοις conquirendis & eruendis operam egregiam nobis praeftitit vir Clariffimus Chriftophorus Saxius, cui tres debemus Lotichii Elegias in nulla editione ante exhibitas, quas in noftra ἐκδόσει defiderari haud libenter voluiffem: primam nimirum ad Renatum Henerum, Bucolicis ejus Parifiis an. 1551. editis praefixam, quam inferuimus in fine Lib. v. Elegiarum: alteram Elegiam Gratulatoriam in Nuptiis Georgii Cracovii, Pomerani, & Sarae Bugenhagiae, filiae Johannis Bugenhagii, Pomerani, Witenbergenfis Ecclefiae paftoris quondam praeftantiffimi (de quo vide Camerar. in Vita Melanchth. pag. 364. & feqq.) quam exhibuimus Lib. III Carm. 25. Tertiam ferius acceptam in finem totius operis conjecimus, Epithalamium in Nuptias Ulrici Sitzingeri, & Annae Munfterae, filiae Sebaldi Munfteri, optimi & clariffimi Witenbergenfis Academiae, fed infelici fato abfumti, Jurifconfulti, de quo vide eumdem Camerar. pag. 181. & Melch. Adamum in vitis ICtor. Germ. pag. 33. Harum vero Elegiarum indicium mihi fecerat Niceronius, quo neminem fere Biographorum in operibus virorum eruditorum, quorum vitas defcribit, recenfendis, accuratiores contexuiffe catalogos haud facile deprehendas, in Memor. Gall Viror. Illuftr. Tom. XXVI. pag. 37. Eidem Saxio praeter Sebaftiani Kortholti Difquifitionem, an Lotichius praedixerit Obfidionem Magdeburgenfem, & Michaëlis Haflobii Eclogam, Alconis titulo infcriptam, de obitu Lotichii, acceptum quoque refero Phaloecium dedicatorium carmen Lotichii, quod praefigi debet ejus Elegiae in Natalem Servatoris noftri Jefu Chrifti, quae habetur Lib. IV. El. 6. quod quoniam poëmatibus omnibus jam excufis in manus meas demum inciderit, malui potius in fine eorum, licet loco non fuo, id adjicere, quam penitus omittere. Ex autographo autem defcripto ab exemplari in Bibliotheca Regia Drefenenfi exftante, conftitit mihi veriffimum effe, quod initio notarum ad illam Elegiam ex Chrift. Daumio monui, infcriptam fuiffe Viro Nobili Friderico a Folkerfum Livonienfi: titulus enim ille in apographo habebatur, *In Natalem Servatoris noftri Jefu Chrifti Elegia Petri Lotichii Secundi fcripta ad nobilem & generofum Dominum Fridericum a*

Folkersum Livoniensem an. 1550. *Witebergae*: praefixo Matthiae Stoji & Lotichii ipsius hendecasyllabo dedicatorio; unde patebit nullam aliam desiderari poëtae nostri Elegiam, sed hanc eamdem esse, ita ut a Matth. Stojo cum praemisso suo phaleucio Witebergae an. 1550. edita fuit. Duae autem ultimae Libri Secundi Elegiae, Gulielmo Hessorum Principis Filio, & Jacobo Micyllo inscriptae, ut & quindecim carmina, quae sub finem Libri primi Carminum adjecimus, ex Codice nostro MS. olim Uffenbachiano, derivata sunt. Praeter haec alia etiam Lotichii carmina inedita, sed pauca tamen, ni fallor, diligentiam nostram effugerunt, licet nullam operam in iis investigandis praetermiserim. Haec inter referendum est Epithalamium in Nuptias Johannis Penteri Carolostadiensis, & Elizabethae Asclepiae, filiae Nicolai Asclepii, Professoris quondam in Academia Marpurgensi, cujus carminis cum insigni Lotichii elogio meminit Asclepius ipse in Epistola ad Petrum Lotichium Abbatem Solitariensem, poëtae nostri patruum, scripta Marpurgi xv. Kal. Aug. an. 1545. quae habetur inter Opuscula Abbatis P. Lotichii pag. 104. cujusque verba exhibet Kortholtus in Disquis. de Obsid. Magdeb. a Lotich. praedict. §. vii. pag. 324. Tom. ii: huj. edit. *Misisti*, inquit, *inter alios, ad nos Petrum Lotichium Secundum, adolescentem egregium, qui ad carmen natus, naturae conjunxit industriam. Nec dubito, quin mediocres poëtas ita jam vix duodevigenti annorum aequet, ut mox sit cum summis regnaturus. Nihil in illo submissum, nihil non generosum, nihil non sublime & arduum. Qui qualis sit in me & meos, nempe generum meum egregium juvenem Joh. Penterum, Carolostadiensem, Joh. Draconitis Theologi summi nepotem, & erga filiam meam Elizabetham, illi desponsatam, Epithalamium ab illo erudite & docte conscriptum brevi tempore indicabit.* Carmen vero Lotichii, pro quo ad se misso Matthias Limpergius Patruo ejus Abbati gratias agit in Epistola, quae inter Abbatis Lotichii Opuscula legitur pag. 127. his verbis: *Quod pro inerudita mea Epistola tuo beneficio accipio eruditissimum numerisque omnibus absolutissimum carmen, Reverende Pater, gratias utrique ago, Petro poëtae, ut auctori, Tibi vero, ut omnium studiorum studiosorumque Maecenati.* Id, inquam, carmen ad Limpergium ipsum scriptum fuisse, atque in editis desiderari existimaveram in notis ad Lib. i. Carm. 15. Sed nunc adcuratius collata Abbatis Lotichii Epistola ad Limpergium, paullo ante illic praecedente, pag. 124. ubi dicit, *Mitto etiam, quae P. Lotichius ex fratre nepos, in Natalem Salvatoris nostri scripsit*: colligere licet esse Elegiam illam, supra memoratam, in Natalem Christi, quae exstat Lib. iv. Eleg. 6. quia illa scripta est an. 1548. ut habet editio Voegeliana, quo eodem anno exarata est illa Epistola, licet a Matth. Stoio biennio post Witebergae an. 1550, editam esse praeferat exemplar Dresenensis Bibliothecae: adeo ut nullum carmen Limpergio scriptum desiderari videatur. Ceterum dijudicare difficile est, an in vulgatis conspiciantur nonnullae Lotichii Elegiae ineditae, quas se possidere scribit Christ. Daumius in Epist.

ad

ad Hekel. pag. 52 & 88. Saltem in alia Epiſtola, quae legitur in Electis Epiſtolicis apud Heuman. Tom. III. Poeciles pag. 406. unum memorat, quod in editis non exſtat, diſtichon Lotichii in Luſus Poëticos diverſorum de cauſſis Nigredinis, collectos a Wendelino Helbachio, & Erfurdiae excuſos an. 1595. quod tamen quomodo tempori conveniat, cum Lotichius diem ſuum obierit anno 1560. non video. Carmina etiam nonnulla Petri Lotichii in quemdam Apoſtatam ſcripta, ſe in Bibliotheca Electorali Palatina vidiſſe ſcribit Gruterus in Epiſt. ad Joh. Petr. Lotichium, quae in hac editione occurrit Tom. II. pag. 302. & apud Heuman. Tom. III. Poecil. pag. 395. quibus verſibus forte invectum fuiſſe in Fridericum Staphylum Livonienſem, apoſtatam illius aetatis famoſum, conjicio ex iis, quae de Staphylo iſto ſcribit Camerar. in vita Melanchth. pag. 355. & 363. tum ex carmine Felicis Fidleri in effigiem Staphyli, quod habetur in Struvii Actis Literar. Tom. I. Faſc. 5. pag. 87. vide & de eo Clavem Epiſtolar. Melanchth. apud Joh. Chriſtoph. Wolfium in Supellect. Rei Epiſt. p. 323. & 328. Sed & alia forſan Lotichii carmina deperdita & amiſſa ſunt, quae in caſtris ſcripſit, cum Marti nomen dediſſet, ut ipſe indicare videtur Lib. I. Eleg. XI. vs. 57.

Deque tot amiſſis etiamnunc pauca ſuperſunt
Carmina, militiae tempore facta meae.

Quae ſuperſunt hodie, ita ut poſt inmaturum Auctoris obitum a Chriſtiano fratre, Joach. Camerario, aliiſque collecta, & in diverſis Lipſienſibus editionibus, quarum plures exſtant, quam quatuor illae a Schrebero in vita G. Fabricii p. 305. memoratae, exhibita ſunt, licet praeclara & elegantia, non omnia tamen a Lotichio ipſo ubique ultimam manum emendatricem ſubiiſſe, facile, ut alia mittam, adparet vel ex nonnullis lacunis, verſibuſque hic illic in poëtae ipſius ſchedis procul dubio vacuis relictis, quae ſi vitam ei produxiſſet numinis divini benignitas, caſtigare ac ſupplere in animo habuiſſe videtur. De iis ita cenſet Melch. Adamus in vita Lotichii in fine pag. 159. Tom. II. huj. ed. *Vacua denique in Elegiis Lotichianis loca alicubi occurrunt: ea ipſe vivus reliquit conſideratione quadam, ut non vulgares ſententiae, collocatione verborum ſingulari, ibi reponerentur. Nec fratri Chriſtiano, & Camerario, editionem parantibus, viſum fuit illas veluti lacunas explere.* Quemadmodum vero temeritatem illorum, qui verſus mutilos in antiquis poëtarum veterum codicibus, vel primis editionibus deſideratos, vel quos poëtae ipſi inperfectos reliquerant, ſuis laciniis adſutis interpolare auſi ſunt, merito ſemper damnarunt viri eruditi, ut de Joh. Jov. Pontano, ſuos verſus apud Catullum ſubſtituente, notum eſt Sannazarii Epigramma Lib I. Epigr. 13. quemque & Parthenium eo nomine traducit Muretus ad Catull. Epigr. 96. & de ſimilibus lacunis aliena liberalitate apud Tibullum intempeſtive ſuppletis vid. Broukhuſ. ad Lib. III. El. 5. vs. 17. & a-

apud Propert. Lib. II. El. 20. vs. 28. ita etiam non tantum mihi in recentioris poëtae carminibus licere opinatus sum, ac proinde illa, ficut erant, vacua reliqui, licet in notis animi magis & poëtici exercitii cauſſa aliquando ea ſupplere tentaverim. vide Lib. I. El. 10. 86. Lib. II. El. 5. vs. 18. & 77. & Eleg. IX. vs. 83. Lib. III. El. 7. 75. & Eleg. X. 29.

Alterum Editionis hujus novae, & ceteris omnibus longe locupletioris, Tomum auſpicatur Petri Lotichii Deſcriptio Hiſtorica, ſtylo ſoluto exarata, de inmaniſſima & nefaria caede Epiſcopi Herbipolenſis Melchioris Zobelli, quem in juventute ſua militiae ſocium auctor habuerat. Eam ex Collectaneis Simonis Schardii in codice ſuo MS. deſcripſerat Joh. Petr. Lotichius, ut vero auctori adſereret, nam prodiiſſe olim ſine Lotichii nomine inde adparet, quod Jac. Burckhardus in Hiſtor. Biblioth. Auguſt. Wolffenbut. Part. II. cap. 2. pag. 92. ubi memorat Caſparum Stiblinum carmine heroico, & Conr. Dinnerum Elegia & Epitaphio Graeco hanc Zobelli caedem deſcripſiſſe, addat *illa* Baſil. 1561. edita, in Bibliotheca Auguſta ſervari, adjecta hac Hiſtorica Deſcriptione, incerto ſcriptore: ſed Ducem ipſum manu ſua adſcripſiſſe, auctorem eſſe Petrum Lotichium Secundum. Gruterus etiam in Epiſt. apud Heumann. Tom. III. Poecil. p. 395. dicit ſe in Bibliotheca Electorali Palatina vidiſſe hanc Hiſtoricam Narrationem, non addito Auctoris nomine, ſed adſcripto ab illo, cui ea dono data fuerat. vide & Heumann. de Anonym. & Pſeudonym. pag. 172. Hoc vero Lotichii ſcriptum, ut & Epiſtolae ejus, & praeſertim Dedicatio primae Elegiarum & Carminum editioni Pariſinae praefixa, & Dan. Stibaro inſcripta, demonſtrant auctoris ſtylum lege metri ſolutum penitus ad Ciceronianum ſcribendi characterem efformatum fuiſſe.

Libros Epiſtolarum duos, a Lotichio ipſo, vel ad eum a viris illius aetatis illuſtribus ac doctis exaratos, exhibui ita ut in Codice ſuo MS. eos digeſſerat Joh. Petr. Lotichius, praeterquam quod Supplementum undecim Epiſtolarum ab auctore ad Patruum Petrum Lotichium Abbatem Solitarienſem ſcriptarum addidi, quae excerptae ſunt ex Abbatis illius Opuſculis ab eodem nepote Joh. P. Lotichio editis Marpurgi Cattorum an. 1640. in 8°. quibus tres Joach. Camerarii ex illius Epiſtolis adjunxi, quia eas in hac collectione deſiderari videbam. Plures nanciſci non licuit, quamvis & alias ſcripſiſſe dubitandum non ſit; ut mutuas P. Lotichii & Eraſmi Neuſtetteri Epiſtolas memorat Modius in Praef. ante Lect. Nov. Antiq pag. XI. & Codicem Epiſtolarum Lotichianarum in ſua Supellectile Rei Epiſtolicae & Literariae recenſuit Celeberrimus hoc ſeculo apud Hamburgenſes Joh. Chriſtoph. Wolfius pag. 204. & 205. cujus codicis notitiam, diligenter enotato ſingularum P. Lotichii Epiſtolarum initio, quum ad me humaniſſime transmiſiſſet Frater ejus Clariſſimus & eruditiſſimus Joh. Chriſtianus Wolfius, omnes eas in hac noſtra Sylloge conparere deprehendi. Illius Abbatis Solitarienſis Petri Lotichii,

chii, Patrui fui, cujus rara & hodie vix obvia Opufcula modo memoravimus, optimae inftitutioni & fedulae educationi primas literarum elegantiorum delicias a pueritia guftatas acceptum referre debuit poëta nofter, cujus Patrui Coenobium omnis doctrinae ac Religionis a faece Superftitionis purgatae feminarium munificentiffimum, crudo praefertim illo & periculofo tempore, fuiffe patebit ex Indice alumnorum egregiorum, qui ex hac bonarum Artium officina prodierunt, quem exhibet Joh. Petr. Lotichius in vita optimi Abbatis pag. 28-34. Verum autem ac genuinum Lotichiorum familiae, cui propriam & quafi innatam fuiffe poëfin dicit Melch. Goldaftus in Dedic. Notar. ad Petron. nomen fuiffe *Loticium*, & vernaculo idiomate *Lotz*, fed deinde mollita pronuntiatione *Lotichios* dictos, docet Conr. Bachmannus in Epift. ad Joh. Petr. Lotichium fcripta, apud Heumann. T. III. Poecil. p. 396. *Quod majores tui nomen fuum duriufcule & fcripferunt & enuntiarunt, mirum non eft. Secuti enim plerumque funt pronunciationem genuinam. Nam ego novi qui fe Lotichios jam fcribunt, quorum genuinum nomen eft* Lotz. *Cum nuper Marpurgi prima Academiae matricula in manus veniret, vidi an.* 1544. *infcriptum effe Petrum Loticium Solitarienfem. Ibidem Abbas Solitarienfis vocatur Petrus Loticius.* Ad hujus vero Patrui fui diftinctionem, quia cum illo nomen idem fibi commune erat, a prima adolefcentia adpellari nofter voluit *Petrus Lotichius Secundus*, ex imitatione Plinii inter veteres, qui ad differentiam Avunculi Plinii majoris, rectius *Plinius Secundus*, quam *Plinius Junior* audit, quia *Junioris* vocabulum Filium potius a Parente feparat: Quapropter his exemplis conmotus ipfe, & faepe a Venerando Patruo meo Petro Burmanno, amicifque admonitus, errorem corrigere, & ne qualiacumque ftudiorum noftrorum conamina Patruo, ut factum memini, perperam adfcriberentur, eamdem diftinctionem, neceffitate magis quam inepta ambitione actus, in pofterum quoque adfcifcere malui; quod hic in tranfitu monere neceffe duxi, ne quis id putidae Lotichium adfectantis aemulationi forfan maligne adfcriberet.

Epiftolas excipit Vita P. Lotichii, defcripta a diverfis auctoribus, fed omnium luculentiffime a Johanne Hagio, fummo ejus & conftanti amico, cujus prolixiorem Narrationem contraxit quafi & in conpendium redegit Simo Stenius Lomacenfis, Hiftoriarum & Poëtices quondam Profeffor Heidelbergenfis, tum a Melchiore Adamo, Silefio, a vatis nepote Joh. Petr. Lotichio, qui omnes accuratiffime ejus vitam, ftudiorum curfus, itinera erudita, fataque in tam brevis aetatis ftadio non vulgaria, & immaturum magni poëtae obitum enarraverunt: Quorum induftriae fi addantur illa, quibus Lotichium pofteritati commendaverunt Freherus in Theatro Virorum Illuftrium, Morhofius in Polyhiftore, Niceronius in Memoriis Gallicis Virorum Eruditorum, & diligentiffimus omnium Baylius in Hiftorico fuo & Critico Lexico, aliique vel Biographi vel Elogiorum fcriptores, quos indicavi in nota ad Tom. II. pag. 360. nihil amplius quis requiret, quod ad uberiorem vitae aut laudis Lotichia-

nae commendationem facit, nisi forsan hic jacturam fecisse dicatur ejus memoria, quod meditatam Petri Fratris sui vitam, quam propius inspexerat & in numerato habebat, non ediderit Christianus Lotichius, quae si extaret, saltem patientius ferre possemus desiderium Vitae Lotichianae, quam adornasse & publicae luci exponere voluisse Janum Broukhusium scribit Kortholtus in Disquis. de Obsid. Magdeburg. a Lotich. praedict. §. VII. pag. 325. & ex eo Schreberus in vita G. Fabricii pag. 305.

His subjunguntur Adoptivorum Libri Tres, quibus carmina amicorum honoris ergo ad Lotichium scripta, & praecipue Funeralia, atque Elogia defuncti memoriae ingenti numero consecrata uno quasi fasciculo conprehenduntur, e quibus patere potest, quam communi luctu tota quasi Germania, & omnis orbis eruditus, funestum nationis suae ac temporis illius poëtae principis, licet juvenis vix annum aetatis trigesimum secundum praetergressi, Musisque acerbissimum obitum veris lacrimis defleverit: quas partim amicorum partim discipulorum gratissimas manibus Lotichianis inferias in unum collegerat, qui moribundi oculos clausit, humerisque suis elatum terrae mandavit, Johannes Posthius Germershemius, & ipse utraque Apollinis lauru insignis, libello tenui ac jam fugitivo, Heidelbergae edito an. 1560. quo supremum diem Lotichius clausit, praemissa Epistola ad Virum Illustrem Erasmum Neustetterum, quae legitur inter Epistolas Lotichii Lib. II. Epist. 3. Hunc rarum fasciculum Funeralium in obitum Lotichii Carminum mecum humanissime communicavit Amplissimus Gerardus Meermannus, elegantioris Themidis laude, & Syndici Roterodamensis honore conspicuus, cujus comitati debitas gratias agimus, licet omnia illa Epicedia, sed alio ordine digesta & auctiora, ex Codice Joh. Petri Lotichii jam typis descripta essent, quum libellum illum polita epistola comitatum nobis mitteret.

Praeter alia his adnexa non negligenda esse arbitratus sum ea, quae de Lotichio disseruit Sebastianus Kortholtus in Disquisitione de Enthusiasmo Poëtico Kiloni an. 1696. edita, quam mihi suppeditavit Musarum apud Franequeranos delicium Johannes Schraderus; cui adjunxi ejusdem Kortholti Disquisitionem, Baylio oppositam, & Kiloni an. 1703. ventilatam, quam Clarissimo Ultrajectinae Academiae Professori Christophoro Saxio debemus, qua examinat, utrum Lotichius Obsidionem urbis Magdeburgensis vere praedixerit celebrata illa Elegia, ad Camerarium scripta, quae exstat Lib. II. Eleg. 4. cui quum in Tom. II. Poeciles suae Clariss. Heumannus in Academia Gottingana publice hoc seculo opposuerit contrariam Dissertationem, qua somnium illud Lotichii tantum poëticum fuisse contendit, eam quoque minime rejiciendam duximus, cum in notis ad Elegiam ipsam praecipuas utriusque partis sententias excussimus. Neque omnino praetermittere volui Joh. Dav. Schreberi

beri praefationem, nonnulla ad Lotichium ſpectantia continentem, ex editione Dresdenſi anno hujus ſeculi ſecundo forma minori excuſa; quam libenter in noſtros uſus conceſſit eruditae & honoratae gentis ſuae inſigne decus Vir Ampliſſimus David Royenus, Concilio Statuum Belgii a Secretis.

Agmen claudunt Virorum Eruditorum de P. Lotichio Teſtimonia & Elogia, frontem operis alias decorantia, quae in unum collecta concinnavit Joh. Petr. Lotichius uſque ad pag 355. reliqua enim iis addita uſque ad pag. 362. ipſe adjunxi, ut & Elogium Auctoris ex Actis Academiae Heidelbergenſis a Cl. Chriſt. Bruiningio inde transmiſſum, & Mich. Haſlobii Eclogam de obitu Lotichii, a Cl. Saxio ſerius acceptam, nec non Dedicationem Poëtae ipſius ante primam Carminum ſuorum editionem Pariſinam, ne quid deſideraretur. Denique & vera nec ſuppoſititia P. Lotichii Secundi Imagine, nemini fere in his terris viſa, editionis hujus novae limen exornavimus, aeri inciſa ab elegantiore artificis apud nos primarii manu ad ectypum olim a Joh. P. Lotichio addito ſuo Epigrammate editum, qui imaginis iſtius meminit in Epiſt. ad Gruter. apud Heuman. Tom. III. Poecil. p. 397. ubi ſcribit: *Mitto Petri Lotichii Secundi, Patrui magni, effigiem aeri inciſam. Molior ejusdem Operum editionem auctiorem. Quibus addam P. Lotichii Abbatis Solitarienſis, & Chriſtiani Lotichii avi mei opera.* vid. ad Lib. I. Carm. 36. ubi habetur illud Epigramma, quod ipſe poëta in imaginem ſuam ſcripſit, eique etiam ſubjiciendum curavi. Hanc effigiem, diu fruſtra mihi quaeſitam, proxeneta & parario juvene erudito, & ad ſumma quaevis felicibus paſſibus adſpirante, Nicolao Bondtio, inpetravi a comitate Viri Doctiſſimi Philippi Ludovici Lotichii, apud Neomagenſes Gymnaſii Moderatoris meritiſſimi.

His omnibus ſi de Lotichio ipſo, totius Germaniae Poëta principe, adeoque de Germanis ipſis, qui deliciis poëticis ſuum pretium ponere norunt, tum de juventute ingenua Muſis conſecrata, revocato in ſplendidiorem lucem atque in perfectiſſimum conſummati poëtae exemplum iis propoſito P. Lotichio Secundo, bene promeriti fuiſſe dicemur, operae & laboris ei inpenſi, quem in receſſu majorem ſenſi, quam prima fronte ſperaveram, pretium tuliſſe me exiſtimabo, quodque mihi ad majora tentanda ſtimulos haud leves addat. Mihi ſane, quemadmodum ſumma animi alacritate manum huic operi ac poëticis his lucubrationibus admovi, numquam fere horas a publico munere vacuas vel in Urbe jucundius transactas, aut in amoeniſſimo villae Santhorſtianae ſeceſſu beatius feriatum effluxiſſe tempus memini, quam quod concinnandae notiſque adornandae huic Poëmatum Lotichianorum editioni, forſan non ſine aliquo illorum, qui elegantiis his capiuntur, fructu collocavi, & veriſſima expertus ſum ea, quibus ſtudii poëtici amoenitatem omni aetate, loco, ac tempore alumnos ſuos comitantem taedioſis aliarum diſciplinarum curis & moleſtiis laborioſis opponit Cicero Orat. pro Archia cap. VII. *Ceterae neque temporum ſunt,*

neque

neque aetatum omnium, *neque locorum. At baec ſtudia adoleſcentiam alunt*, *ſenectutem oblectant*, *ſecundas res ornant*, *adverſis perfugium ac ſolatium praebent*, *delectant domi*, *non inpediunt foris*, *pernoctant nobiſcum*, *peregrinantur*, *ruſticantur.* Neque tantum privatim haec jucunda, ſed publice etiam utilia & glorioſa ſunt. Certe, licet aliarum ſcientiarum ac diſciplinarum cultoribus ſuus numquam fraudandus ſit honos, his tamen elegantiorum literarum, & praeſertim Eloquentiae ſolutae vel ligatae ſtudiis non exiguam ſive Urbi noſtrae ſive illuſtri ejus Athenaeo, primum a Voſſio Barlaeoque, deinde a Broukhuſio, Francio, Dorvilliisque famam & celebritatem conciliatam eſſe nemo inficiabitur, quorum Ducum veſtigia egregia, quae tamen e longinquo tantum venerabundi adoramus, ſi non omnino infeliciter preſſiſſe, & non degener ſucceſſor veram juventuti Muſarum ſtudioſae ad cultioris doctrinae adyta laudabili ſaltem conamine viam monſtraſſe rerum peritis judicabor, voti ſummam me conſecutum cenſebo, cujus honeſtae ambitionis laudi ac fructui licet ſaepe obſtiterit perverſa Muſisque exitialis aliorum per devios amfractus ad Barbariem graſſantium ſcaevitas, numquam tamen a vero hoc & magnis viris calcato ſemper tramite deflectendum proprio exemplo praeire conabimur; ne de patrio Amſtelaedamenſium Athenaeo noſtra culpa jure queri quisquam poſſit, quod de Athenienſium Lyceo doctrinaeque ſtudiis apud eos ſuo tempore evaneſcentibus Cicero Lib. III. de Orat. cap. XI. *Athenis jam diu doctrina ipſorum Athenienſium interiit*, *domicilium tamen in ea urbe remanet*; *ſtudiorum*, *quibus vacant cives*, *peregrini fruuntur*, *capti quodammodo nomine Urbis & auctoritate.*

Vale, Lector benevole, atque his fruere, &, ſi Muſas amas, Lotichii manibus bene precare. Dabam Amſtelaedami d. XII. Junii CIↃIↃCCLIV.



IN

IN

NOVAM EDITIONEM OPERUM

PETRI LOTICHII SECUNDI,

POËTARUM GERMANORUM PRINCIPIS,

A

PETRO BURMANNO,

POËTARUM NOSTRI TEMPORIS NULLI SECUNDO,

CURATAM.

Qui favet antiquis tantum, plauditque Poëtis,
  Jure quibus Grajis aemula Roma tumet;
Sacrilegaque novis dicit convicia lingua,
  Ausoniae chordas qui tetigere lyrae:
Illius aeterna ferrugine pectora Livor
  Inbuat, & stimulis concitet usque suis;
Famaque, quae patrio vates adscribit Olympo,
  Damnatum Stygia nocte latere sinat.
Nam, nisi sera suis fraudatur honoribus aetas,
  Et nasci nostro tempore crimen habet;
Ingenio vates, & carminis arte recentes
  Non minus antiquis promeruere decus.
Si Venus heredem Latio dedit alma Philetae,
  Cujus ab ingenio Cynthia nomen habet;
Diva dedit dulcem, quem protulit Haga, Secundum,
  Cujus ab ingenio Julia nomen habet.
Cum molli caneret Jovianus carmine Bajas,
  Eripuit palmam paene, Catulle, tibi.

† Nec

Nec timuit caro concurrere ſaepe magiſtro
  Naugerius, Veneta nobilitate potens.
Quis, captus numeris teneri Sulmonis alumni,
  Deſpiciat Walli, Franciadaeque modos?
Lotichii tantum genio Germania debet,
  Carminibus quantum Roma, Tibulle, tuis.
Non negat hoc Nemeſis, non invidioſa Neaera,
  Primaque amatoris Delia cura vagi.
Non negat hoc, raris quae viſa prioribus annis
  Nudavit vati pectora tota, Venus:
Non Erato, vitreos dignata recludere fontes,
  Naſo quibus ſitiens proluit ora prius;
Quosque bibit, Claria praeſtantior arte, Secundo
  Judice, Caſtaliae fama Tibullus aquae.
Quid? quod, inacceſſos audax haurire liquores,
  Laude pari coluit carminis omne genus?
Quid? quod Idumaea velatum tempora cedro
  Uranie docuit digna Tonante loqui?
Nunc mihi, Roma, tuos, quantum libet, objice vates:
  Juſtius hoc uno Teutonis ora tumet.
Qui vigor ingenii! quam copia larga canendi,
  Luxuriae vitans ſed tamen uſque notam!
Qui nitor eloqui! nativo culta decore
  Negligit externum caſta Thalia decus.
Sermo fluit purus, vitreoque ſimillimus amni,
  Qui liquidas parvo murmure volvit aquas.
Barbarus eſt, qui non teſtudine tangitur aurea,
  Parrhaſias potuit quae tenuiſſe feras.
Inſolitos certe noſtro ſub pectore motus
  Gratia flexanimi concitat uſque ſoni.
Si levibus caſtos fidibus committit amores,
  Inflammant tacitae frigida corda faces:
Oſcula ſeu jungat, patrios ſpatiata per hortos,
  Vulnera quae vati Claudia prima dedit;

Seu

Seu male ſopitos laudata reſuſcitet ignes
Callirhoë, ducit dum tunicata choros;
Seu Panaris toto depellat pectore ſenſus,
Euganeas forma praeradiante nurus;
Argutis rapiat ſeu candida Phyllis ocellis,
Ruſtica, ſed magno Principe digna nurus.
Si genus Heroum celebrat, Regumque nepotes,
Tolle tuum, clamo, dure Tibulle, melos.
Flebile ſi carmen paſſis Elegia capillis
Praeſcribit, lacrymis ora ſinuſque madent.
Laetitiae ſaliunt jucundo pectora motu,
Cum referunt dulces aurea plectra ſonos.
Si juvat Andina carmen tenuare cicuta,
Judice vel Fauno ſumta cicuta decet.
Si canit herbarum vires, uſusque latentes,
Quos dederat medicae ſcire repertor opis;
Luſtrat & Euganeos colles, agrosque ſalubres,
Quamque ſecat placido flumine Laedus humum;
Ipſe mihi videor pictis errare viretis,
Et cupido Florae regna ſubire gradu.
Si Libani colles rapiunt, Helicone relicto,
In juga divino pulſa canore feror.
O quoties, teneris dum talia perſonat annis,
Suſtulit e patrio Cynthius amne caput!
O quoties curſum Moenus ſuſpendit aquarum,
Atque hilares plauſus Naïas uda dedit!
Saepe ferox Albis requievit murmura moti
Gurgitis, Auſoniae captus amore lyrae.
Carmina ſaepe Padus permulſa combibit aure,
Faſſus & electro purius ire ſuo.
Sequana, regali cycnos nutrire fluento
Suetus, olorinis praetulit illa ſonis.
Quod niſi ſors juvenem terris rapuiſſet iniqua,
Nullus Apollinea clarior arte foret.

† 2 Sic

Sic quoque vix vatum multis in millibus unum
  Invenias, qui se postulet esse parem
Paene tamen tenebris neglecta latebat in imis
  Cernere Romanum digna Thalia diem;
Sidereumque decus maculis foedata tegebat
  Vestis, & Aonium pulvis habebat ebur.
Hoogstratana situm detergere cura parabat:
  Obstitit inceptis Parca maligna piis.
Indoluit cultum felix aequare Secundum
  Burmannus, Clarii gloria summa chori;
Majorique sacram stimulatus Apolline mentem
  Absolvit longo secla pudore sua.
Ille recollegit populos spargenda per omnes
  Scripta, nec indigna nocte latere tulit;
Dexter & antiquis vitam, lucemque Poëtis
  Reddere, quos rerum maxima Roma dedit,
Plectra novi vatis parili dignatur honore,
  Candida quem Latiis cedere Fama negat.
Jamque gerens alios, posito squallore, paratus
  Optatum properat Musa videre diem;
Quaeque peregrinos audebat spernere comtus,
  Exsultat Batava jam veneranda stola;
Nativoque prius cultori grata decore
  Lumina cunctorum, quo rapiantur, habet.
Fallor? an & memores tangunt nova gaudia manes,
  Gestit & officio nobilis umbra pio?
Phoebeique sacro celebratus carmine cycni
  Elysii vates laetior arva colit!
Quicquid id est, vigilis monumenta perennia curae
  Praemia jucundo digna labore manent.
Broukhusius campo currus agitavit in illo,
  Nobilis intacta fronde ligasse comas.
Altera, Pieridum manibus contexta decoris,
  Haerebit capiti, Petre, corona tuo.

Lu-

Lumine purpureo radiantia carmina magnum
  Nomen ab Aonio, qua patet, orbe ferent.
Ante tamen cunctos, Germana per oppida vates
  Muneris auctorem voce favente canent.
Plaudet ab äeria Parnasi Delius arce;
  Plaudet ab Assyriis collibus usque Venus.

JOHANNES SCHRADERUS.



PETRO BURMANNO
ELEGIA.

PETRE, quod a Batavis mihi Fama renuntiat oris,
  Lotichium pulcris te dare velle typis:
Gratulor, & merito tibi plaudimus, exeat io!
  Exeat, & coeptis plaudat Apollo piis.
Auſpice te culti ſuaviſſima Muſa SECUNDI
  Tollat honoratum paene ſepulta caput.
Nec titulus minio careat, nec charta nitore,
  Sculptor & egregium plurimus ornet opus.
Si potes, effigies fac adſit amica SECUNDI,
  Cingat amatori bina puella latus.
Et quam Felſineâ bonus hoſpes amavit in urbe,
  Et quae Maenalii culta ſub axe poli.
Quaeque necis cauſa eſt, inamabilis illa Meduſa,
  Toxica prô vati quae dedit atra tuo!
Illa quoque infelix, dira appingatur imago,
  Sed furia & laceras anguibus hirta comas.
Si cupis, horriſono vetulam laceremus ïambo,
  Oſſaque ſub Stygia devoveantur aqua:
Ira det ingenium: ſontemque aſperrimus umbram
  Dilaniabo, nigri regna ſub ima Dei:
Scilicet immeriti fatum crudele SECUNDI
  Incitat, & Muſae vindicis arma probet.
Sed quod fecit Amor, non eſt reprehendere tutum,
  Ne furat in puero, ſi vetuliſque nocet.
Tutius eſt laudare. fac, adſit imago STIBARI,
  Accipiat numeros & petat illa meos.
Ille ſub Herciniae juga natus inhoſpita ſilvae,
  Sanguine barbarico Pollio natus erat.

Pol-

Pollio Francus eques! Secura mente jubebat
  Lotichium Muſas eloquiumque ſequi.
Lumine munifico adjutus! Pariſinaque Tempe,
  Doctaque Monspelii culta Licaea petit.
Deinde etiam Latii miſſus felicis in oras,
  Occinuit tumulo carmina, Bembe, tuo.
Occinuitque, Padus quod adhuc, Nymphaeque Timavi,
  Felſineisque canit docta puella jugis.
Scilicet ad ſummae faſtigia venerat artis,
  Factus & exemplis editiorque loco!
Nam locus, o BURMANNE! locus niſi laetus amoenus
  Faverit ingenio, carmina nulla canas.
Ipſe mihi exemplum videor, qui mollia forte
  Forte (favente loco) Lotichiana darem.
Sed nimis ingenium Boreas, nimis aſperat Eurus,
  Inſultant animo Pleïadesque meo.
Longa nivalis hyems, quae me tulit ora poëtam!
  Me premit, urget, agit longa nivalis hyems.
Erigar exemplis? ut cochlea currere diſcit,
  Semper in exiguo cochlea clauſa cavo.
Proderit? obteritur. Sed, quando quid edere conor,
  Ridetur miſerum, quod legit unus, opus.
Nomen adoratum quondam, nunc ſaepe procaci
  Monſtratus digito paene poëta jacet!
Paene jacet, ſaltem noſtra Grunonis in urbe;
  Amſtela BURMANNO ſurgit amica ſuo.
Amſtela ſurge, precor, ſic dum colis aequa poetas,
  Nec noceant nebulae, nec tibi triſtis hyems.
Francius & numeros implens Broukhuſius Umbri,
  O ita quam portus, quam tua templa decent!
Illaque cum tulerit, cum ſera redegerit aetas,
  Vaſtaque Perſepolis, vaſtaque Memphis eris.
Gloria ſola ſuper, caput exſeret alta ruinis,
  Gloria, Pieriis quae tibi parta viris.

Sic

Sic nihil aeternae jam ſint niſi nomen Athenae,
  Theſeidumque tholi Palladiumque ruit.
Rudera cara tamen: decus eſt pretiumque ruinis.
  Nare per Aegeas non timet hoſpes aquas.
Stat procul, & Pyraea pia de puppe ſalutans,
  Arces, ſacrae arces cur periiſtis? ait.
Sed ſubit ah! lapidemque gemens dum colligit, horret,
  Alcaeique animam ſentit ineſſe loco.
Non ſecus Amſtelias quondam qui viſerit oras,
  Broukhuſii cineres Franciadaeque petet.
Oſſaque BURMANNI leget, inventoque ſepulcro
  Heu quantus vates hic quoque, dicet, erat!
Hic Patrui coluit, Patruo felicior, artes,
  Hic coluit Charites, intuleratque ſcholis.
Hic cultisque mares elegis mulcentibus aures,
  Amſteliae cecinit nomina prima togae.
Hic pius & Muſis Fortunae dona rependens
  Lotichium ediderat, Lotichiusque fuit.

G. N. HEERKENS.

Groningae 25. *Martii*
1754.

CLA-

CLARISSIMO VIRO

PETRO BURMANNO SECUNDO,

CULTISSIMA

PETRI LOTICHII SECUNDI

CARMINA EDENTI.

Petre, Medusaeae certissima gloria lymphae,
  Grande decus Clario, magne poëta, choro.
Quo caput Ya pater tollit, quo sospite salvos
  Franciadas credit, Broukhusiosque sibi.
Quem stupet Amsteliae cantantem Naïas undae,
  Et cupida argutos combibit aure sonos.
Seu modo Pegaseo lymphatus Apolline pandas,
  Corda quis inflammet nobiliora Deus:
Seu modo, Peligno vati comitatus & Umbro,
  Idaliae peragras avia sacra Deae.
Basia nunc etiam dominae mellita Secundus
  Qua rapit, & culto pectine rapta canit.
Tranquillosque tuus Lotichius exigit annos,
  Atque agitat festos umbra beata choros.
Integer, & qui nunc, te conciliante, decoro
  Lotichius cultu prodit in ora virûm.
Qui quod livor iners, quod lux longissima lusus
  Juris in eximios possit habere nihil,
Vivat at aeternum genialis gratia venae,
  Burmanni agnoscit muneris esse sui.


†† Quod-

Quodque locum Heroäs, qualem meret, occupet inter,
  Laetus in Elysiis tempora tollit agris;
Et, simul accedas illis novus incola campis,
  Quae capiti imponat, laurea serta parat;
Interea gratae solvit tibi pignera mentis,
  Tangit & in laudes plectra diserta tuas:
Et qualem liquidi Philomela in margine Rheni,
  Et qualem ad gelidas aüdiit Ister aquas;
Talem BURMANNI referentem encomia plectri
  Et stupet, & plausu turba beata probat.
TE quoque, divinis non inficianda poëtis,
  TE, BURMANNE, vetat fistula grata mori.
Eripere obscurae temet tibi contigit urnae,
  Praecipitem & Lachesis fallere posse colum.
Quemque jubar secli praesentia tempora nostri,
  Conspicuum agnoscet postera turba Deum.
Per TE Pierides neglectae, abitumque minatae
  Sistuntur Batavo, vir generose, solo.
Promtior o bijugi per TE via ad ardua Pindi
  Castaliae & cuivis jam patet humor aquae.
En sequor, o BURMANNE, comes, praeeunte sacrati
  TE mihi contingat summa tenere jugi!
Hauriat o sanctos avide mea Musa liquores!
  Ut memoret dotes officiosa tuas.
TE patrium nemus omne, & saltus audiet omnis,
  Qua Trajectinam Vechta pererrat humum.
TU modo dexter ades in vota vocantia! blando
  Et facilis nutu signa secunda refer!
Forte tuo plenus praecordia numine, condam
  Quae valeant culta posteritate legi.
At Tu, qui tanto plaudis, pater Amstela, vati,
  Amstela Pierio nobilis unda choro.
Sorte tua felix, lymphaque beatior omni,
  Seu modo, Rhene, tua; seu, Tiberine, tua;

V-

Vtere; & o, numeris cujus tua nomina debes;
  Burmannum gremio perge fovere pio.
Depositum coeli, per quem sua fama poëtis
  Est super antiquis, est sua fama novis.

HERMANNUS OOSTERDYK
Joannis Filius.



AD

VIRUM CELEBERRIMUM,

PETRUM BURMANNUM SECUNDUM,

CUM NOVAM

PETRI LOTICHII SECUNDI

POËMATUM EDITIONEM PARARET.


Quae quondam Clarios jactabas splendida vates,
Montis & Aönii sidera, Roma sile.
Roma sile. Patrios plausu celebrare Poëtas
Desine. Sit Batavis haec tua fama locis.
Est tibi, quod fateor, facundi vena Propertî,
Cynthia quo nitidum vindice parta decus.
Est tibi & ad teneros satis ingeniosus amores
Naso, Romuleae gloria prima chelys.
Sic Cypridi Latias tentabat jungere Musas,
Doctus & ad Veneris tela Catullus erat.
Est tibi praeterea tersi celebranda Tibulli
Musa, vel a sero digna nepote cani.
Suntque alii patulâ redimiti tempora lauru,
Qui sibi perpetuum celsa tropaea locant.
Attamen & fausto Batavi sub sidere nati
Traxerunt doctas in rata vota Deas:
Et patriis jactant fulgentia nomina fastis,
Pressa quibus Clarii culmina montis erant.
Sunt hic Douziadae, sacroque est percitus oestro
Grotius, eximium carminis arte decus.

Basia

Basia divini celebravit vena Secundi,
Atque habet aeternum Julia grata decus.
Hic sunt Heinsiadae, bifidi duo sidera Pindi,
Quos dedit antiquis Belgica laeta pares.
Baudius hic, lepido vel qui celebratur ab ore
Barlaeus, nitidis surgit ad alta comis.
Hic decus a docto sentit Galatea Relando,
Unica Acidaliae par Galatea Deae.
Francius Ausonia dum tentat arundine carmen,
Detinuit cursus, Amstela, saepe tuos.
Ya pater vitreis laetus caput extulit undis,
Broukhusius comto dum canit ore melos.
D'Orvilius, Clario tutus sub tegmine, Musas
Duxerat ad Batavos ex Helicone Lares.
Sed tamen ante alios Burmannae sidera Gentis
Tentant Pïërium demeruisse decus.
Ille, Batesteini quo vindice culmina surgunt,
Erexit famae celsa tropaea suae.
Seu felix vario deducat carmina plectro,
Seu canat Arcadiae turpia monstra novae:
Tutior invidiae risit furibunda minacis
Tela sub auspiciis, candide Phoebe, tuis.
Tu quoque nunc patrii felix, Vir magne, Lycei
Sidus, & Amsteliis inclyta cura tuis:
Aönidum sublime decus, tenerisque Camenis
Deliciae, docti splendor amorque chori:
Tu Patrui Patrisque tui vestigia servans,
BURMANNE, aeternum nobile nomen habes.
O quoties lepido modulantem carmina plectro
Te stupuit, numeris Amstela capta Tuis.
O quoties gelido latitantem flumine frontem
Extulit ad tantos naviger Ya modos.
Hinc quoque virtutis vel aviti nominis heres
Insigis docto parta tropaea tholo.

Te canit, eximio celebratque *Valesius* ore,
 Vindice Te laetus surgit ad astra suo.
Heinsius & Critici per Te monumenta laboris
 Post obitum docto gaudet ab orbe legi.
Magnaque divini te extollunt plectra *Maronis*,
 Nuper ab exsequiis, Te duce, rapta suis.
Quod deerit famae, grato mox conferet ore
 Lotichius, Latii carminis arte potens.
Cantavit celebrem quondam Germania Vatem;
 Et stupuit citharae grande sonantis epos.
Tu nunc ad Batavos deducis tanta Penates
 Nomina, quae placido mox colet ore nepos.
Attamen in varias traxit sententia partes.
 Et mens ambiguis fluctuat usque modis.
Debeat an grates vati pia Musa canenti,
 An grates meritis debeat illa Tuis.

HENR. JOANN. ARNTZENIUS
JOANN. FIL.



J A-

VIRO CELEBERRIMO,

PETRO BURMANNO SECUNDO,

NOVAM POËMATUM

PETRI LOTICHII SECUNDI

EDITIONEM CURANTI.

BURMANNE, antiqui digniſſime nominis heres,
Vera Poëtarum gloria, dulcis amor!
BURMANNE, illuſtris Praeſes columenque Lycaei,
Amſtela ubi nitidum tollit ad aſtra caput!
Doctrinae lumen, doctorum candide fautor,
Optime diſcipulis duxque comesque tuis!
Quas Tibi conceſſit dotes natura benignas,
Non ſinis ignavo delituiſſe ſitu.
Non jam partus honos, meritaeve inſignia ſpartae
Munera, non Procerum ſufficit ipſe favor.
Cur lentus ceſſes docto prodeſſe labore,
Otiaque aetatis deſidioſus agas.
Publica ſed privis conjungens gaudia, pergis
Excolere ingenii dona ſtupenda Tui.
Dum juvat annales, veteresque inquirere ritus,
Graecia quos habuit Romuleumque genus.
Et modo currentis, modo priſci tempora ſaecli
Selecta eximiis perpetuare modis.
Heróum, curant qui publica commoda, laus eſt
Materies numeris non minus apta Tuis.
Et, quibus adquirit praeclara ſcientia nomen,
Redditur his dignum, Te modulante, decus.

DOR-

DORVILII ſuprema elegis praeconia noſtri
Cantata, eloquii non leve pignus eunt.
Nuper ROYENI cultiſſima carmina teſtes,
Queis juvat arguta concinuiſſe chely.
Quaeque aliis alio cecinisti tempore, ſuetus
Praemia promeritis reddere juſta Viris.
Impiger exemplum Patrui praeſigne ſecutus,
PETRE, Tuo vives carmine, ut Ille ſuo.
Huic Tua Te pietas monumentum firmius aere
Erigere, & pulchrae compulit artis amor.
Quod nunc, ſparſa prius, collecta Poëmata tanti
Nos hilarant Vatis, muneris omne Tui eſt.
Muneris omne Tui eſt, quod magni inſigne Poëtae
LOTICHII culmen tangit honoris opus.
Laudibus hunc dignis Germania docta SECUNDUM,
Efferat, ut JANUM terra Batava ſuum.
Seu medicus vena deſcribit divite vires
Herbarum, claros alloquiturque Duces.
Sive juventutis teneros modulatur amores,
Et coeco tactum pectus ab igne canit.
Ingenium luſus ornat, facundia verſus,
LOTICHII eſt lepidis pagina plena jocis.
Quin dubites, ipſi num cedat vena Tibullo,
Certior aequales hunc ſuperaſſe ſuos.
Gaudeat aucta novo decorari carmina cultu,
Quisquis amat Latiae fila canora lyrae!
Gratia BURMANNO reddatur debita, cujus
Doctrinaeque vigor ſedulitasque vetant,
Injiciat ne foeda manus, & opuſcula perdat
Barbaries, chartis invidioſa bonis.
Gratia BURMANNO, qui tanti ſcripta Poëtae
Illuſtrans, artis vimque decusque probat.
Sic decet ingenuas ornare fidelibus artes
Curis; ſic famae conſuluiſſe decet.

J. H. VAN GROIN.

JANUS BROUKHUSIUS

DE

PETRO LOTICHIO SECUNDO.

AEMULA ROMANI GERMANIA NOMINIS ARMIS
NOLUIT HAC UNA TOLLERE LAUDE CAPUT.
NEC TANTUM ARMINIOS LATIIS OPPONERE VARIS,
ET TIBERIM RHENI COGERE FERRE MINAS.
JAM FERRO SUPERASSE PARUM EST; CONTENDITUR ARTE,
ET LATII CURAM DOCTA LEPORIS HABET.
INVIDIAE SECURA, UNO CONTENTA SECUNDO,
GAUDET, ET AONIAS EMINET INTER OPES.
QUEM, NISI SECLORUM VITAEQUE RECENTIOR AETAS
CRIMEN HABET, PRISCIS QUIS NEGET ESSE PAREM?
SI VENUS HEREDEM SCRIPSIT ROMANA TIBULLO,
NON ALIUM POTUIT SCRIBERE LOTICHIO.

SE-

SEBASTIANUS ARTOMEDES
DE LIBRIS POËMATUM
PETRI LOTICHII SECUNDI.

Tristia primus habet liber arma, secundus amores,
  Tertius ingratae taedia longa morae.
Inferias quartus functis persolvit amicis,
  Carmina post geminis sunt breviora libris.
Tandem silvarum dumeta per avia ludens
  Mane vacat studiis, casta Diana, tuis.
Aut Nicri Salaeque Duces exornat: & haec sunt
  Aurea divini carmina LOTICHII.



PETRI

PETRI LOTICHII SECUNDI
SOLITARIENSIS
ELEGIARUM
LIBER I.
Elegia Prima,
AD
JACOBUM MICYLLUM PRAECEPTOREM.

Conqueritur quod in primo aetatis flore, relictis studiis, militare cogatur.

E tenet hiberno sub sidere Maenalis ursae
Proxima Vandalico terra, Micylle, solo:
Flavus ubi torquens insidas Albis arenas
Labitur, Arctoas maximus inter aquas.

A Fini-

Ad Jacob. Micyllum Praeceptorem] Jacobum Micyllum in Graecis & Latinis literis praeceptorem habuit puer fere Lotichius in schola Francofurtensi, quem omni veneratione, dum vixit, coluit gratus discipulus. Neque etiam defunctorum corpora mors disjunxit, cum juxta hujus praeceptoris sui sepulcrum prope Heydelbergam, ubi postea uterque Professores fuerunt, in suburbio ad D. Petri fanum conditus jaceat, referente Hagio in vita Lotichii p. 120. Ejus in se merita peculiari Elegia depraedicat poëta noster, quae inter edita hactenus non conparuit, & suo loco in hac editione exhibebitur. Obitum viri egregii, cui non diu ipse supervixit, deflet Lib. IV. Eleg. 2. Melanchthoni inscripta. Opera Micylli Poëtica paullo ante mortem colligere & edere in animo habuit Lotichius, adhortante Georg. Fabricio, ut ex illius Epistola ad Jacob. Strasburgum scripta, quae inter Lotichianas extat lib II. Ep. 6. mihi patuit: quae deinceps a filio ejus Julio Micyllo collecta sunt. vid. J. P. Lotichii Biblioth. Poëtic. part. III pag. 47 ubi plura de Micyllo. de quo vide & Camerar. in vita Melanchth. p. 368. Melch. Adamum in vit. Germ. Philos. p 83. Burchard. de Fatis LL. in Germ. p. 388. aliosque. Sed praeter Micyllum Lotichius primis adolescentiae annis in solo patrio Solitariis in domo patrui sui Petri Lotichii Abbatis Solitariensis alium quoque studiorum ac poëtices formatorem nactus est, poëtam ipsum non ignobilem, Joannem Pedioneum Rhetum, oratoriae & poëticae facultatis postea Professorem Ingolstadiensem, cujus viri memora-

Finitimis Aquilo ſpirans animoſus ab oris
  Stridet, & inmani turbine verrit humum.
Nec frugem ſegetes maturo tempore praebent,
  Culta racemiferis nec viret uva jugis.

Nam-

morabilis exſtat Epiſtola, qua Lotichio diſcipulo ſuo veram ad Eloquentiae Romanae adyta viam monſtrat, quam produxit Hagius in vita Lotichii p. 81. hujus Edit. ubi plura de binis his Lotichii praeceptoribus notavit: & ex Hagio Melchior Adamus in vitis Germ. Philoſ p. 96 & 97. in Lotichio; ubi Epiſtolam illam Pedionei quoque exhibet. Hujus Pedionei, cetera non valde noti, opuſcula ad poëſin & eloquentiam maxime facientia, recenſentur in Geſneri Biblioth. per Simlerum & Friſium aucta p. 482. eumque ſimul cum Joh. Lemnio, ejusdem patriae atque aetatis, memorat H. Pantaleon de viris Illuſtr. Germ. Part. III. p. 299. carmen ejus in Domum Beccianam legitur in Deliciis Poët. Germ. T. V. p. 24. quamquam Gruterus in Dedic. ad M. Virdungum nomen ejus recenſeat inter illos poëtas, de quibus non admodum benigne judicat. Ceterum in editione Carminum Lotichii Pariſina apud Vaſcoſan. 1551. quae omnium prima & rariſſima eſt; tum in Editione Lipſienſi apud Erneſtum Voegelinum, quae decennio poſt excuſa eſt, multa aliter cum legantur ac in vulgatis, quae poſtea prodierunt; operae pretium me facturum putavi, collatis inter ſe exemplaribus, artificii poëtici variationem enotare, & contextui ſubjicere: ut Muſarum ſtudioſi inde diſcant, quomodo poëtae benignioris venae carmina ſua juvenilia, judicio dein magis ſubacto, caſtigent & reforment: quae inter ſe conparare voluptas certe non exigua eſt. Prima haec Elegia, in Pariſina ac Voegeliana ordine tertia eſt, ibidemque hunc in modum legitur: nam tota hic exhibenda eſt, quia ſingulis fere verſibus a vulgatis differt:

Me tenet Oceani numquam ſubeuntibus undas,
  Syderibus gelidi terra propinqua poli.
Anguis ubi geminas, quo non ſinuoſior, Arctos
  Separat, & nexus inter utranque facit.
Finitimis ſpirans licet immanſuetus ab oris
  Saepe truci Boreas turbine verrat humum:
Fugit hyperboreum, ſeptem propiore Trioni
  Blandius adducto ſole micante, gelu.
Phoebus & aeſtivo lucem dum porrigit ortu,
  Temperies coeli mitior eſſe ſolet.
Albis iter tacite peragit, fluvioque vadoſo.
  In ripa gelidum radit utraque nemus.
Grataque frondentes praebent umbracula rami,
  Gramen & irriguum proximus humor alit.
Dulcibus & volucrum ſylvae concentibus altae
  Plurima cantantes quas tegit umbra, ſonant.
Quid loquar arboreos, hortorum munera, foetus?
  Divitis & fruges quas habet uber agri?
At pax mitis abeſt, & opertas callidus hoſtis
  Tecta per inſidias undique bella parat.
Vivit & inviſis nobiscum miles in armis,
  Incurſus omni parte timente loco.
Vimine de lento munimina ſuſtinet agger,
  Denſaque ſuggeſta texta replentur humo.
Structaque de ſolido ſtant propugnacula ſaxo,
  Et novus inducta murus obitur aqua.
Machina praeterea crudelis ahenea belli
  Omnia concutiens ejaculatur onus.
Cujus ab impulſu liquidum fragor aethera terret,
  Inficit immixto fumus & igne diem.
Non ſecus ac quatiens rapido cum murmure caelum
  Juppiter eliſo nubibus igne tonat.
Hos inter ſtrepitus, ſaevique pericula Martis
  Cogor inoblitos pectore ferre metus.
Nec mihi nocte quies, nec adeſt mihi tempore Phoebi,
  Dura ſed eſt pariter nox, & amara dies.

Fortu-

Namque fere media plus parte volubilis anni
  Acris Hyperboreo frigore ſaevit hyems.
Nunc autem tepidos Phoebus ſuperingerit ortus,
  Blandaque Riphaeum temperat aura gelu.

Fortunate ſenex, tu grata remotus ab armis
Otia, quod toto pectore laetor, agis.
Progeniemque tuam ſpectans, certosque penates,
Dulcia ſecurae commoda pacis amas.
Et modo flumineae ſpatiaris margine ripae,
Moenus ubi liquidas advena volvit aquas.
Aut gelidas vatum petis oblectamina ſylvas,
Aonii fingens carminis omne genus.
At mihi nec grata leve ducere frigus ab umbra,
Hoſte fere praedam ſemper agente, licet.
Nec ſolitis charum ſtudiis impendere tempus,
Ingenio vires eripiente metu.
Nunc quoque (vix credes) duris aſſueſcimus armis,
Nec manet, ut fuerat nuper, inerme latus.
Utque manus longam non inſcia dirigat haſtam
Diſcimus, ut gladium callidiore modo.
Et placidae fruſtra reminiſcimur otia vitae
Cum gemitu, ô pacis dulcis & alma quies.
Ducere quam miſerum eſt rigido cum milite tempus,
Qui putat armata cuncta licere manu?
Eſt etiam ſocios illis jugulare voluptas,
Perque vias dantur vulnera, perque domos.
Ergo fugam doctae meditantur ab urbe ſorores,
Plectraque jam ſolita rarius arte movent.
Obſtrepit imbelli citharae fidibusque canoris,
Dum rapidae clangor nunciat arma tubae.
Ibimus ô divae Libethrides, otia finem
Dulcia, quae rumpit barbarus hoſtis, habent.
Hospita jamque vale tellus, habitataque Muſis
O domus, ô ſacri templa valete chori.
Ite relinquendi, quo quemque aget error, amici,
Exulibus vires ſpes animoſa dabit.
Hanc tamen altus adhuc radiis praecinctus acutis
Cynthius adducto ſidere luſtrat humum.
Flatibus & rapidos levis aura ſalubribus aeſtus
Temperat, Erigones igne micante canis.
Quid, pluvios iterum flexi cum ſolis ad Auſtros
Ima recedentes orbita ducet equos?
Et glacialis hyems Aquilone geluque nivali
Horrida, currentes frigore coget aquas?
Hoc etiam, quoniam tulimus pejora, feremus,
Dum peragent coepti fata rigoris iter.
At tu pro miſeris, ut ſaevam leniat iram
Offenſum precibus flecte, Micylle, Deum.
Ut maneat felix obſeſſas exitus urbes,
Moenia nec ſaevo diruta marte cadant.
Triſtibus hoc penitus nec in orbe tumultibus artes
Ingenuae, Muſas hoſte fugante, ruant.
Tempus ut his redeat poſt bella quietius, ora:
Perpetua detur ſic tibi pace frui.

1. *Me tenet hiberno* &c.] Similis coloris fere eſt initium Elegiae Tibulli Lib. III. El. 5. & Sannazarii Lib. I. El. 1.

Ibid. *Maenalis urſae Proxima* &c.] In apographo Hoogſtratani legebatur, *hyberno ſub ſidere Maenalis urſa. Proxima Vandalico terra* &c. Sed vulgatas editiones ſecutus ſum. Ita enim lib. IV. El. 4. ꝟ. 61. *Fortunata nimis ſub ſidere Maenalis urſae Terra* &c. in animo habuit illa Ovidii lib III. Triſt. El. XI. 8.

Barbara me tellus, & inhoſpita litora Ponti,
Cumque ſuo Borea Maenalis urſa videt.

7. *Nec frugem*] Imitatus eſt Tibullum ſuum lib. IV. El. 1. 162.

Nec frugem ſegetes praebent, nec pabula terrae. Hoogst.

11. *Phoebus ſuperingerit ortus*] Hac Lotichii imitatione veram in Tibullo lectionem firmavit Broukhuſius, lib IV. El. 1. 157.

Quippe ubi non umquam Titan ſuperingerit ortus.

ubi in aliis legebatur *ſuperegerit*. Sic noſter in Eclog. VI.

Sed jam Sol rapidos ſuperingerit altior aeſtus.

Arboribus frondes redeunt, & gramina campis,
  Et laetis gremium frugibus ornat ager.
At pax dulcis abeſt, Zephyriſque tepentibus hoſtes
  In caput innocui Principis arma ferunt.
Nec mihi fas portas ultra procedere, nec me
  Commoda purpurei veris in urbe juvant.

Ardua

13. *Arboribus*] Ex Horatio expreſſum lib. IV. od. 7. 1. Sic enim Ille:

Diffugere nives: redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comae. HOOGST.

paullo aliter Horatiana haec imitatus Janus Secundus lib III. Eleg. 6. de Vere:

Arboribus miti Zephyrus jam flumine reddit
Praeripuit Boreas quas violentus opes.

16. *In caput innocui Principis arma ferunt*] Intelligit Johannem Fredericum, Electorem Saxoniae, in cujus caſtris militabat hoc tempore Lotichius. Scripſiſſe enim videtur hanc Elegiam circa annum 1546. quando funeſtum illud Germaniae bellum, Smalcaldicum dictum, movebatur, Joh. Fred. Saxoniae & Haſſiae Philippo Landgravio ducibus arma inferente Carolo v. Imperatore, quod bellum epici generis carmine libris v. deſcripſit poëta iſtius aetatis Johannes Forſterus. Quum enim Lotichius ex Micylli & Pedionei diſciplina eſſet manumiſſus, ex conſilio Patrui in Academiam Marpurgenſem abierat, ubi apud Joh. Hildebrandum Ictum vivens Philoſophiae operam dederat, & inde in Saxoniam ſe contulerat, ad Joach. Camerarii & Philippi Melanchthonis Lectiones, tamquam ad unica omnis eruditionis illius temporis oracula, audiendas, ſub quibus egregie Literis cum eſſet operatus, & poëtis ejus aetatis clariſſimis Georg. Sabino, Joh Stigelio, & Georg. Fabricio jam innotuiſſet, poſtea clauſis vel diſſipatis hujus belli claſſico bonarum artium Scholis, in urbe Magdeburgo, unde emigraverat Melanchthon, ſubſtitit Lotichius, & militiae nomen dedit, ſtipendia merens ſub Joh. Frederico Electore Saxoniae, magnanimo ſed infeliciſſimo principe, qui in hoc bello adverſum Martem expertus, praelio prope Mulbergum, oppidum ad Albim fluvium, commiſſo, caeſo ac fugato exercitu, fortiter dimicans, ac gravi vulnere ſaucius, captivus in poteſtatem Imperatoris Caroli v. incidit. vide Camerar in vita Melanchth. p. 259. & in primis Georg. Fabricium lib. VIII. Saxon. Illuſtrat. pag 43–49. ubi cladem ejus, captivitatem, exilium, conſtantiam & magnanimitatem, liberationem ex cuſtodia, ac mortem deſcribit, ut & Joh. Stigelius aliquot Epigrammatibus, quae leguntur in ejus Poëm. pag. 404. & ſeqq. Hujus etiam Principis laudes, ſub quo olim meruerat, Lotichius aliquot verſibus decantat in Ecloga V. in nuptias filii ejus Joh. Gulielmi Ducis Saxoniae ſcripta, p. 265–288. ubi Joachimus Fellerus, qui Eclogam illam ſingulari expoſuit commentario, pag. 84. plura de hujus Principis clade notavit. Belli iſtius ſocios habuit Lotichius Melchiorem Zobellum, Johannem Altum Poëtam Haſſiacum, ad quos proxime ſequentes Elegiae ſcriptae ſunt, & Johannem Varum, ad quem exſtat ejus Elegia IX. lib. I. de prodigiis ante pugnam Mulbergenſem. Haec autem ideo a me hic notantur, & nonnulla ſimilia porro notabuntur, ut majorem carminibus Lotichii lucem adfundant, quibus non tantum in hac Elegia, ſed & in ſequentibus ſaepius queritur de incommodis militiae, quae tunc perpeſſus eſt, cum Muſas invitus reliquiſſet, praeſertim El. IV & VIII. Lib. I. tum in Phaleucio ad Joh. Hagium circa idem hoc tempus, ut videtur, ſcripto lib. I. Carm. pag. 136.

Ardua de ſolido ſtant propugnacula ſaxo,
Et novus inducta murus obitur aqua.
Agger & in vacuas praeceps attollitur auras,
Denſaque ſuggeſta texta replentur humo.
Ipſe novis equitum comitantibus inminet alis
Caeſar, & armati detinet hoſtis iter.
Interea lucent totis incendia campis,
Quo vocat errantes praeda vel ira duces.
Diſſultant fremitu colles, & ferrea late
Pondera, fulfureis ignibus acta, volant.
Fortunate ſenex, tu mollia vere ſalubri
Otia, quod toto pectore laetor, agis.
Naſcentemque diem decedentemque ſalutas,
Nec rumpunt ſomnos claſſica pulſa tuos.
Nobis nulla quies, nec cum ſe condit in undas,
Nec cum Sol verſis mane recurrit equis.
Quam miſerum eſt rigido cum milite ducere vitam,
Qui putat armata cuncta licere manu!
Eſt etiam ſocios illis jugulare voluptas,
Perque vias dantur vulnera, perque domos.
His comes in vallo, nudoque ſub aethere noctem
Exigo, & inſomnes in ſtatione vices.

32. *Nec rumpunt ſomnos* &c.] Ex Tibullo lib. I. Eleg. I. 46

Quem labor aſſiduus vicino terreat hoſte,
Martia cui ſomnos claſſica pulſa fugent.

ut notavit Richterus Specim. Obſerv. Crit. pag. 45. idem inter vitae ruſticae ac tranquillae commoda recenſet Horat. Epod. 2.

Neque excitatur claſſico miles truci.

ubi vide Weitzii notas p 26 & ſeq.

33. *Nobis nulla*] Repetuntur hi verſus infra Lib. III. El. 6. 33. Hoogst. In pentametro agnoſcere licet illud Ovidii lib. I. Triſt. 8. 2. *converſis Solque recurret equis.*

Unde oculos tollens ad magni lumina mundi,
Sidera natali metior orta meo.
Lucidus hic geminas ſinuoſis flexibus Arctos
In morem liquidae ſeparat Anguis aquae.
Illic Saturni contriſtat Pleiades aſtrum,
Orionque alto mergitur Oceano.
Parte alia, terris tantorum cauſſa malorum,
Carceris obſcuras Mars jacet ante fores.

Felix

43. *Lucidus hic* &c] Sequitur Virgilium ſic canentem lib. I. Georg. 244.

Maximus hic flexu ſinuoſo elabitur anguis.
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos.

quod Seneca quoque elegantiſſime expreſſit in Medea, ỳ. 694

Huc ille, vaſti more torrentis jacens
Deſcendat anguis; cujus immenſos duae
Major minorque ſentiunt nodos ferae.
Hoogst.

quod Virgilius *in morem fluminis*, Seneca *vaſti more torrentis* dixerunt, id noſter expreſſit *in morem liquidae aquae* omnia ex fonte Graeco, οἷη ποταμοῖο ἀποῤῥώξ. unde Germanicus in Arateis ỳ. 48.

Has inter medias, abrupti fluminis inſtar,
Immanis ſerpens ſinuoſa volumina verſat
Hinc atque hinc, ſuperatque illas mirabile monſtrum.

ubi vide Grotii & Schwartzii notas. *liquidae aquae* otioſum non eſſe epitheton patebit ex notatis ad lib. I. El. 8. 27.

45. *Illic Saturni contriſtat Pleiades aſtrum* &c.] Pulcherrima hac deſcriptione ſiderum, quae natali ſuo adparuiſſe dicit, veſtigia veterum ſequitur, qui Saturni & Martis aſtrum inter male ominoſa, Mercurii Arcadis, & Veneris fauſta & commoda ſidera paſſim deſcribunt. utraque etiam inter ſe opponit Ovid. in Ibide ỳ. 212. ſeqq. cujus locum reſpexiſſe videtur:

Natus es infelix ita Di voluere, nec ulla
Commoda naſcenti ſtella leviſque fuit.
Non Venus adfulſit, non illa Jupiter hora,
Lunaque non apto Solve fuere loco.
Nec ſatis utiliter poſitos tibi praebuit ignes,
Quem peperit magno lucida Maja Jovi.
Te fera, nec quidquam placidum ſpondentia, Martis
Sidera preſſerunt, falciferique ſenis.

ubi Salvagnii & aliorum notas conſule. aliter natalitia ſua ſidera deſcribit noſter lib. II Eleg. 8 ad Gregorium Schetum, quae eſt de natali ſuo; & in alia ejuſdem argumenti ac coloris Elegia ad Georgium Cracovium, quae in vulgatis editionibus omiſſa, in ſola Voegeliana conſpicitur, & ſuo loco a nobis edetur.

48. *Carceris obſcuras Mars jacet ante fores*] in animo habuit illud Ovidii in Ibide ỳ. 80. de Furiis:

Quasque ferunt torto vittatis angue capillis
Carceris obſcuras ante ſedere fores.

ubi quam male in Patrui mei editione operae expreſſerint *toto angue* pro *torto*, patebit ex Heinſii notis ad ỳ. 161. & If. Voſſii ad Catullum pag. 223. pro *obſcuras* malebat ibidem Heinſius *obſtructas*. ex veſtigiis codicis, in quo *onſtruſas*. quod defendi poſſet ex lib. IV. Met. 452.

Carceris ante fores clauſas adamante ſedebant,
Deque ſuis atros pectebant crinibus angues.

aeratas fores vocat Tibull. 1. El 3. 72. ſed recte *obſcuras* Patruus meus probat. & hac ſua imitatione Lotichius.

Felix qui vidit meliores aetheris ignes,
Sive tuos Arcas, ſeu Venus alma tuos.
Non ego pro patria belli detracto laborem
Degener, aut viſo protinus hoſte tremo.
Ire nec ad manes pro libertate recuſem:
Dulce foret Reges inter & arma mori.
Sed neque jam celebres usquam virtutis honores,
Imperii nusquam, militiaeque decus.
Et jam fata ducum video, clademque propinquam,
Nudaque praeſidiis oppida capta ſuis.
Hoc perdit noſtras, hoc olim perdidit urbes,
Funditus infanda ſeditione ruunt.
Tu vero pacis cuſtos, Phoebique ſacerdos,
Argutae fidicen, culte Micylle, lyrae:
Carminibus fac rite piis, ut triſtia ceſſent
Exilia, & praedae, ſollicitusque timor.
Pax caſtas ſecura domos, Pax incolat urbes,
Pax olea canas cincta virente comas.
Haec tu poſce Deum ſacras proſtratus ad aras:
Perpetua detur ſic tibi pace frui.

51. *Belli detracto laborem*] Nollem Lotichius ultimam in *detracto* corripuiſſet. quod vitioſum eſſe vel ex Tibullo ſuo noverat, lib. I. El. 7. 44.

— non ſaeva recuſo
Verbera. detracto non ego vincla pedum.

vide Voſſium lib. II. de Arte Gram. cap. 27. porro *detracto* edidi pro *detrecto*, ſic jubentibus optimis veterum auctorum codicibus. & ſic in Tibullo & Propertio edidit Broukhuſius. vide Patrui mei notas ad Ovid. V. Met. 246. & lib. II. Triſt. 337. & Schraderum in libro Animadverſionum ad Muſaeum.

65. *Pax caſtas ſecura domos, Pax incolat urbes*] Imitatus eſt Georg. Deidricius in Hodoeporico Itineris Argentoratenſis pag. 11.

Pax ſecura domos habitat, Pax incolit urbes,
Mota nec inſano claſſica Marte fremunt.

ELEGIA II.

AD MELCHIOREM ZOBELLUM COMPATREM.

** A militia dehortatio.*

Sic igitur dulces potuiſti linquere Muſas,
  Martiaque inprudens caſtra, Zobelle, ſequi?
Et tibi jam tanti eſt artes cognoſcere belli,
  Et fera quo ſoleant praelia more geri?

Scilicet

ELEG II. AD MELCH. ZOBELLUM] In Edit. Parif & Voegeliana, haec ordine ſecunda eſt, & inſcibitur AD MELCHIOREM ZOBELLUM WERTTACHENSEM COMPATREM SUUM. Hanc Elegiam puto Lotichium ſcripſiſſe ad Zobellum, cum ipſe jam pace facta Erfordiam, priſtinam ſtudiorum ſedem, reverſus, armis relictis, cum Muſis in gratiam rediiſſet, vel forte tunc quum Wittenbergam ad Melanchthonem ſe denuo contuliſſet, cum Zobellus militare pergeret. Quod patet ex Phaleucio ad eumdem hunc Zobellum lib. I. Carm. 4. Militiae Zobellus hic ſumma cum laude operam dedit, atque arcis Herbipolenſis obſidionem cum aliis ſtrenue ſuſtinuit Dein Turcis Pannoniam vaſtantibus illuc quoque militatum abiit, & egregiae virtutis atque excelſi animi ſpecimina edidit. Quibus defunctus domi ſacerdotio honorifico ornatus, & Epiſcopus Herbipolenſis factus eſt. Periit autem poſtea hic Praeſui a nefaria latronum ac parricidarum manu indignum in modum ex inſidiis in via trucidatus, principe conjurationis Wilhelmo Grumbachio Equite Franco, cum aliis XIV ſceleris ſociis. Cujus rei hiſtoriam omnem peculiari ſcripto poſteritati expoſuit noſter Lotichius in eleganti *Hiſtorica Narratione de Caede Reverendiſſimi Principis Melchioris Zobelli, Herbipolenſis Epiſcopi, & Orientalis Franciae Ducis*, quam ſoluta oratione ſcriptam operibus ejus Poëticis in hac editione ſimul cum Epiſtolis Lotichianis ſubjungemus.

* *A militia dehortatio*] Conferenda eſt ſimilis argumenti Elegia Jani Secundi ad Carolum Catzium, quae exſtat lib. II. El. XI. & incipit:

Carole, jucundos potuiſti linquere amores,
  Terribileſque tubas, & fera bella ſequi.
Crede mihi non eſt armorum gloria tanti,
  Ut fleat ulla tuas moeſta puella vias.

neque pigebit perlegiſſe Tibulli Elegiam in Macrum, Muſarum deſertorem & Martis caſtra ſequentem, quae exſtat Lib. II. Eleg. 6. talia enim poëticae rei ſtudioſis numquam ſine voluptate & fructu inter ſe comparantur, ut monet Broukhuſ. ad Sannazar. lib. II. Epigr. 44.

1. *Sic igitur dulces* &c.] Initium hujus Elegiae in Ed. Pariſina & Voegeliana tale eſt:

Tu quoque pars charos inter mihi prima ſodales,
  Qui comes & Muſis nuper amicus eras.
Tu quoque ſaeva paras duri certamina Martis,
  Caſtraque poſtbabito nunc Helicone ſequi?
Et tibi jam &c.

Scilicet a teneris ut mercenarius annis
  Vulnera consuescas servitiumque pati;
Et subeas toties manifesta pericula vitae,
  Dum cava terrificis ictibus aera tonant.
Quam bene pugnabant olim, cum moenia nondum
  Turribus, aut fossis oppida cincta forent:

3. *Et tibi jam tanti est* &c.] Adfirmare ausim Lotichium Elegiae hujus initium adumbrasse ex illis Propertii lib I. El. 8. quae similem in modum fere incipit:

Tune igitur demens? nec te mea cura moratur.
  An tibi sum gelida vilior Illyria?
Et tibi jam tanti quicumque est iste, videtur?
  Ut sine me vento quolibet ire velis.

5. *Scilicet a teneris* &c.] In Ed Par. & Voeg.

Scilicet ut primo Phoebi desertor in aevo
  Militiam studiis dulcibus anteferas?

7. *Et subeas toties* &c.] Hoc distichon non legitur in Edd Par. & Voeg.

8. *Dum cava terrificis ictibus aera tonant*] imitatus est Ovid II. Art. Am. 610 licet alia in re:

Nec cava vesanis ictibus aera sonant.

9 *Quam bene pugnabant olim* &c.] Alia pro his leguntur in Edd Par. & Voeg.

Ferreus ab quicunque tubas ensesque paravit
  Primus, & innocuis gentibus arma dedit.
Spargere funestum pro tam crudelibus ausis
  Debuit ipse sua caede repertor opus.
Otia tuta prius sine sanguine mundus agebat,
  Notus erat ferri nec sceleratus amor.
Pro gladiis falcem norant, pro casside rastrum,
  Gratior & clypeo vomeris usus erat.
Ardua qui firmat nunc turribus oppida, muri
  Praestabat sepes vimine texta vicem.
Tunc tibi bellando magnum Germania nomen
  Nostraque &c. additurque illud distichon,
Tunc patriis saevos arcebas finibus hostes,
  Felices! aetas quos prior illa tulit.
Nunc tua &c. In quibus nonnulla inversa sunt ex Ovidii lib. I Fast. 697.

Bella diu tenuere viros, erat aptior ensis
  Vomere, cedebat taurus arator equo.
Sarcula cessabant: versique in pila ligones,
  Factaque de rastri pondere cassis erat.

passim enim inter aurei seculi commoda celebrant poëtae, nullum ferri, aut gladii usum fuisse. vid. Broukh. ad Tibull. I El. 3. ℣ 35. & 47. & Cel. Drakenb. ad Silium Ital. VII. 167.

Ibid. *Cum moenia nondum Turribus, aut fossis oppida cincta forent*] Locum hunc ne quis reprehendat, aut vitiosum existimet, cum *oppida fossis cincta* recte dicantur, ut apud Ovid. II. Am El. 12. 7.

Non humiles muri, non parvis oppida fossis
  Cincta.

Moenia vero *turribus cincta* insolentior locutio sit, pro eo quod *urbes moenibus turritis cingere* dixit idem lib III. Am. 8. 46.

Quo tibi turritis incingere moenibus urbes.

Sed adhibuit hic Auctor elegans loquendi genus, quo in priore periodi membro desideratur unum verbum ad sensum perficiendum, ac si dixisset *moenia turribus firmata*, & *oppida fossis cincta*. Id veteribus frequens esse dudum observarunt viri docti. Virg. VII Aen. 478.

Insidiis cursuque feras agitabat Julus.

ubi certe *insidiis* aliud verbum quam *agitare* aptandum est. Valer. Fl. VII. 29.

Vota prius captasque Deis accendere praedas.

vide istic Patrui mei notas. Justin lib. XI. cap. 4 *pretium non ex ementium commodo, sed ex inimicorum odio extenditur* ubi haeret Bernecccerus in significatione verbi *extendere*. Sed post *commodo* supplendum *contribuitur*. Sic apud eumdem lib. I. cap. 9. *tributa & militiae vacationem in triennium remittunt.* ubi copiose hanc elegantiam illustrarunt Vorstius & Graevius. qui in notis ad Florum lib. III. cap. 21. ut & Davies. ad Cic lib. I. de Nat. D. cap. 17. & Markland. ad Stat. I. Silv. I. 79. plura suppeditabunt exempla.

Machina nec volucres torqueret aënea glandes,
  Sed gererent partes enſis & haſta ſuas!
Tunc clarum tibi magna parens Germania nomen,
  Noſtraque libertas ſanguine parta fuit.
Nunc tua dilacerant inimicae viſcera gentes,
  Vendis & externis in tua damna fidem.
Ante tuos oculos ferro graſſatur & igni
  Barbarus, & Geticis Hunnus oberrat equis.

O

12. *Sed gererent partes enſis & haſta ſuas.*] Quanti interſit editiones caſtigatas illorum auctorum, quos in deliciis habemus & quotidie ad imitationem verſamus, adhibere, vel ex hoc ſolo patebit exemplo. *gerere partes* locutio eſt, cujus nullum apud probatum optimae aetatis ſcriptorem, quantum ſciam, exſtet exemplum. *agere partes* probum & obvium eſt & ex ſcena deſumtum. Deceptus fuit Lotichius antiquis & parum emendatis Ovidii editionibus, apud quem Epiſt. VIII. ✠ 41. olim legebatur:

— quas geſſerat olim
Dardanius partes advena, Pyrrhus agit.

Sed recte Heinſius ex optimis Mſſ. reſtituit *egerat*, propter alteram locutionem minus Latinam, & repetitionem verbi *agere* in hoc verſu elegantem & poëticam. Certe apud Naſonem *agere partes* ſemper occurrit, numquam *gerere*. lib. II. Artis 278. *Femina jam partes victa rogantis agat* lib. II. 198. *Fac modo quas partes illa jubebit, agas.* lib VI. Faſt. 70. *Blandior, & partes paene rogantis ago.* & ſic alibi. *peragere partes* dixit in Ibide ✠. 86.

Et peragunt partes ira dolorque ſuas.

Sic *primas partes agere* non *gerere*. de quo vide Gudii notas ad Phaedr. pag 305. & Gronov. Obſerv. in Script. Eccleſ. Cap. XXV. p. 284

15. *Nunc tua dilacerant inimicae viſcera gentes*] & hic quoque videtur Lotichius probaſſe antiquarum editionum lectionem in Ovidio Epiſt. I. ✠. 90. quem locum ſine dubio in animo habuit:

Viſcera noſtra, tuae dilacerantur opes.

Sed jam Ciofanus monuit in quibusdam veteribus codicibus legi *dilaniantur* & ex melioribus ſcriptis praetulit Heinſius, aliisque in locis ſaepe id verbum Naſoni reſtituit: ſic tamen, ut agnoſcat vulgatam iſtic defendi poſſe ex Epiſt III. 86

Quid lacerat Danaas impiger Hector opes.

immiſſae pro *inimicae* eſt in Ed. Par. & Voeg.

17. *Ante tuos oculos* &c.] Deeſt hoc diſtichon cum ſequenti in Ed. Par. & Voeg. quorum loco illud exhibent:

Nunc cruor & caedes, nunc effera praelia ſemper,
O pereant enſes, deficiantque tubae!

in quibus agnoſcas Tibullum Lib. II. El. 6 20.

Praeda feras acies acuit crudelibus armis,
Hinc cruor hinc caedes, mors propiorque venit.

licet illic ex Mſſ. praeferat Broukhuſius *Hinc furor hinc caedes.* Sed vulgatam defendit Richter in Specim. Obſerv Critic. p 54. Broukhuſio tamen favet auctor Elegiae falſo Gallo adſcriptae, qui verſum illum Tibulli ſibi vindicavit, licet in vulgatis editionibus altera ſui parte mutilus legatur: ✠ 78

Nunc ferrum erupit, rabiesque aſperrima ferri,
Nunc furor & caedes, mors propiorque venit.

niſi alia verba in fine ſubſtituerit. hinc ſaltem colligas illum ita quoque in Tibulli codicibus ſcriptum reperiſſe.

O pereant turres, fossaeque, & inutile vallum!
  Pax ades, aut virtus illa paterna redi.
Me juvat in studiis consumere dulcibus aevum,
  Signaque Musarum prosperiora sequi:
Et quae sera legat nostri non inmemor aetas,
  Carmina tranquillae fingere pacis opus.
Sed tamen ausus eram validis quoque nuper in armis
  Magnanimi custos ad latus ire Ducis.
Jam caput indueram galea, frameamque gerebam,
  Aptus & huic lateri quilibet ensis erat.
Sed Dea, Castaliis quae maxima praesidet undis,
  Non tulit, & vultus constitit ante meos.

19. *O pereant turres* &c.] Similis locus apud Joh. Jov. Pontanum lib. I. de Amor. Conjug. p. 43. b

O pereant ensesque feri, galeaeque minaces,
Pax ades, & vincto praelia Marte vacent.

20. *Virtus illa*] Tibullus Lib. II. El. 4. 2.

Jam mihi libertas illa paterna vale. Hoogst.

21. *Me juvat*] Propertius Lib. III. El. 3. 41.

Me juvat in prima coluisse Helicona juventa,
Musarumque choris inplicuisse manum. Hoogst.

Me juvat immunem (liceat modo) vivere belli. in Ed. Par. & Voeg.

23 *Et quae sera legat*] *Quaeque legat veniens* Ed Par. & Voeg.

24. *Carmina tranquillae* &c.] Sic fere Ovidius Trist. Lib. 5. El. 12. 3.

Carmina laetum
Sunt opus, & pacem mentis habere volunt. Hoogst.

25 *Sed tamen ausus eram*] locutio elegans & Ovidiana, lib. II. Am. I. 11.

Ausus eram, memini, coelestia dicere bella.

& ita Lib. II. ex Pont. Ep. 5. 28. legebat Patruus meus:

Ausus eram tantae sumere molis opus.

Propertius Lib. I. El. 3. 17.

Non tamen ausus eram dominae turbare quietem.

Ibid. *Validis quoque nuper in armis Magnanimi* &c.] *rigidis quoque nuper in armis Degere, natalis motus amore soli*: ita in Edt Par. & Voeg.

27. *Jam caput indueram galea* &c] *Et jam molle cavo (memini) caput aere tegebam.* Ed. Par. & Voeg.

29. *Sed Dea, Castaliis* &c.] in Ed. Par. & Voeg. prius legebatur:

Ante meos oculos sed constitit una Dearum,
Lauriferi silvae quas Heliconis habent.

Sed posterior lectio magis exprimit elegantiam repetitionis ejusdem verbi ex pentametro in sequens hexametrum, more Ovidii, Ep. XV. 162.

Hic ego cum lassos posuissem fletibus artus,
Constitit ante oculos Naias una meos.
Constitit, & dixit &c.

Conſtitit, & tenerae florem miſerata juventae,
  Ergo, puer, fies tu quoque miles, ait?
Torta quid inbelles urguet lorica lacertos?
  Quid gravat aeratae cuſpidis haſta manum?
Jam populatrices inter potes ire catervas?
  Jam longae patiens eſſe ſub axe viae?
At (memini) nuper fera bella timere ſolebas,
  Claſſicaque inſuetis auribus horror erant.

Unde

31. *Et tenerae florem miſerata juventae* &c.] in Ed Par. & Voeg. habetur:

— & galeam paulum Hanlita reſolvit,
Noſtraque cur demens otia linquis, ait?
Quod tibi cum gladio, funeſtis caedibus apto,
Quid gravat &c.

32. *Ergo, puer*] Plerique, qui poſt Augusti aetatem ſcripſere, ultimam in *ergo* corripuere pro lubitu Vid Nobiliſſ. Broukhuſius ad Propertium Lib. 3 El. 5. 1. HOOGSTR. ſic ſaepe Lotichius noſter. ut infra El. 5. ✠ 5. & El. 6. ✠. 25. Lib II. El. 4. ✠. 17. & 51. Lib III. El. 1. ✠. 37. Lib IV. El. 2. ✠. 31 & 41. aliisque in locis & ſic paſſim plurimi e recentioribus, quod tamen vix defendendum puto, licet ex Ovidio id probari poſſe contendant, Epiſt. V. 59. *Votis ergo meis alii rediture rediſti.* quamquam de ſinceritate iſtius verſus non unam ob cauſſam valde dubitem. Apud eumdem alter locus in vulgatis olim exemplaribus corruptus anſam praebuiſſe videtur poſteriorum temporum verſificatoribus exemplo ejus quippe Augustei aevi poëtae, id imitandi, lib. I Triſt. 1 87. ubi ita legebatur,

Ergo cave, Liber, & timida circumſpice mente.

pro quo nunc ex emendatis libris repoſuerunt viri docti *Ergo, cave Liber, timida circumſpice mente.* Aliud ex Ovidio exemplum hactenus mihi nondum ſe obtulit, ubi ultima in hac voce corripiatur, cum ceteroquin ſemper producat. lib. I Am. 6. 21. *Ergo, quae valuit pro te quoque gratia quondam* ubi male Francius *Ergone.* lib. X. Met. 693 *Poena levis viſa eſt. ergo modo levia fulvae Colla jubae velant.* licet locum illum aliter conſtituat Heinſius lib. XI. 223. *Ergo, ne quidquam mundus Jove majus haberet.* & ſic ubique, ut & Virgilius Horatius, & ſimiles notae melioris. Feſti enim diſtinctionem, *ergo* correptum idem valere ac Graecorum ἄν, & productum quod χάριν ſive *gratia* ſignificet, quam non rejiciendam exiſtimabat Voſſius lib. II. Art. Gr c 27. fine, ut jejunam & ridiculam explodit Pincierus lib. II. Parerg cap 28. Apud Valerium tamen Flaccum corripitur etiam lib. II. 407. *Ergo moras coeio curſuque tenentibus undis Debuimus* ſic lib. VII. 499. *Perque haec ergo tuo redeuntia ſidera nutu.* licet hunc locum aliter viri docti corrigant. lib. VIII. 337. *Transferet ergo meas in quae volet oppida dotes.* & ✠. 479. *O utinam ergo meus pro te non omnia poſſet.* in aliis ſimilis terminationis adverbiis ſequioris aevi poëtae paſſim licentia hac uſi ſunt, quorum acervum larga manu dedit Daumius in notis ad Bernardi Geyſtenſis Palponiſt. p. 46 & 47 ubi tamen miror in tanta locorum farragine vix unum τοῦ *ergo* proferri exemplum.

37. *At memini* &c] in Ed Par & Voeg.

Nec tibi Phoebus erit, nec carmina dulcia cordi,
An potes ingenii non meminiſſe tui?
At (memini) primo violenta timere ſolebas
Praelia. Martisque tuis auribus horror erat
Unde novus rigor hic &c.

Cete-

Unde novus rigor hic? unde illa ferocia venit?
  Mitis honoratae Pacis amator ubi es?
Sed, puto, praeda juvat, ſpoliisque Aquilonis onuſtum
  Sublimem niveis Fama reducet equis.
Quin meliora tibi ſolvemus praemia Muſae,
  Praemia per raras ante petita manus.
Longa dies Regum turres conſumit, & aurum,
  Et ſpolia in templis exuviaeque ruunt.

Ceterum totus hic locus pulchra imitatione deſumtus eſt ex Ovid. Ep. xix. 85. ſeqq

Nam memini, cum te ſaevum veniente minaxque
Non minus, aut multo non minus, aequor erat.
Cum tibi clamabam, ſic tu temerarius eſto,
Ne miſerae virtus ſit tua flenda mibi.
Unde novus timor bic? quoque illa audacia fugit?
Magnus ubi eſt ſpretis ille natator aquis?

41 *Sed, puto, praeda juvat* &c.]
Sed decus arma dabunt, & erit pro ſanguine merces.
Gloria nec durum parva ſequetur onus: ita in Ed Par. & Voeg.

43. *Tibi ſolvemus praemia* &c.] *ſacris largiuntur praemia Muſae Vatibus, Aonia nomen ab arte feres.* Ed Par. & Voeg.

41. *Per raras*] In animo habuit illud Ovidii, lib. I. Amor El 1.
Et cito per multas praeda petita manus. H.

45. *Longa dies Regum turres* &c] in Ed. Par. & Voeg legebatur antea,
Carpsit edax rerum gemmas aurumque vetuſtas,
Eſtque quod immenſo perſtet in orbe nibil.
quibus tamen longe praeferenda ſunt, quae dein ſubſtituit Lotichius. *Longa dies* hic dicitur de longo tempore, ad imitationem Tibulli Lib. I. El. 4. 13.
Longa dies bomini docuit parere leones,
Longa dies molli ſaxa peredit aqua.
vide notas ad Ovid. IV. Triſt. 6. ỳ. 38. recte etiam emendavit *Regum turres*, quas de palatiis magnificis & regiis explicari poſſe non nego. ut *turres* quaevis aedificia excelſa dicuntur vid. Broukh. ad Tibul. I. 8 19. eo ſenſu Flaminius Lib. II. Carm. 1.
Quid Regum turres, ac limina magna potentum
Proſequor, & dulcem dimitto ſtultus agellum?
Sed innuit hic potius Pyramidas, aeque ac Mauſolea, & alia monumenta pretioſa temporis ſitu obduci, ingenii vero decus perennare. Pariter Fr. Marius Molſa in Eleg. VIII. non diu ante mortem ſcripta:
Jam mibi Pyramides, Regum monumenta, valete.
Et quidquid miri barbara Mempbis babet.
Similia babemus infra Lib. IV El. 5. ỳ. 17.
Invida conſumit titulos & buſta vetuſtas,
Et ſpolia in templis exuviaeque ruunt.
At ſi quem dulci celebrarunt carmine Muſae,
Ille vel invita morte ſuperſtes erit.
Quos libet, bos memori vatum labor eximit aevo.
Longaevi poſſint ne nocuiſſe dies.
Locus autem hic eleganter adumbratus videtur ex illis Propertii lib. III. Eleg. I. ỳ. 57.
Nam neque Pyramidum ſumtus ad ſidera ducti,
Nec Jovis Elaei coelum imitata domus.

At decus ingenii durat, vatumque labores.
I nunc, & partas ſanguine confer opes.
Adde, quod incerto Mars praelia turbine verſat,
Caſus & inſtabiles miſcet utrimque vices.

Ah

Nec Mauſolei dives fortuna ſepulcri
Mortis ab extrema conditione vacant.
Aut illis flamma, aut imber ſubducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quaeſitum nomen ab aevo
Excidet: ingenio ſtat ſine morte decus.

Ita legitur in vulgatis Propertii editionibus, neque ignoro quomodo *Pyramidum ſumtus* explicari poſſint, videturque hanc lectionem ſua imitatione comprobaſſe Angelus Politianus in Carm. ad Laurentium Medicem T. II. Poët. Ital. Toſcani p. 103. b.

Hoc decus educti templorum ad ſidera ſumtus,
Hoc Medicae praeſtant ardua tecta domus.

& Georgius Anſelmus in carmine in natalem Virgilii pag. 211. Epigrammatum ℣. 69.

O tu Mantua, ſublevate moles
Supra Pyramidum memento ſumtus.

Fuit tamen, cum emendandum ſuſpicarer *Pyramidum montes ad ſidera ducti.* ita enim ſuadebat auctor Epigrammatum duorum de Literarum aeternitate. quorum argumentum deſumſit ex iſtis Propertianis, & non infeliciter expreſſit, in Catalectis Pithoei Lib. I. pag 39 & 40. ubi inter alia:

Tu licet extollas magnos ad ſidera montes,
Et Pharias aeques marmore Pyramidas.
Ingenio mors nulla nocet: vacat undique tutum,
Inlaeſum ſemper carmina nomen habent.

illic enim *Pharias Pyramidas* recte emendabat Heinſius. Vulgo inepte *calidas.* Pithoei margo *validas.* Confer cum his de aeternitate carminum locum Ovidii Lib. IV. ex Pont. Ep. 8 ℣. 47. & ſeqq & noſtrum Lib. II El. XI 49. ſeqq. eodem modo Lazarus Bonamicus pulcherrimo carmine de Roma, quod legitur in Carmin. Poët. Italor. a Toſcano collectis T. I p 241.

Vos operum antiquae moles, colleſque ſuperbi,
Queis modo nunc Romae nomen inane manet.
Vosque triumphales arcus, coeloque coloſſi
Aequati, Pariis marmora caeſa jugis.
Edita Pyramidum faſtigia, templa Deorum,
Digna vel aethereis amphitheatra locis.
Vos aevi tandem attrivit longinqua vetuſtas,
Vos longa tandem fata tulere die; & ſeqq.
Caetera labuntur tacito fugientia curſu,
Calliope aeternum vivere ſola poteſt.

non diſſimili elegantia Pontani operibus aeternitatem ſpondet Jac. Sannazarius Lib. I. El. 9. ℣. 97.

Salve ſancte ſenex, vatum quem rite parentem
Praefecit terris Delius Auſoniis.
Non te Lethaeae carpent oblivia ripae,
Nec totum in cineres vertet avara dies.
Nec tibi plebeſo ponetur in aggere buſtum,
Niliacas dabitur vincere Pyramidas.

Vides *Niliacas Pyramidas* Sannazario dici, quas *Pharias* auctor ille Epigrammatis antiqui vocat. ex indubitata Heinſii conjectura. Haec paullo fuſius, ut pateat veterum & recentiorum primi ordinis poëtarum veſtigia ſecutum fuiſſe Patruum meum Epicedio in obitum Graevii, praeclaris iſtis ſub finem verſibus:

Erige, Trajectum, monumentum grata perenne,
Buſtaque fac titulo conſpicienda brevi.
Nam licet exiguo ſignetur carmine marmor,
Et referat Graevi nomina nuda lapis;
Saxa tamen vincet Mauſoli, Aegyptia vincet
Pondera, & Aſſyrii nobile Regis opus.
Nam plus Rege tegit. Regum monumenta peribunt;
Graevius, hac mundi mole cadente, cadet.

non aliter certe ac ſi hunc Lotichii locum ante oculos habuiſſet. Quod vel ideo notamus, ut retundatur abſurdus polyhiſto-

ris

Ah teneris majus ne quis juveniliter annis
  Audeat, & vires conſulat ante ſuas.
Tempus erit, Pindum ſuperans cum Caeſar & Haemum
  Figet in Odryſiis celſa tropaea jugis.
Tunc ſi tantus amor belli, ſi tanta cupido eſt,
  Acer in adverſos enſe licebit eas.
Terribiles nunc linque tubas, & caſtra, nec auctor
  Ante diem propera funeris eſſe tui.
His ego commotus dictis, vultuque monentis,
  Ite ſtatim, dixi, caſtra tubaeque procul.
Rurſus & Aonius calor in mea pectora venit,
  Ipſaque devovi quae prius, arma tuli.

Diffi-

ris illius Gotliebii Stollii faſtus, cujus faſtidioſo palato, aliis dapibus adſueto, inſulſi & ridiculi viſi fuerunt hi verſus, in Commentatione de uſu Hiſt. Literar. pag. 111. Sed quis cogit, quaeſo, ejusmodi panſophos ex faſtigio illo variarum Doctrinarum quas cunctas vaſto conprehendunt pectore, ſe demittere ad Poëticas, ut vocant, nugas, & decretoriam ſententiam in alieno foro tanto cum ſupercilio ferre? Sa'e ad poëticas delicias capiendas, ut recte de iis judicemus, oportet ab ipſa juventute innutriri cultis Muſarum viretis, non vero ex ſenticetis Philoſophicis aut Logicis infelici lolio ac dura glande ſaginatum eſſe.

48. *Et partas*] *Inventas* Ed. Par. & Voeg.

49. *Adde quod incerto* &c] Huius diſtichi loco quatuor iſtos verſus exhibet Ed. Par. & Voeg.

Ut meliora tuae ſpernas praeconia famae,
  Forſan & infelix non redituras eas
Suſtineasque nives, & miſta grandine ventos,
  Et vigil hyberna frigora nocte pati.
Ah teneris &c.

52. *Vires conſulat*] Horatius de Arte P. v. 39.

  Verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri. Hoogst.

53. *Tempus erit, Pindum* &c] Longe alia pro his & ſequentibus usque ad ỳ. 59. habentur in Ed. Par. & Voeg.

Prima tibi ſtudiis adoleſcit dignior aetas,
  Non decet imbelles arma tenere manus
Adde quod incerto Mars praelia turbine miſcet:
  Eventus varios bellaque ſemper habent.
Ipſe ferox etiam pugnae deus arbiter, haſta
  Saucius Aetola, qua Venus ante, fuit:
Gratia ſi vilis noſtra eſt, tibi parce, nec auctor
  Ante diem properes funeris eſſe tui.
His ego &c.

59 *His ego commotus dictis*] Reſpexit Ovidium Triſt. Lib. 4 El. 10 23.

Motus eram dictis. quod imitatus etiam eſt Georgius Sabinus, nobilis Poëta, Lib. III. Eleg. 3. 43. *His ego motus eram verbis.* Hoogst

59. *Monentis*] *Rogantis* Ed. Par. & Voeg.

62. *Ipſaque*] *Saevaque* Ed. Par. & Voeg. & verſ. ſeq. *rapidos* pro *tacitos*.

Difficile eſt tacitos naturae abſcondere motus,
  Ponere difficile eſt quae placuere diu.
Scilicet ingenuas manſueſcunt corda per artes,
  Nec rigidos mores eſſe Thalia ſinit.
At tu, quandoquidem rerum ſic impetus urguet,
  Et novus accendit pectora laudis amor:
I, tua quo, Zobelle, vocat te fervida virtus,
  Et grave militiae fer patienter onus.
Ne tamen, ah, denſos vitae contemtor in hoſtes
  Irrue, ſcis quam ſit dulce redire domum.
Tunc mihi narrabis, validas quis ceperit urbes
  Primus, & hoſtiles fregerit ultor opes.

Qua-

64. *Ponere difficile*] Catullus Carm 77.13.
Difficile eſt longum ſubito deponere amorem. HOOGST.
hunc Patrui ſui verſum proferens J. P. Lotichius in Dedic. ante Part. IV. Biblioth Poët citat: *Ponere nec facile eſt* &c. ſed confudit alterum ejus locum ex Lib. V. Eleg. X 6 ubi ſimilia in hunc ſenſum:
Confiteor flammas alit aſſuetudo latentes,
Ponere nec facile eſt, quae placuere ſemel.
contraria ſententia dixit Ovid. II. Am. 4. 6.
Heu quam, quae ſtudeas ponere ferre grave eſt.

65. *Scilicet ingenuas* &c.] Expreſſit ex Ovidio lib. I. Ponticor. Epiſt. 6 7.
Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura eſt,
Pectora molleſcunt, aſperitasque fugit.
& Lib II. Epiſt. 9. 47.
Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros. HOOGST.

67. *Rerum ſic impetus urget* &c] *ſic temporis impetus urget, Et furor in praeceps cuncta dolorque rapit.* Ed. Par. & Voeg.

69. *I, tua quo, Zobelle, vocat te fervida virtus* &c] Similia Broukhuſio militanti ſcribit P Francius Lib II. El. VII
I generoſe animi (tibi ſic Deus adſit eunti)
Quo Deus & virtus & tua fata vocant &c.
Sed tu nec timidus, nec tu temerarius eſto,
Et nimium vitae prodigus ipſe tuae.

70. *Et grave militiae* &c] *Et domitis referas hoſtibus arma domum.* Ed Par. & Voeg.

71. *Ne tamen, ah, denſos* &c] Non agnoſcit hoc diſtichon Ed. Par & Voeg.

73. *Tunc mihi narrabis*, &c.] Haec uſque ad finem Elegiae ita habentur in Ed. Par. & Voeg.
Praelia tunc poſito narrabis munere Bacchi,
Quae facies pugnae, qui fuerintque doli:
Qualiter adverſis concurrant agmina ſignis,
Aurea dum clamor bellicus aſtra ferit.
Et bene nota ducum referes, & nomina regum,
Ordine, cumque ſuis omnia facta locis.
Et quaecumque novis exhauſti pericula terris:
Hunc celeri &c.

confer

Ah teneris majus ne quis juveniliter annis
Audeat, & vires conſulat ante ſuas.
Tempus erit, Pindum ſuperans cum Caeſar & Haemum
Figet in Odryſiis celſa tropaea jugis.
Tunc ſi tantus amor belli, ſi tanta cupido eſt,
Acer in adverſos enſe licebit eas.
Terribiles nunc linque tubas, & caſtra, nec auctor
Ante diem propera funeris eſſe tui.
His ego commotus dictis, vultuque monentis,
Ite ſtatim, dixi, caſtra tubaeque procul.

C Rurſus

ris illius Gotliebii Stollii faſtus, cujus faſtidioſo palato, aliis dapibus adſueto, inſulti & ridiculi viſi fuerunt hi verſus, in Commentatione de uſu Hiſt. Literar. pag. 3. Ridiculus ergo, hoc cenſore judice, fuerit etiam magnum illud Bataviae noſtrae decus Hugo Grotius, & nimius prae Stoiliano ingenio nugator, qui ſimiliter in divino Epitaphio manibus Franciſci Junii ſcripto, Lib. II. Farrag. pag. 187.

Quamquam nec veteris Mauſoli ſaxa, nec audax
Pyramidum Pharius ſurgat in aſtra labos.
Hoc tumulo plus Rege jacet. tam nobile marmor
Eoae quondam non habuiſtis opes.

Sed quis cogit, quaeſo, ejusmodi panſophos ex faſtigio illo variarum Doctrinarum, quas cunctas vaſto conprehendunt pectore, ſe demittere ad Poëticas, ut vocant, nugas, & decretoriam ſententiam in alieno foro tanto cum ſupercilio ferre? Sane ad poëticas delicias capiendas, ut recte de iis judicemus, oportet ab ipſa juventute innutriri cultis Muſarum viretis, non vero ex ſenticetis Philoſophicis aut Logicis infelici lolio ac dura glande faginatum eſſe. Adeo verum eſt, quod longa in Ludovicum Vivem digreſſione docet Barthius in notis ad Stat. II. Theb. 156. de poëtis non niſi poëtam judicare debere.

48. *Et partas*] *Inventas* Ed. Par. & Voeg.

49. *Adde quod incerto* &c.] Hujus diſtichi loco quatuor iſtos verſus exhibet Ed. Par. & Voeg.

Ut meliora tuae ſpernas praeconia famae,
Forſan & infelix non rediturus eas.
Suſtineasque nives, & miſta grandine ventos,
Et vigil hyberna frigora nocte pati.
Ah teneris &c.

52. *Vires conſulat*] Horatius de Arte P. v. 39.

Verſate diu, quid fere recuſent,
Quid valeant humeri. Hoogst.

53. *Tempus erit, Pindum* &c.] Longe alia pro his & ſequentibus usque ad ỷ. 59. habentur in Ed. Par. & Voeg.

Prima tibi ſtudiis adoleſcit dignior aetas,
Non decet imbelles arma tenere manus.
Adde quod incerto Mars praelia turbine miſcet,
Eventus varios bellaque ſemper habent.
Ipſe ferox etiam pugnae deus arbiter, haſta
Saucius Aetola, qua Venus arte, fuit:
Gratia ſi vilis noſtra eſt, tibi parce, nec auctor
Ante diem properes funeris eſſe tui.
His ego &c.

59. *His ego commotus dictis*] Reſpexit Ovidium Triſt. Lib. 4. El. 10. 23.

Motus eram dictis. quod imitatus etiam eſt Georgius Sabinus, nobilis Poëta. Lib. III. Eleg. 3. 43. *His ego motus eram verbis.* Hoogst.

Ibid. *Monentis*] *Rogantis* Ed. Par. & Voeg.

Rurſus & Aonius calor in mea pectora venit,
  Ipſaque devovi quae prius, arma tuli.
Difficile eſt tacitos naturae abſcondere motus,
  Ponere difficile eſt quae placuere diu.
Scilicet ingenuas manſueſcunt corda per artes,
  Nec rigidos mores eſſe Thalia ſinit.
At tu, quandoquidem rerum ſic impetus urguet,
  Et novus accendit pectora laudis amor:
I, tua quo, Zobelle, vocat te fervida virtus,
  Et grave militiae fer patienter onus.
Ne tamen, ah, denſos vitae contemtor in hoſtes
  Irrue, ſcis quam ſit dulce redire domum.
Tunc mihi narrabis, validas quis ceperit urbes
  Primus, & hoſtiles fregerit ultor opes.

Qua-

62. *Ipſaque*] *Saevaque* Ed. Par. & Voeg. & verſ. ſeq. *rapidos* pro *tacitos*.

64. *Ponere difficile*] Catullus Carm. 77. 13.
Difficile eſt longum ſubito deponere amorem.
HOOGST.
hunc Patrui ſui verſum proferens J P. Lotichius in Dedic. ante Part. IV. Biblioth. Poët. citat: *Ponere nec facile eſt* &c. ſed confudit alterum ejus locum ex Lib. V. Eleg. X. 6. ubi ſimilia in hunc ſenſum:
Confiteor flammas alit aſſuetudo latentes,
Ponere nec facile eſt, quae placuere ſemel.
contraria ſententia dixit Ovid. II. Am. 4. 6.
Heu quam, quae ſtudeas ponere, ferre grave eſt.

65. *Scilicet ingenuas* &c.] Expreſſit ex Ovidio lib. I. Ponticor. Epiſt. 6, 7.
Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura eſt,
Pectora molleſcunt, aſperitasque fugit.
& Lib. II. Epiſt. 9. 47.
Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros. HOOGST.

67. *Rerum ſic impetus urget* &c.] *ſic temporis impetus urget, Et furor in praeceps cuncta dolorque rapit.* Ed. Par. & Voeg.

69. *I, tua quo, Zobelle, vocat te fervida virtus* &c.] Similia Broukhuſio militanti ſcribit P. Francius Lib. II. El. VII.
I generoſe animi (tibi ſic Deus adſit eunti)
Quo Deus & virtus & tua fata vocant &c.
Sed tu nec timidus, nec tu temerarius eſto,
Et nimium vitae prodigus ipſe tuae.

70. *Et grave militiae* &c.] *Et domitis referas hoſtibus arma domum.* Ed. Par. & Voeg.

71. *Ne tamen, ah, denſos* &c.] Non agnoſcit hoc diſtichon Ed. Par. & Voeg.

73. *Tunc mihi narrabis*, &c] Haec uſque ad finem Elegiae ita habentur in Ed. Par. & Voeg.
Praelia tunc poſito narrabis munere Bacchi,

Quae

Qualiter adverſis concurrant agmina ſignis,
Altaque tormentis moenia quaſſa ruant.
Et quaecumque illis exhauſta pericula terris.
Hunc celeri portet Lucifer axe diem.

Elegia III.

AD
JOANNEM ALTUM,
In patriam redeuntem.

Jam Sol Aegocerum coeli regione ſub ima
Luſtrat, & emeritos ſiſtit anhelus equos.
Rura gelu contriſtat hiems, & noctis opacae
Longior anguſtos efficit umbra dies.

Quae facies pugnae, qui fuerintque doli:
Qualiter adverſis concurrant agmina ſignis',
Aurea dum clamor bellicus aſtra ferit.
Et bene nota ducum referes, & nomina regum,
Ordine, cumque ſuis omnia facta locis.
Et quaecumque novis exhauſta pericula terris:
Hunc celeri &c.

confer cum hoc loco Jani Secundi Elegiam ad fratrem Everhardum Nicolaï Lib. I. Epiſt. 3.

Tunc mihi narrabis (dulce eſt meminiſſe malorum)
Triſtia paene oculis Tartara viſa tuis &c.
Multaque praeterea, quae differo tempus in illud,
Advehat alatis quod cito Phoebus equis!

vide & noſtrum Lib. I. Eleg. 10. ỳ. 85. & ſeqq.

78. *Hunc celeri*] Obſervet ſimiles formulas Adoleſcentia in antiquis. Ovidius Triſt. Lib. III. 5. 55.

Hunc utinam nitidi Solis praenuntius ortum
Adferat admiſſo Lucifer albus equo!

Idem Amor. Lib. 2. El. 11. 55.

Haec mihi quamprimum coelo nitidiſſimus alto
Lucifer admiſſo tempora portet equo.

Idem de Ponto Lib. 1. Epiſt. 4. 57.

Memnonis hanc utinam lenito Caeſare mater
Quamprimum roſeo provocet ore diem!

Pedo Albinovanus Conſol. ad Liviam ỳ. 281.

Hunc Aurora diem ſpectacula tanta ferentem
Quamprimum croceis roſcida portet equis.

Ipſe Lotichius infra El. X. 101.

Hanc celeri genetrix ut Memnonis afferat ortu. HOOGST.

Similia vide apud Heinſ. ad Ovid. IV. Triſt. 2. 73. Tibullus Lib. I. El. 4. in fine.

Hunc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roſeis candida portet equis.

ubi Broukhuſius legebat *Hunc precor hunc utinam* &c. ut in utroque Ovidii loco; quod & miror eum non adſtruxiſſe imitatione G. Sabini Lib. I. El. 2. pag. 6.

Hanc utinam nobis optato Lucifer ortu
Provocet, hanc roſeo mox vehat axe diem.

& Lib. IV. El. 2. p. 110.

Aureus hanc utinam properantibus afferat horis
Lucifer, & celeri Cynthius axe, diem.

ſed vulgatam lectionem vindicat Richter. Specim. Obſerv. Crit. p. 47.

Saevaque difcordes exercent praelia venti,
 Nec liquidum radens labitur alnus iter.
In glacie puppes dura cum funibus haerent,
 Et gelidam Boreas fpargit ab axe nivem.

Cum

Eleg. III. Ad Joannem Altum] De hoc Joh. Alto vide Hagium in vita Lotichii pag. 87. hujus Edit. ubi inter alia addit, Lotichium mortem Alti, in juventute extincti, verfibus ac modis valde flebilibus deploraffe. Quod tamen carmen, fi feparatum fuerit Epicedium, neque in editis nec ineditis conparet. Forte periit illud inter ea carmina, quae militiae tempore a fe fcripta interiiffe queritur lib. I. El. XI. ỿ. 57.

Deque tot amiffis etiam nunc pauca fuperfunt
 Carmina, militiae tempore facta meae.

Sed puto indicaffe Hagium verfus illos, quibus Alti mortem memorat lib. II. El. 3. quae ad ipfum Hagium fcripta eft:

Quid querar infelix? Tua molliter offa quiefcant,
 Alte, fub Etrufcis nuper humate jugis.
Tu mihi per cafus omnes, dum fata finebant,
 E coelo miffus dulce levamen eras.
Ergo ego te numquam miferis deflere querelis
 Ceffabo, donec me premat atra dies.

& quae plura illic fequuntur; tum eodem Libro, El. 5. ad Sambucum.

Sic vates umbris crudelibus occubat Altus,
 Sic Rofa, flos aevi nuper uterque fui.
Alte, tuos cineres, quicumque eft, abluit Arnus,
 Poeoniae celfis occidit ille jugis.
Nec juvit doctas mentem formaffe per artes,
 Fonte nec Aonio depofuiffe fitim.

Eum Bononiae obiiffe, paullo poftquam Italiam luftrare incepiffet, videbis in Epift. Joh. Fabricii Montani ad Altos fratres Lib. I. Ep. 2. inter Lotichianas, qua epiftola ingenium & mores Alti, ejusque cum Lotichio familiaritatem, pluribus defcribit: Legitur haec quoque praefixa Epithalamio elegantiffimo Joh. Alti in nuptias Johannis Fabricii Montani poft illius Poëmata Tiguri edita pag. 49. & feq. ex quo folo carmine valde prolixo de Joh. Alti facultate poëtica judicare licet.

1. *Jam Sol Aegocerum* &c.] Initium Elegiae hujus in Ed. Par. & Voeg ubi ordine quarta eft, his verbis concipitur:

Jam fene Philyrio Phoebus poft terga relicto
 Tempus, equos tardans, folftitiale facit.
Porrigit & triftes tenebras, & noctis opacae
 Longior anguftos efficit umbra dies.
Jam nec in hos portus venit, ut prius, hofpita navis,
 Nec liquidum radens labitur arbor iter.

2. *Emeritos fiftit anhelus equos*] eleganter Tibullus Lib. II. El. 5. 62.

Quaque patent ortus, & qua fluitantibus undis
 Solis anhelantes abluit amnis equos.

Ovid. IV. Met. 632.

 — qui Solis anhelis
Aequora fubdit equis, & feffos excipit axes.

& Lib. XV. 418.

Deferet ante dies, & in alto Phoebus anhelos
 Aequore tinget equos.

ubi probo Heinfii emendationem, *& Ibero Phoebus anhelos Gurgite tinget equos.* quod accedit ad illud Virgilii Lib. XI. ỿ. 913.

Ni rofeus feffos jam gurgite Phoebus Ibero
 Tingat equos. idque forfan imitatione fua etiam voluit Flaminius Lib. II. Carm. 5.

Non prius ac coeli curfum confecit, Ibero
 Tingit anhelantes gurgite Phoebus equos.

3. *Rura gelu contriftat*] Refpicit ad illud Horatii 1. Sat. 1. 36.

— fimul inverfum contriftat Aquarius annum.

& Virgilii Lib. III. Georg. 279.

 — unde nigerrimus Aufter
Nafcitur, & pluvio contriftat frigore coelum.
Hoogst.

5. *Saevaque difcordes*] Virg. X. Aeneid. 356.

 Magno difcordes aethere venti

Praelia

Cum tamen e gremio cras Tethyos ortus Eoae
  Lucifer, & pulcri lumina Solis erunt,
Jucundam ſine me patriam, terrasque reviſes,
  Aedera quas liquidis ſindit amoenus aquis:
Aedera, qui vatis cunabula perfluit Heſſi,
  Et patriae fines ſeparat; Alte, tuae.
Vade (nec invideo) melioribus utere fatis,
  Nec tua crudelis vota moretur hiems.
Hactenus unus amor nobis, eademque voluntas,
  Laedere quam potuit nulla querela, fuit.

Praelia ceu tollunt, animis & viribus aequis. Hoogst. Ovid. XI. Met. 490.

Aſpera creſcit hiems; omnique è parte feroces
Bella gerunt venti, fretaque indignantia miſcent.

7. *In glacie puppes dura cum funibus haerent*] colorem deſumſit ex Ovid. Lib. III. Triſt. El. 10. 47.

Et quamquam Boreas jactatis inſonet alis,
Fluctus in obſeſſo gurgite nullus erit.
Incluſaeque gelu ſtabunt, ut marmore, puppes,
Nec poterit rigidas findere remus aquas.

8. *Et gelidum Boreas* &c.]

Dum fluvii rigido conſtitit unda gelu.
Et rapido Boreas contriſtans frigore coelum
Finitimo denſas ſpargit ab axe nives. ita in Ed. Par. & Voeg.

9. *Cum tamen e gremio* &c.] Ed. Par. & Voeg.

Cum tamen aetherei radiantia lumina Solis
Craſtinus Eoo ducet ab orbe dies.
Arva cito repetes ſine me natalia paſſu,
Quae gelidus vitreis Aedera findit aquis.

13. *Qui vatis*] Loquitur de Eobano Heſſo, nobiliſſimo iſtius temporis poëta: cujus vita egregie ſcripta eſt a Joachimo Camerario Papenbergenſe, edita cum aliis ejusdem opuſculis Lipſiae anno 1696. Hoogst.

Ibid. *Perfluit*] *Praeterit* Ed. Par. & Voeg.

14. *Et patriae fines ſeparat, Alte, tuae.*] *Non procul a cujus natus es, Alte, vadis.* Ed. Par. & Voeg.

15. *Vade (nec invideo)*] Quis non videt eſſe Ovidiani fili initio Triſt.

Parve (nec invideo) ſine me, liber, ibis in urbem. Hoogst.

Ibid. *Melioribus utere fatis*] *dulcesque reviſe penates* Ed. Par. & Voeg.

16. *Nec tua crudelis vota moretur hiems*] Leander apud Ovid. Ep. XVIII. 5.

Sed non ſunt faciles: nam cur mea vota morentur,
Currere me nota nec patiantur aquae.

ubi male Heinſ. *mea vela morentur.* nam ita Ep. ſeq. ℣. 95.

Non ego tam ventos timeo. mea vota morantes.

& Lib. VIII. Met. 71. *ſolus mea vota moratur.*

17. *Hactenus unus amor nobis* &c.] Haec aliter & duobus verſibus auctiora in Ed. Par. & Voeg.

Dum licuit, ſtudiis in mitibus egimus annos,
Et fuit Aonia gratius arte nihil.
Juvit & accenſos doctorum nomine vatum
Ingenio curam laudis agente frui.
Scis equidem &c.

Scis equidem, nec ſunt nemus antraque neſcia noſtri,
  Quercus & annoſo robore propter aquas.
Propter aquas, pater Albi, tuas, ubi denſa per aeſtum
  Molle viatori ſilva miniſtrat iter.
Illa diu noſtros teſtabitur arbor amores,
  Sive meo vivet munere, ſive tuo.
Illic ſaepe novum, vel ſero veſpere, carmen,
  Vel matutinas legimus inter aves.
Saepe (recordor enim) viridante duobus in herba
  Una quieſcendi praebuit umbra locum.
Nunc ferus antiquis nos ſedibus expulit hoſtis,
  Juſſit & exſilio vertere dulce ſolum.

Jam

19. *Nec ſunt nemus antraque neſcia noſtri*] pariter Sappho apud Ovid. Ep. XV. 137.

Antra nemusque peto; tamquam nemus antraque proſint,
Conſcia deliciis illa fuere tuis.

quod imitatus eſt Hadrianus Relandus delicatiſſimo Galateae ſuae opuſculo Eleg. X. ℣. 81.

Silva nemusque, meis oculis gratiſſima Tempe,
Conſcia deliciis ſilva nemusque meis.
Dilectae ſalvete umbrae, quas praefluus amnis
Excipit irriguis & mihi reddit aquis.

21. *Propter aquas pater Albi, tuas* &c.] hoc & ſequens diſtichon non habetur in Ed. Par. & Voeg.

23. *Illa diu noſtros teſtabitur arbor amores*] ſimiliter apud Petrum Angel. Bargaeum in Eclog. I. p. m. 287.

Intonſis ut ſola meos teſtarer amores
Montibus, & teneris incidere falce juvaret
Arboribus laudesque tuas, tua nomina, Damon.

quos verſus, ubi de hoc blandiendi more agit, inter alios adfert Broukhuſ. ad Propert. lib. I. El. 18. 22. de quo nos plura oportuniori loco videbimus ad Catalecta. verſus pentameter totus habetur etiam apud Jan. Secundum Lib. III. El. 14. ℣. 46.

Sic quoque Gorcanus (namque hoc te teſte meretur)
Sive meo vivet munere, ſive tuo.

25. *Illic ſaepe novum* &c.] in Ed. Par. & Voeg.

Saepe ſub hac teneris factum modo carmen in herbis,
Aëra mulcentes legimus inter aves.

27. *Viridante duobus in herba*]

— de bello multa referre
Dulce fuit, ſed nunc eſt meminiſſe dolor. ita in Ed. Par. & Voeg. Sed elegantiora ſunt quae nunc leguntur, & ex more ſimplicis & aurei aevi: reſpexitque Ovidii verſus Epiſt. IV. 97.

Saepe ſub ilicibus Venerem, Cinyraque creatum
Suſtinuit poſitos quaelibet herba duos.]

& Epiſt. V. ℣. 13.

Saepe greges inter requievimus arbore tecti,
Mixtaque cum foliis praebuit herba torum.

alia vide apud Heinſ. ad Ovid. III. Am. 10. 10.

29. *Nunc ferus antiquis* &c.] *Nam cito nos cbaris trux moenibus expulit hoſtis*, Ed. Par. & Voeg.

Jam noſtras miles ripas, & gaudia noſtra
Impia ſacrilegi militis uxor habet.
Quin etiam pulcri decus & ſolatia ruris,
Flamma ſuburbanas funditus hauſit opes.
Oppidaque, & ſubitis captas incurſibus arces,
In cineres uno vidimus ire die.
Quid loquar inſidias, & quod confecimus una
Per loca ſolliciti plena timoris, iter?
Nullus amor tales umquam conjunxit amicos,
Nulla fides ullo foedere tanta fuit.
Nunc quoque non comitem tibi me quocumque negarem,
Nec poſſem lacrimas, Alte, videre tuas.

Sed

31. *Jam noſtras miles ripas* &c.] Haec & ſequentia usque ad ✠. 37. *Quid loquar inſidias* &c. his verſibus prius conceperat auctor, ut in Ed. Par. & Voeg. leguntur:

Jamque inviſa gerens hederae cultoribus arma
Pegaſidum miles templa profanus habet.
Forſitan (ah facinus) turpi quoque ſanguine foedat,
Dicit & in doctas aſpera verba Deas.
Claſſica pro citharis, galeae pro virgine lauro,
Pro Muſis rigidi militis uxor adeſt.
Errat inops Phoebus, coetu comitante ſororum,
Blandaque jam longo tempore muta lyra eſt.
Quae facies capta lachrymoſior urbe fuiſſet,
Quam grege Pieridum quae fugiente fuit?
Sorte receſſuris dura mora parva dabatur,
Et male pacatus non procul hoſtis erat.
Utque ferus, pulchri decus & ſolatia ruris,
Mane ſuburbanas uſſerat ignis opes.
Tecta ſalutamus lachrymis habitata profuſis,
Undique fumantes reſpicimusque caſas.
Quis referat gemitus, ſingultantesque querelas,
Verbaque dicentum, dulcis amice vale?
Adde tot inſidias, & quod &c.

39 *Nullus amor tales* &c.] hoc ex Catullo deſumtum in Epithal. Pelei & Thet. ✠. 335.

Nulla domus tales umquam contexit amores,
Nullus amor tali conjunxit foedere amantes.

pro his tamen aliud diſtichon olim legebatur in Ed. Par. & Voeg.

Arctius haec noſtras junxere pericula mentes,
Terraque mirata eſt hospita ſaepe duos.

41. *Nunc quoque non comitem tibi me quocumque negarem*] non diſſimiliter Janus Secundus Lib. I. El. 3. 29.

Illa volet comitem ſibi me quocumque, ſequemur.

noſter infra Lib. III. El. 3.

Te mihi venturam comitem jurare ſolebas.

Uterque Naſonem imitatus eſt Ep. XIII. 163.

Me tibi venturam comitem quocumque vocares.

& Tibull. Lib. III. El. 6. 10.

Vos modo propoſito dulces faveatis amici,
Neve neget quisquam me duce ſe comitem.

42. *Nec poſſem lacrimas* &c.] *Per concervatas, qua via nulla, nives.* Ed. Par. & Voeg.

Sed tibi perque nives, perque auctos praevius amnes,
Ventos despicerem, despiceremque gelu.
Nobiscum dulces essent duo, tresve libelli,
Sarcina longinquae non onerosa viae.
Sed ducis imperium retinet, nec linquere signa
Aspera militiae jura, fidesque sinunt.
Ipse suos poscens hostes in praelia Caesar
Fulminat, & campos alite quassat equo.

Ambi-

43. *Sed tibi perque nives* &c.] Haec usque ad ℣. 53. *Clamque suis tentant* &c. hoc modo in Ed. Par. & Voeg. leguntur:

Cum quo vel Scythicas ausim lustrare paludes,
Ire pharetratos ulteriusque Getas.
Turbidus & quamvis nimis (leg. *nimiis*) *Aquilonibus aër,*
Et quamvis rigido terra sit alba gelu.
Sed praebente novo crudeles hoste tumultus,
Quo cuperem, tecum non licet ire mihi.
Saeva nec interea nos tutos frigora praestant,
Per gelidas miscent praelia dura nives.
Vicinaeque fremunt variis assensibus urbes,
Nec satis exactum est, quid magis esse velint.

44. *Ventos despicerem, despiceremque gelu.*] Agnoscimus numeros Tibullianos, ita saltem ut Lotichii tempore edebatur, lib. I. El. I. v. ult.

Dites despiciam, despiciamque famem.

quod licet probaret Gebhardus, tamen ut numerum elumbem & Bavio dignum censebat Broukhusius, & tam ex Codd. Mss. quam aliis Tibulli locis praetulit,

Despiciam dites, despiciamque famem.

& sic edidit. Itaque si editione Tibulli ex melioribus codicibus castigata usus fuisset Lotichius, scripsisset, ni fallor,

Despicerem ventos, despiceremque gelu.

certe si quadrisyllabum in pentametro repetatur, sonorius est ut spondaeus inter utrumque ponatur. & hunc numerum praefert idem Tibullus Lib. I El. 8. v. ult.

Candidior semper candidiorque veni.

& Ovidius Ep. IV. 112.

Pirithoum Phaedrae, Pirithoumque tibi.

Ep. XV. ℣. 54.

Nisiades matres, Nisiadesque nurus.

lib. IV. Fast. 408.

Perpetuam pacem, perpetuumque Deum.

& in Ibide ℣. 436.

Tantalides tu sis, Tereïdesque puer.

ipse Lotichius infra Eleg. seq. ℣. 46.

Hercinii montes, Herciniaeque nives.

neque aliter placuit Sannazario Lib. I. El. 5. 24. *Adtonuit quercus, adtonuitque feras.* & Flaminio Lib. III. Carm. 26.,

— nubila coelo
Diffugiunt, terris diffugiuntque nives.

& Jano Secundo Lib. II. El. 5. 26.

Excutiam vestras despiciamque faces.

& Eleg. 7. ℣. 12.

Coeruleis Nymphis, coeruleoque patri.

& sic alii. quibus sane aures Gebhardo paullò magis poëticas fuisse opinor, quas Scaligero judice paucis mortalibus, praecipue in numeris bene expendendis, datas esse constabit tibi ex nota Broukhusii ad Propert. Lib. IV. El. 7. 5. ubi similiter trajectione verborum omne numeri Propertiani artificium ademerat intempestiva musicae hujus poëticae inperitorum manus.

Ambiguisque fremunt magnae rumoribus urbes,
  Spumifer indomita quas premit Albis aqua.
Clamque suis tentant adsciscere partibus illos,
  Non bene de patria qui meruere, duces.
Horrida nec brumae securos frigora praestant:
  Per glaciem miscent praelia, perque nivem.
I tamen, & miseras tu, cui licet, effuge terras,
  Militiae consors hactenus, Alte, meae.
Me procul a patria, primo sub flore juventae,
  Aspera cum duro Marte fatigat hiems.
At tibi jucundis contingat pacis amatae
  Artibus, & dulci semper amore frui.
Haec ego: tu patriis etiam mox redditus oris,
  Mutua pro reditu suscipe vota meo.

D ELE-

52. *Spumifer Albis*] vide notas ad Ovid. III. Am. 6 46. *indomitam Albis aquam* vocat, imitatus, ut puto, illud Lucani Lib. II. ỳ. 51.

Fundat ab extremo flavos Aquilone Suëvos
Albis, & indomitum Rheni caput.

53. *Illos*] *illas* male in Ed. Par. & Voeg. nulla distinctione in seq. vers. ut ad *urbes* referatur, quod praecessit.

55. *Horrida nec brumae* &c] Deest hoc distichon in Ed. Par. & Voeg.

57. *Miseras*] *rigidas* Ed. Par. & Voeg.

58. *Militiae consors* &c.] *Alte, fuit socio quo mihi triste nihil* Ed. Par. & Voeg.

59. *Me procul a patria* &c.] haec usque ad finem Elegiae ita in Ed. Par. & Voeg.

Dulcibus ereptum Musis, florentibus annis
Me Boreae flabris horrida tundat hyems.
Tu sacra Pieridum cole semper amata sororum,
A quibus e maesto pectore cura fugit.
Admonitus nostri quoque forsan ab artibus illis
Debita pro reditu &c.

64. *Mutua pro reditu* &c] Subjunguntur porro in Ed. Par. & Voeg. hi versus:

Illud amicitiae te per venerabile nomen,
Nunc quoque supremo forsitan ore rogo.
Quin & ubi veteres salvere jubebis amicos,
Quae tulerim referas omnia, quaeque feram.
Quantaque jam rerum nos inconstantia verset,
Invideat coeptis sors ut acerba meis.
Haec poterunt charos audita movere sodales,
Optabit placidos & mihi quisque dies.
Atque aliquis dicet lacbrymis in verba profusis,
Dii faciant, referas ut celer inde pedem!
His utinam precibus numen coeleste, meisque
Annuat, ut minima te sequar, Alte, mora.

ultimum versum Joh. Petr. Lotichius suum fecit in Lib. I. El. IV. in fine:

Sedulus evolvens doctorum scripta virorum
Mutua pro reditu concipe vota meo.

ELEGIA IV.

AD

CHRISTIANUM LOTICHIUM FRATREM.

De obitu Patris.

Aequoris expertes dum vivo remotus ad Arctos,
  Acre sub hiberno qua riget axe gelu:
Signa bis (haud multo minus est) duodena peregit,
  Qui regit aethereos, temporis auctor, equos.
Interea semper me sors inimica fatigat,
  Cunctaque perpessis asperiora cadunt.
Aut gravis accensos febris depascitur artus,
  Nec cessat variis excruciare modis.

Aut

ELEG IV AD CHRISTIANUM LOTICHIUM &c.] In editione secunda Poëmatum Christiani Lotichii an. 1641. sub finem legitur haec Elegia eo modo, ut ex vulgatis editionibus hic expressimus. Sed in editione Carminum Petri Lotichii Parisina pag. 11. & Voegeliana pag. 13. omnia fere aliter in tota Elegia. Ceterum hoc Patrui sui Epicedium innuit Joh. Petr. Lotichius Lib. II. Poëm. Eleg. 3 quae in funere patris ejus Nicolai Lotichii scripta est:

Tanta mei quondam lamenta fuere Secundi,
  Saxonico gereret miles ut arma solo.
Absens ille suum deflevit carmine Patrem,
  Absens ipse Patrem carmine flebo meum.

nonnulla quoque ibidem occurrunt ex hac Elegia manifeste adumbrata.

1. *Aequoris expertes*] Ovidii IV. Fastor. 578.

Parrhasides stellae, namque omnia nosse potestis,
  Aequoreas numquam cum subeatis aquas HOOGST.

Cur *aequoris expertes Arctos* hic vocet, vide infra ad El. 8. ℣. 25. *immunem aequoris Arcton* dixit Ovid. XIII. Met. 293.

2. *Acre sub hyberno* &c.] *Qua Boreae tellus frigore pigra jacet.* Ed. Par. & Voeg.

3. *Signa bis* (*haud multo minus est*)] *Signa bis illustris coeli d. p.* Ed. Par. & Voeg.

4 *Qui regit aethereos*] vitiose in vulgatis Edd. *Qui gerit.* in Ed. Par. & Voeg.

Aethereos anni qui regit author equos.

in qua lectione ordo verborum auribus gratior est, quam in vulgata *peregit, Qui regit*; quod & animadvertisse videtur Joh. Petr. Lotichius, qui hunc locum ita expressit, Lib. III. El. 5.

En duodena citis trajecit signa quadrigis,
  Aetherei Titan qui regit orbis opus.

7. *Accensos febris depascitur artus*] *invalidos languor mihi conficit artus* Ed. Par. & Voeg.

8. *Nec cessat variis* &c] *Debile nec vires corpus habere sinit.* Ed. Par. & Voeg quae praeterea addunt post hunc versum:

Nec semel horrifonos jugulis effugimus enses,
  Dum nivis & patiens grandinis, exul agor.

Aut tenerae vires ultra, meritumque juventae,
  Jactura cari temporis, arma gero.
Nunc etiam trifti confumtum morte Parentem
  Nunciat a patrio fama relata folo.
Occidit infelix, dum me fera bella fequentem
  Albis ad indomitas caftra morantur aquas.
At mihi felicem reditum, patre fofpite, demens
  Fingebam, niveos pace ferente dies.
Pax erit, & grave Martis opus perpeffa juventus,
  Cingemus rigidas fronde virente comas.
Laetitiaque frement alacres plaufuque cohortes,
  Signaque pulverea fciffa trahentur humo.

9. *Aut tenerae vires ultra* &c.] *teneras* in vulgatis. In Ed. Par. & Voeg.

Aut tenerae vires ultra fortemque juventae.
Fr. Marius Molfa Eleg. 2.
Et validus metas ultra, fortemque fenectae,
Communi nefcit conditione premi.

11. *Nunc etiam trifti confumtum* &c.] Pro his usque ad ỷ. 27. fequentes a vulgatis longe diverfi leguntur in Edd. Par. & Voeg.

Ut taceam quae multa nocent incommoda belli,
Multaque ne noceant, praetereunda mihi.
His tamen o utinam Lachefis contenta fuiffes
Parte mei luctus exfaturata malis.
Sed nunc fama tui procul huc quoque funeris index
Venit, in Arctoo dum moror orbe, Pater.
Neptis & indicium lugubre peregit ademptae,
Quam mors e cunis ad cava bufta tulit.
Ergo ego femper ero fatis agitatus acerbis?
In lacrymas toties fufficiamque novas?
Horrida Sarmatici non inclementia coeli,
Barbarus in curas non fatis hoftis erat?
Debita fors etiam miferae fuit ifta juventae,
O grave nafcenti fidus atroxque mihi!
At patre fingebam reditum mihi fofpite demens,
Illud & ante oculos jam mihi tempus erat.
Sic prior excipiet genitor, fic porriget ambas,
Laetitia fletus excutiente, manus.
Cum fene tunc, vitreis &c.

15. *At mihi felicem reditum, patre fofpite* &c.] Confer Ovidii locum XI. Met. 576.

Aeolis interea, tantorum ignara malorum,
Dinumerat noctes: & jam, quas induat ille,
Feftinat veftes: jam quas, ubi venerit ille,
Ipfa gerat: reditusque fibi promittit inanes &c.
Utque foret fofpes conjux fuus, utque rediret
Optabat, nullamque fibi praeferret &c.

Livia apud Albinovanum in mortem Drufi ỷ. 126.

Haec funt in reditus dona paranda tuos?
Siccine dignus eras oculis occurrere matris?
Sic ego te reducem digna videre fui?

Et patrias pede quisque vago tendemus ad oras.
  Ipse petam ripas, Cynthi vadose, tuas.
Hic pater occurret nato, galeamque resolvet,
  Loricamque humeris exsuet ipse meis.
Famaque cum fuerit parvam vulgata per urbem,
  Confluet ad nostras undique turba fores.
Cum sene tunc, vitreis quae perfluit Alera limphis,
  Rura, vel humectat quae meus Aura, colam.
Duraque suspendens nigris e postibus arma,
  Erroris statuam militiaeque modum.
Haec mihi fingebam, rapientibus irrita ventis.
  Solamen cunctis spes erat illa malis.
Aspera seu dubii certamina Martis adirem,
  Armataque foret vita tuenda manu.

Tor-

28 *Meus Aura*] *celer Aura*. Ed Par. & Voeg. forte ante oculos habuit illud Claudiani Lib. II. de R. Pros. ℣. 121.
Dum meus humectat flaventes Lucifer agros.
quo loco imitatur Virgilium IV. Georg. 126.
Qua niger humectat flaventia culta Galaesus.
vide infra ad Lib. III. El. VII. ℣. 14.

29 *Duraque suspendens* &c.] Deest hoc distichon in Ed. Par. & Voeg. in quibus sequentes octo versus pro his duobus habentur:
Temporis hic illum prisci meminisse juvabit,
  Inque vicem curas audiet ipse meas.
At simul ad metam concessi venerit aevi,
  Mortis ego faciam ne sit acerba dies.
Frigida jamque manu componens lumina, dicam,
  Sit pater aeternum paxque quiesque tibi.
Inde genu posito super affususque sepulchro,
  Dona, piis solito more suprema feram.
Haec mihi fingebam &c.

31. *Rapientibus irrita ventis*] *renuentibus irrita fatis* Ed. Par. & Voeg.

32. *Cunctis*] *nostris* Ed. Par. & Voeg.

33. *Aspera seu dubii certamina Martis* &c.] Longe diversa sunt quae pro his ac sequentibus usque ad ℣. 61. *Tu castos inter coetus* &c. leguntur in Ed. Par. & Voeg.
Quin eadem precibus castis votisque rogabam,
  Cum votis sancte nil valuere preces.
Ergo nec ante obitus data copia cernere saltem
  Te mihi, nec pompa funeris ire tui?
Nec potui praesens audire novissima verba,
  Non aliquid dixi quod meminisse juvet?
Tu quoque me lacrymis es questus abesse profusis,
  Cum gemitu quaerens, filius alter ubi est?
Ille tibi, miserande parens, summotus ad Arcton,
  Extremum fati nescit adesse diem.
Cur ego cessavi, cur me tenuere sodales?
  Lentus in hyberna cur regione fui?

Scita

Tormentisve leves muralibus acta per auras,
Fulmineo quaterent ſaxa fragore ſolum.
Seu rapidos calidi perferrem ſideris aeſtus,
Horrida ſeu brumae frigora, ſive famem:
Tu pater aerumnas omnes caſusque levabas,
Fortis erat monitis noſtra juventa tuis.
Te propter (nec enim me dicere vera pudebit)
Cautior in ſaevi turbine Martis eram.
Nunc miſerande jaces, nec dextras jungere ſaltem
Extremum licuit funeris ante diem.
Ignes caſtrorum, vosque hoſtibus undique cincti
Hercinii montes, Herciniaeque nives:
Vos eritis teſtes, caſum me ſortis acerbae
Scire ſub hiberno non potuiſſe polo.
Ecquis enim medios audax per Caeſaris enſes,
Frigore concretas Albis adiret aquas?
Non mille excubiae, non fulmina Martis Iberi,
Non juga feciſſent, nubibus aequa, moram.

Scite tamen chari manes, haud ſortis acerbae
In gelidis potui certior eſſe locis.
Non mihi praerupti montes adituque carentes,
Non juga feciſſent nubibus aequa moram.
Flabra nec inſani Boreae, Caurique furentes,
Saxa nec Hercyniae rupis amicta nive.
Per gladios pietas iter inveniſſet apertum,
Hoſte fero cunctas impediente vias.
Si tamen eſt lacbrymis etiam placabilis umbra,
Qua licet, es lacbrymis umbra piata meis.
Solvimus inferias (quamvis procul abſumus) illas.
Sive dies ſeu nox venerit atra, fleo.
Feraleſque gerens vittas, inſigne doloris,
Dulce queror miſero nil ſupereſſe mihi.
Tu caſtos inter &c.
Caſtigatiora tamen & judicii maturioris videntur illa, quae deinde auctor ſuppoſuit, ut in vulgatis edita ſunt.

Nec glacialis hiems, illudque volatile telum,
Barbarus averſo quod jacit Hunnus equo.
Per medios pictas gladios, mediosque per ignes,
Monſtraſſet tutas praevia duxque vias.
Si tamen & lacrimis cineres placantur & umbrae,
Placata es lacrimis, umbra paterna, meis.
Carminibus lacrimas addo, lacrimisque dolorem,
Et galea madidas occulo ſaepe genas.
Tu caſtos inter coetus, animasque piorum
Aetheris in pura luce beatus agis.
Unigenamque Deum, majeſtatemque verendam
Adſpicis, aeternis perfruerisque bonis.
Nec veteres curat jam mens ſecura labores.
Usque adeo dulcis corda ſerenat amor.
Illic parva ſuo notis adludit in ulnis
Neptis avo, matris ſarcina prima ſuae.

Et

51. *Averſo quod jacit Hunnus equo*] Eſt ex Ovidio Lib. I. Art. Am. ỷ. 210.
Telaque ab averſo quae jacit hoſtis equo.
infra El. VIII. ỷ. 72 ut in Ed. Par. & Voeg. legitur: *Hunnus & averſos calce fatigat equos.* Lib IV. El. 5. 82. *Spiculaque averſo qui jacit Hunnus equo.* ubi *jacet* operarum vitio in vulgatis, ut & h. l. vide Patrui mei notas ad Phaedr. IV. fab. 3. 5.

57. *Lacrimis cineres placantur & umbrae*] vid. Broukh. ad Tibull. Lib. I. El. 3. 8. & Lib. III. El. 2. 12.

61. *Tu caſtos inter coetus* &c.] Quatuor hi verſus antea in Ed. Par. & Voeg. ita legebantur:
Tu caſtos inter manes, coetusque verendos,
Elyſia tempus valle receptus agis.
Lucida jam tenebris ibi conſpicis aſtra relictis,
Et quae multa latent lumina noſtra, vides.
neque conparet illic diſtichon illud, *Nec veteres curat jam mens* &c.

67. *Illic parva ſuo* &c.] *Alluditque ſuo, permiſta recentibus umbris*, Ed. Par. & Voeg. intelligit filiam ſororis ſuae Elizabethae, de qua vide Lotichii Epiſtolas Lib. I Ep. 26 & 27. Sequenti diſticho innuit fratrem Georgium Lotichium, primo juventutis flore extinctum, quem non ſine cauſſa hic fingit carmina in amplexu Patris cantantem, quia Georgius hic, undecimo licet aetatis anno ereptus, Muſis tamen feliciter jam litabat, ut patet ex Epitaphio, quod legitur Lib. I. Carm. 9.
Quatuor addideras ſeptem natalibus annos,
Jamque lyrae cordi, jam tibi carmen erat.
ubi plura de ejus obitu notabimus.

68.

Et nuper viridi raptus mihi frater in aevo
Cantat in amplexu carmina blanda tuo.
Carmina, quae coelum coelique volubilis orbes
Mulcent, ac niveos Solis euntis equos.
Felix morte ſua, non cari funera vidit
Patris, & eſt ſaevo paſſus ab hoſte nihil.
Nos dolor, & vitae mortalis inania verſant
Somnia, & ambiguis ſpesque timorque modis.
Nos deſiderio luctus renovamus amaros,
Nec triſti ceſſant imbre madere genae.
Nec te, (ſpero equidem) genitor, labentibus annis
Spreta ſub ignoto ceſpite condet humus.
Corpus & in cineres cum longa redegerit aetas,
Gloria natorum voce ſuperſtes erit.

Inpo-

68. *Matris*] *matri* Ed. Par. & Voeg. quod praeſero, ſi voces hac invicem ſibi jungantur, ad vitandum ſibilum ut hoc in loco, & apud Ovidium VI. Met 224.
E quibus Iſmenos, qui matri ſarcina quondam
Prima ſuae fuerat.
ſed recte *matris onus*, *uteri onus* & ſim. apud alios dicuntur, de quibus vide Heinſ. ad Lib. III. Faſt. 718.

69. *Et nuper viridi* &c.]
Filius binc ducit te laeta per arva piorum,
Et lateri gaudet proximus eſſe tuo.
Felix morte ſua, nec cari &c. ita in Ed. Par. & Voeg.

72. *Niveos Solis euntis equos*] verſus Ovidii II. Am. I. 24.

75 *Nos dolor* & *vitae* &c.]
Nos te, chare pater, delamentamur ademtum,
Nec triſti ceſſant imbre madere genae.
Ed. Par. & Voeg.

77. *Amaros*] *acerbos* Ed Par. & Voeg.

78. *Nec triſti ceſſant* &c.] *Hoc quoque, quo poſſum non dare majus, babes.* Ed. Par. & Voeg ex Ovid. I. Triſt. El. 14 14. *Quo dare nil potui munere majus, babet.*

79. *Nec te (ſpero equidem) genitor* &c.] *Nec vos (ſpero equidem) manes ſine bonore paterni* Ed. Par. & Voeg.

v. 81. *Corpus & in cineres cum longa redegerit aetas*] Idem verſus occurrit apud noſtrum Lib. V. El. 19. 135.
Corpus & in cineres cum longa redegerit aetas,
Vivet, & aetatis fama ſequentis erit
numerum tamen ſingularem *in cinerem* magis poëticum eſſe notat Heinſ. ad Ovid Ep. I. v. 24. ubi conſule Patrui mei notas: ſed exempla omnia illic ſunt de ruinis urbis exuſtae & in cinerem verſae. de mortui cadavere habes etiam apud Ovid. III Triſt. 3. 83.

Quamvis

Inpositusque super tumulum breve carmen habebit,
Ut tua visuris indicet ossa, lapis.
Quod superest, dum me retinent fera praelia, Frater,
Quo solo fulta est sospite nostra domus:
Interea matrem, quaeso, solare relictam;
Vivat, & aerumnas nesciat illa meas.

Tu

Quamvis in cinerem corpus mutaverit ignis. Tibullus Lib. I. El. 10. 12.

— at Deus illa
In cinerem, & liquidas munera vertat aquas.

Auctor Phoenicis ✝ 100.

Flagrat & ambustum solvitur in cinerem.

Minucius Felix in Octavio pag. 327. *Corpus omne, sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis.* Sulpitius Severus in vita Martini cap. 12. *Aras omnes atque simulacra redegit in pulverem.* plurali tamen numero apud Silium Ital. Lib. XIV. ✝. 315 *in cineres abiere ruinae.* Ovid. v. Trist. 12. 68. *in cineres Ars mea versa foret.* Auctor carminis in Aeneidem Virgilii:

Hoc opus aeternum ruet? & tot bella, tot versus
In cineres dabit hora nocens.

Arnobius Lib. I. pag. 4. *Quando mundus incensus in favillas & cineres dissolutus est.* & sic apud alios. noster supra Eleg. 3. ✝. 36.

Oppidaque, & subitis captas incursibus arces,
In cineres uno vidimus ire die.

Sannazarius lib. 1. El 9. ✝. 100.

Nec totum in cineres vertet avara dies.

82. *Gloria natorum* &c.] *superstes eris* in vulgatis. *Pars melior nostra voce superstes erit.* Ed Par & Voeg.

83. *Inpositusque super* &c.] *Et super impositus tumulo*, Ed. Par. & Voeg. quod melius videtur, si *superinpositus* scribatur una voce: qualia decomposita amat Ovidius. ut *superincumbere*, *superinjicere*, *superingerere* & sim. *habebis* male in vulgatis Edd. similis locus infra Eleg. VI. ✝. 84. ubi vide.

85. *Quod superest, dum* &c.] Sequentia usque ad finem Elegiae sic concipiuntur in Ed. Par. & Voeg.

Quaque reliquisti vitales mortuus auras,
Semper honoratas inter habebo diem.
Primus & aspiciam tollentem lampada Phoebum,
Et dicam, lacbrymas advehit iste meas.
Interea bellis turbantibus omnia, frater,
Sollicitae curam tu genitricis agas.
Et memor assidue nostri felicior absens,
Sive, quod heu vereor, sive redibo, vale.

qui versus certe non pejores vulgatis sunt, in quibus tamen aures forte nimis delicatas offendere possit *quaeso solare.* Sed ejusmodi geminationes syllabarum Poëtis frequentes nec insuaves esse ostendunt Broukhusii notae ad Tibull. Lib. I. 1. 3. & Patrui mei ad Ovid. Epist. 11. 61. & III. Am. 7. 26. quorum observatis similia addantur è multis exempla. Virg. II. Georg. 13. *glauca canentia fronde salicta.* ubi vid. Serv. & ad Lib. III. Æn. 183. *tales casus Cassandra canebat.* Auctor Copae in initio: *Copa Syrisca caput Graja redimita mitella.* ubi vide Weitzii notas p. 7. Horat. Lib III. Od. 4. 68. *Omne nefas animo moventes.* cui simile illud Virg. III. Æn. 656. *vasta se mole moventem.* Propert. Lib. I. El. 1. 12.

Ibat & hirsutas ille ferire feras.

Statius Lib. V. Silv. 4. fine:

— extremae me tange cacumine virgae.

Ovid. II. Am. 7. 10. *alterius dicar amore mori.* Lib. II. ex P. Ep. 10. 35. *Saepe brevis nobis vicibus via visa loquendi.* Sed modus exemplorum sit. alia vide apud Lambin. ad Lucret. Lib. I. 856. & Barth. ad Grat. Cyneg. 10.

Tu quoque, militiam caſus quicumque ſequetur,
Sive (quod heu vereor) ſive redibo, vale.

*Elegia V.

AD LUNAM.

Cum noctu iter faceret.

Dum brumale riget glaciali frigore coelum,
In mediae facio tempore noctis iter.
Nec mihi nota via eſt, nec praebent ſidera lucem,
Nixque fatigatos inpedit alta pedes.
Ergo pruinoſae moderatrix Cynthia noctis,
Huc adhibe vultus officioſa tuos.

E Cauſſa

90. *Sive (quod heu vereor) ſive redibo, vale*] haec imitatur Joh. Petr. Lotichius Lib. I. El. 1.

Sive (quod heu vereor) meliores tempora mores,
Sive pios reddent ſecula cana Numas.

apoſiopeſin hanc elegantiſſimam mutuatus eſt noſter ab Ovid. Epiſt. XIII. 164.

Me tibi venturam comitem quocumque vocaris,
Sive (quod heu timeo) ſive ſuperſtes eris.

ubi vide Patrui mei notas, & qui pluribus hoc loquendi genus mali ominis vitandi cauſſa abruptum illuſtrat Cel. Drakenb. ad Silium Ital. Lib. IX. ✝. 55. paullo apertius id exprimit Tibullus Lib. III. El. 5. 32.

Vivite felices, memores & vivite noſtri,
Sive erimus, ſeu nos fata fuiſſe volent.

quod imitatus Janus Secundus Lib. III. Eleg. 10 in fine:

Vivite felices, dum me tenet ultima tellus,
Vivite, ſeu vivam, vivite ſeu moriar.

ſimili apoſiopeſi poëtica dixit Sannazarius Lib. III. Eleg. 2. in fine:

Parce tamen, ſciſſo ſeu me, mea vita, capillo,
Sive; ſed heu probibet dicere plura dolor.

quorum tamen verſuum ſenſus non omnibus forte ita apertus eſt. per *ſciſſum* enim *capillum* mortem innuit, reſpiciens ad ſuperſtitionem veterum, qua moribundis Proſerpina crinem ſecare credebatur. notum illud Virgilii de Didone:

Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat orco.

vide Canter. Lib. IV. Nov. Lect. cap. 20. eo reſpicit quoque noſter Janus Secundus Lib. I. Ep. 3.

Furvaque cepiſſet Stygio dare dona marito
Fatalem crinem vellere Perſephone.

* Eleg. V. Legitur in Ed. Voegeliana Lib. I. Carmin. pag. 62. & in fine Ed. Pariſinae p. 38. b.

1. *Dum brumale riget glaciali*] *Dum glaciale riget brumali*, Ed Par. & Voeg.

2. *Tempore*] *tempora* Ed. Par. & Voeg.

4. *Nixque fatigatos*] *Denſaque Sarmatico nix Aquilone jacet.* Ed. Par & Voeg.

5. *Ergo*] Vid notata ad Eleg. II. ✝. 32.

6. *Huc adhibe vultus officioſa tuos*] Imitatur auctor Ovid lib. II. Am. 13. 15. *Huc adhibe vultus* &c. vel illud Leandri apud eumdem Epiſt. XVIII. 64. *Flecte precor vultus*

Caussa gravis cogit, dubii quod plena timoris
Per loca, dum tenebris cuncta teguntur, eo.
At mihi quid prodest, solida quod imagine fulges,
Lucida cum densis nubibus ora tegas?
Non ego furta paro belli, non proditor erro,
Facta latebrosae nil mea noctis egent.
Forte pudet rosei maculas ostendere vultus,
Cum sis orbe magis versicolore decens.
Non te purpureo circumdata vincit amictu,
Incipit aethereae quae Dea lucis iter.
Nec similes vultus, praelata duabus in Ida,
(Pace loquor Veneris) mater Amoris habet.

Exsere

tus ad mea vota tuos. Sed & tota illa Leandri invocatio ad Lunam cum his meretur conferri. Eleganti etiam carmine Lunae laudes celebrat Georg. Anselmus, Parmensis, poëta vel ideo commendandus, quod non ita vulgo notus sit, Lib. IV Epigr. 25. Michael Marullus Lib III. Hymnorum Carm 2. & praecipue Joh. Jov. Pontanus Lib I Uraniae Carm. 2 & 3. ubi singula Lunae adtributa & prognostica non minus erudite, quam in pulcherrima hac Lotichii Elegia, describuntur.

7. *Dubii quod plena*] Expressum ex Ovidio Lib III. Trist. XI. 10.

Omnia solliciti sunt loca plena metus. HOOGST.

9 *Solida quod imagine fulges*] Non dubito Lotichium in animo habuisse illud Ovidii, quo plenilunium circumscribit, Lib. VII. Met. 181.

— postquam plenissima fulsit,
Ac solida terras spectavit imagine Luna.

10. *Non ego furta paro belli*] est hemistichium Virgilianum. Sed deest hoc distichon in Ed. Par. & Voeg.

14. *Cum sis orbe magis*] *Orbe magis cum sis*, Ed. Par & Voeg. Cum versicolore & incantationibus magicis laboranti Luna formam pulchriorem comparat Ovid. II. Am. 5. 38

15. *Non te purpureo* &c.] hos Lotichii versus honesta imitatione sic expressit Broukhus. Lib IV. El. 13. ad Noctem:

Non tibi contulerim, nitidi quae nuntia Solis
Purpureum roseo provocat ore diem.
Non tibi, quae, radiis quamvis argentea puris,
Stellarum vigiles emicat ante choros.

17. *Nec similes vultus* &c.] Adumbratum ex Ovidio Epist. Paridis, ℣. 115.

His similes vultus, quantum reminiscor, habebat,
Venit in arbitrium cum Cytherea meum.

& Leandri Epist. XVIII. 69.

A Veneris facie non est prior ulla tuaque.

& sane libenter in hoc pulchritudinis typo à fulgore Lunae desumto indulgent sibi poëtae veteres ac recentiores. Vide Broukhus. ad Tibul. III. El. 4. ℣. 29. & nostrum lib. IV. El. 3. ℣. 122.

Exſere portantes radiantia lumina bigas,
Neve meae dici cauſſa merere necis.
Nam coacervatas (vos alta ſilentia teſtor)
Quis dabit his tenebris exſuperare nives?
Nulla pedum video veſtigia, nulla rotarum,
Et piceis coelum nubibus omne latet.
At memini, caecae cum fretus munere noctis
Nuper amans foribus ſerta daturus eram;

20. *Neve meae dici cauſſa* &c.] Albinov. Elegia ad Liviam ℣. 270.

Cauſſaque dicemur nos tibi, Druſe, necis.

Ovid. Epiſt. X. 144.

Non tamen eſt cur ſis tu mihi cauſſa necis.

poſt hunc verſum addunt Ed. Par. & Voeg. hoc diſtichon, quod in aliis editionibus non legitur:

Non gladios metuo, violenta nec ora luporum,
Sit licet Hercynium non procul inde nemus.
Sed coacervatas &c.

Confer cum hoc loco G. Sabinum in Hodoeporico itineris Italici Lib. II. Eleg. I. pag. 53. ubi de Hercynio nemore:

Ilicibus piceisque frequens ſtabulisque ferarum
Imus in Hercynium per juga celſa nemus.
Hujus ad ima cavae ſubſidunt tartara valles,
Quas radiis numquam Phoebus adire poteſt &c.
Per nemus antra colunt immanes unguibus urſi,
Et loca ſunt multis plena latrociniis.

24. *Et piceis coelum nubibus* &c] ex Ovidio XI. Met. 549.

— inducta piceis e nubibus umbra
Omne latet coelum: duplicataque noctis imago eſt.

Poſt hunc verſum inſeruntur in Ed. Par. & Voeg.

Jamque fatigatum dubiarum ambage viarum
Corpus, & immiti frigore membra rigent.
Cur tamen aſpectu te ſubtrahis invida noſtro
Et mala cum poſſis tanta levare, gravas?

25. *At memini, caecae* & ſeqq.] Eleganter vota ſua variat, & intempeſtivum Lunae ſplendorem in his exprobrat, ex more Poëtarum, qui nocte ad amicam properantes, Lunam precari ſolent, ut lucem abſcondat, ne prodantur. delicatiſſimum hanc in rem eſt Flaminii Epigramma Lib. III. Carm. 29.

Luna decus coeli, aſtrorum Regina bicornis,
Quae medio raptim laberis alta polo.
Ad dominam propero, qua nec formoſior umquam
Pavit, nec paſcet ulla puella gregem.
Tu, mea ne quisquam valeat deprendere furta,
Conde precor lucem, candida diva, tuam.
Sic tibi ſit proprio ſplendeſcere lumine: ſic par
Et magni radiis aemula Solis eas.

ita Andreas Naugerius Epigrammate ad Noctem: Carm. XXII.

Nox bona, quae tacitis terras amplexa tenebris
Dulcia jucundae furta tegis Veneris.
Dum propero in carae amplexus, & mollia Hyellae
Oſcula: tu noſtrae ſis comes una viae.
Neve aliquis noſtros poſſit deprendere amores,
Aëra coge atras denſius in nebulas.

Joh. Baptiſta Pigna, in carmine ad Hyellam, Tom. II. Poët. Ital. Toſcani p. 290. b.

Nunc Lunae tacito ſint condita cornua coelo,
Et Veneris tenebrae dulcia furta tegant.
Nunc matrem fallens ſomno plumisque ſopitam

Cuncta ferenato removebas nubila coelo,
Proditus & per te fabula mane fui.
Nunc radiis fulge, ftirps o Latonia, puris.
Si careas illis, quis tuus ufus erit?
Fallor? an es magicas coelo deducta per artes,
Teque reluctantem carmen & herba trahunt?

Nunc

Huc greffu propero dulcis Hyella veni.
pari elegantia in Luciferum lufit Joh. Bapt. Amaltheus pag. 102. Ed. Broukh.
Quid properas, ingrate, meos laefurus amores,
Et nitido revocas, Lucifer, ore diem?
Ah ne me carae amplexu disjunge puellae,
Ah ne me abreptis diftrahe deliciis.
Flecte viam, tardoque remenfus fidere coelum,
Serum iter Eois contere limitibus.
alio rurfus artificio Lunam faepe ad viae & itineris fecuritatem precantur, ut niteat tota, & euntibus lumen praebeat. Leander apud Ovid. Ep. XVIII 60. feqq.
Luna mihi tremulum lumen praebebat eunti,
Ut comes in noftras officiofa vias.
Hanc ergo fufpiciens, faveas, Dea candida, dixi,
Et fubeant animo Latmia faxa tuo.
Non finat Endymion te pectoris effe feveri,
Flecte precor vultus ad mea vota tuos.
quod imitatus eft Joh. M. Tofcanus in Carm. Poët. Ital. Tom. I. pag. 55 in voto ad Lunam:
Dum Gallae nocturna petit formofus Jölas
Limina, cor caeco toftus ab igne puer.
Huic tutum mediae per opaca filentia noctis
Alma tuus fplendor, Luna, miniftret iter.
Sic Aurora, tuis quoties complexibus haeret
Endymion, lentis tarda vehatur equis.
ceterum ut hic Lotichius de intempeftivo Lunae officio queritur, non diffimili colore poëtico inoportunum Somni munus incufat Broukhufius Lib. IV. El. XIII. de Somno ad Noctem:
Aut quod crediderim, furtivo captus amore
Deliciis fruitur nunc fine tefte fuis.
At memini cum me fperatae ad gaudia noctis
Sifteret in thalami limine dulcis amor;
Invitaeque oculis furtim irrepfiffe puellae,
Deliciasque mihi praeripuiffe meas.

30. *Si careas illis, quis tuus ufus erit*] Ovidii eft lib. II Am. 3. 12.
Si careas illa, quis tuus ufus erit?

31. *Fallor? an es magicas coelo deducta per artes*] Novi nihil frequentius apud Poëtas, quam *coelo deduci* Lunam per magicas artes, occurrere. Virgilius Ecl. VIII. 69.
Carmina vel coelo poffunt deducere Lunam.
Propertius lib. II. El. 21. 37.
Et jam Luna negat toties defcendere coelo.
Horatius Epod. V. ℣. 45.
Quae fidera excantata voce Theffala,
Lunamque coelo deripit.
aliisque in locis, quos vide apud Ciofan. ad Ovid. VII. Met. 207. & N. Heinf. ad Sabini Epift. Paridis ℣. 83. Cum tamen *coelo* apud noftrum modo praeceflerit ℣. 27. *removebas nubila coelo* & ℣. 24. *Coelum nubibus omne latet*, & denuo hoc in verfu *coelo deducta*; id tantillo fpatio ter repetitum non eft nitoris Lotichiani. Itaque concinnius & non minus poëticum fuiffe arbitror, fi fcripfiffet auctor,
— magicas curru deducta per artes.
ut imitetur Tibullum fuum Lib. I. El. 9 21.
Cantus & e curru Lunam deducere tentat:
Et faceret, fi non aera repulfa fonent.
vel illud Ovidii, cujus locum videtur toto hoc difticho expreffiffe, Epift. VI. 85.
Illa reluctantem curru deducere Lunam
Nititur, & tenebris abdere Solis equos.
ubi plura de Lunae curru fuppeditabunt N. Heinfii notae: & hoc fuadent fequentia ℣. 36. — *oblitam fcandere rurfus equos.*

apud

Nunc resonare cavis tinnitibus aëra vellem,
Ut ferrent, quoniam ferre putantur, opem.
Fallor? in occulto te pastor Latmius antro
Detinet, oblitam scandere rursus equos.
Deliciasque facis molles, & sedula curas,
Dum roseas illi stat sopor ante genas.
Scande rotas iterum, soror o pulcherrima Phoebi.
An puerum mulcens te quoque somnus habet?
En etiam nostros tandem miserata labores,
Coeruleas variant astra minora vias.

apud Poëtas enim Soli, Lunae, & Lucifero quoque, si equi numero plurali dantur, currum plerumque intelligi, patebit tibi ex docta Jani Douzae Filii nota de *curru Luciferi* in Conjectaneis ad Tibull. cap. III. paullo etiam post addit noster,

Scande rotas iterum, soror ô pulcherrima Phoebi.

Similiter *Solis currum* magico suo carmine pallere Medea gloriatur apud Ovid. VII. Met. 208.

Te quoque, Luna, traho, quamvis Temesaea labores
Aera tuos minuant. Currus quoque carmine nostro
Pallet avi, pallet nostris Aurora venenis.

ut verissime locum illum restituit Heinsius. Sannazarius Lib. I. El. I. 69.

Carmina sanguineae deducunt cornua Lunae,
Et revocant niveos Solis euntis equos.

vide Livineji notas ad Propert I. El. I. ℣. 19.

Carmen & informi pallentem sanguine Solem
Inficit, & Lunae sistit euntis equos.

Sequenti disticho Tibulliana ista exprimit, *Et faceret si non aera repulsa sonent*: quibus respicitur ad morem, quo Lunae deficienti aera pulsabant, ut tinnitu hoc auxiliante opem ei ferrent & labores aera minuerent, ut in Ovidii loco modo producto. vide Scholiasten Lutatium ad illud Statii VI. Theb. 686.

Sic cadit, attonitis quoties avellitur astris
Solis opaca soror, procul auxiliantia gentes
Aera crepant, frustraque timent. at Thessala victrix
Ridet anhelantes audito carmine bigas.

& hanc superstitionem diu postea apud Christianos quoque durasse docebunt notae Broukhusii ad d. l. Tibulli. plura Casaubonus in Lect. Theocrit. cap. 3. Lips. ad Tacit. 1. Ann. 28. Schegk. ad Vellej. Paterc. lib. 1. cap 4. & Barth. ad Claudian. Bel. Get. ℣. 234.

33. *Nunc resonare*] Efficiens hic transit eleganter ad effectum, nam *cavi tinnitus* sunt *cava aera*. HOOGST.

35. *Fallor? in occulto te pastor Latmius antro Detinet*] *in assuetis herbis* Ed. Par. & Voeg. Endymionis amores similiter Lunae in memoriam revocat Leander apud Ovid. ℣. 62. Imitatus id est Basilius Zanchius, poëta supra vulgi captum elegans & disertus, Eleg. III. in Delic. Poët. Ital. T. II. p 1457. ubi ad Lunam:

Sic te Diva tuus semper suspiret amator,
Et teneat roseo Latmius ore puer.

& Eleg. VII. p. 1467.

Tu quoque & aurato fulgens argentea cornu
Cynthia, fraternis aemula luminibus,
Sic incorrupti nunquam plorentur amores,
Sic faveant votis Latmia saxa tuis.

37. *Deliciasque facis molles*] *Spargis & amplexum violis*, Ed. Par. & Voeg

40. *Puerum*] *Juvenem* Ed. Par. & Voeg.

Jam Tegeea micat virgo, quique aurea custos
Raptus ab Arcadiis venit in astra jugis.
Andromedeque suis nondum resoluta catenis,
Et Cepheus genitor, Cassiopeque parens.
Quique datis findens olim talaribus auras,
Per liquidum Perseus aëra fecit iter.
Non ego jactandas humeris desidero pennas.
Sparge jubar tantum: protinus ales ero.

Aut

43. *Jam Tegeaea micat virgo*] *Tegeea* scribendum, non *Tegeaea*, ut male vulgo, jam monuit Dan. Heins. ad Ovid. I. Fast. 545. & Patruus meus ad Epist. IX. Heroid. ✝. 87. unde miror in ejus editione *Tegeaea virgo* haberi Lib. II. Artis ✝. 55.

Sed tibi nec virgo Tegeaea, comesque Bootae,
Ensiger Orion adspiciendus erit.

in sequentibus describitur Arctophylax, seu ursae custos, Bootes aliter dictus, vel Arcturus. *Custos Erymanthidos ursae* dicitur Ovid. I. Trist. 4. 1. vide eumdem Lib. II. Fast. 153. & seqq. & Nonni locum in notis Schwartzii ad Germanici Arat. v. 138. unde intelliges cur *ab Arcadiis jugis in astra venisse* hic dicatur. adde Ciofan. ad Ovid. II. Met. 176.

45. *Andromedeque suis nondum resoluta catenis*] Hoc loco Lotichius ante oculos habuit illa Ovidii lib IV. Met. 737. ubi de Perseo & Andromeda:

—— servatoremque fatentur
Cassiope Cepheusque pater? resoluta catenis
Incedit virgo?

sequenti disticho *Perseus findens talaribus auras* dicitur exemplo ejusdem ✝. 666.

Et liquidum motis talaribus aëra findit.

& ✝. 717.

Sic celeri fissum praeceps per inane volatu
Terga ferae pressit.

ut emendat Heinsius, quem vide Ceterum Persei & Andromedes fabulam elegantissimis versibus descripsit vir illustris, &, ut Lotichius, utriusque Minervae laude olim insignis, Balthasar Castilioneus pag. 79. inter Carmina illust. Poëtar. Ed. Florent. 1549.

49. *Non ego jactandas* &c.] Adumbrat im iterum ex Ovidio Lib. III. Trist. El. 8. ✝. 5.

Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currus,
Misit in ignotam qui rude semen humum.
Nunc ego Medeae vellem frenare dracones,
Quos habuit fugiens arce, Corinthe, tua.
Nunc ego jactandas optarem sumere pennas,
Sive tuas Perseu, Daedale, sive tuas.

idem lib. III. Am. El. 6. 12.

Nunc ego quas habuit pennas Danaëius heros,
Terribili densum cum tulit angue caput;
Nunc opto currum, de quo Cerealia primum
Semina venerunt in rude missa solum.

& haec Ovidiana imitatus est Valerius Flaccus Lib. I. ✝. 67.

—— nunc aërii plantaria vellet
Perseos, aut currum, ut saevos frenasse dracones
Creditur, ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit, & flava quercum damnavit arista.

Propertius Lib. II. El. 23. 55.

Non si Pegaseo vecteris in aëre dorso,
Nec, tibi si Persei moverit ala pedes.
Vel, si te sectae rapiant talaribus aurae,
Nil tibi Mercurii proderit alta via.

50. *Protinus ales ero*] *non ego segnis ero.* Ed. Par. & Voeg. Sed alterum rectius, & adhaeret illis Ovidii primo loco, ✝. 15.

Ille tibi pennasque potest, currusque volucres
Tradere, det reditum: protinus ales ero.

Aut plus, aut medios nox adtigit humida curſus,
 Et maris occidui Pleïas intrat aquas:
Culmen & adſcendit, qui vexit Ariona, Delphin,
 Vatibus adſidue ferre paratus opem.
Exſere conſpicuos nunc, o pleniſſima, vultus:
 Exſere, nec capiti frigida parce meo.
Sic neque te magicae confundant murmura linguae,
 Dira nec Haemoniis pabula nata jugis.
Nec mala vicinae laedant contagia terrae,
 Ambroſiaque leves ſemper alantur equi.

Ipſe

51. *Aut plus, aut medios* &c] Ovid. II. Faſt. 164.

Aut plus aut medium Sole tenente diem.

medias nox attigit humida metas in Ed. Par. & Voeg.

57. *Sic neque te magicae confundant murmura linguae*] *Confundere* hic eo ſenſu poni arbitror, quo Leander apud Ovid. Ep. XVIII. 129.

Cur ego confundor, quoties confunditur aequor?

Confuſus enim ſaepe pro perturbato. vide notas ad Juſtin. XXXII. 2, 3. & ad Ovid. III. Am. 9. 15. *Murmura* autem proprie de incantationibus magicis, ut *murmur fatidicum, murmur magicum.* vid. Cel. Drakenb. ad Silium Ital. III. 680.

Inplet fatidico Dodonida murmure quercum.

Statius IV. Theb. 418.

Graminibusque novis & longo murmure purgat.

& Lib. IX. 734.

— cantusque ſacros, & conſcia miſcet
Murmura, ſecretis quae Colchidas ipſa ſub antris
Nocte docet, monſtratque feras quaerentibus herbas.

Vide plura apud Patruum meum in notis ad Petron. cap. 86. & Valer. Fl. VII. ℣. 389.

58. *Dira nec Haemoniis pabula nata jugis*] Ita ſemper ſcribendum, non *Aemoniis*, ut vulgo, dudum monuerunt Viri Docti. & ubique in Ovidio & Valerio Flacco edidit Heinſius. neque aliter Cod. Mſſ. apud Horat. Lib. I Od. 37. 20. ubi vid. G Fabric. Carrion. ad Valer. Fl. Lib. I. 22. & Dausquej. Orthogr. P. II p. 147. *dira pabula* etiam apud Ovid Ep. VI. 84. quae *mala pabula* in Rem. Am. 249.

Viderit, Haemoniae ſi quis mala pabula terrae
Et magicas artes poſſe juvare putat.

Malas herbas Tibull. Lib I El 2. 51.

Sola tenere malas Medeae dicitur herbas.

ubi illis, quae Broukhuſius adnotavit, firmare conjecturum ſuam poteſt Cl. Valckenarius, qui in Animadv. ad Ammon. p. 222. legebat apud eumdem Tibull. Lib. II. El IV. ℣. 60.

Mille malas herbas miſceat illa: bibam.

licet vulgata *alias* ſenſu etiam commodo illic ſe tueri poſſit.

59. *Nec mala*] Expreſſit ex Virg. Ecl. I. 51.

Nec mala vicini pecoris contagia laedent.

HOOGST.

60. *Ambroſiaque leves ſemper alantur equi*] Nondum ſe obtulit mihi veteris poëtae locus, quo Noctis equis ambroſia pro pabulo tribuitur, qua Solis equos paſci canit Ovid. Lib. II. Met. 120.

Jungere

Ipse potestatesque tuas, tua nomina dicam,
Mille potestates, nomina mille canam.
Jamque repurgatis argentea nubibus exis,
Icta repercussa luce refulget humus.
O mihi si positis faveant Aquilonibus aurae,
Ordine per laudes dum juvat ire tuas.
Tu veneranda poli regina, sequentibus astris,
Conspicuos rutilo ducis in axe choros.
Et licet e cunctis, quae sustinet aureus aether,
Terras adspicias e propiore loco:

Nota

Jungere equos Titan velocibus imperat Horis;
Jussa Deae celeres peragunt, ignemque vomentes
Ambrosiae succo saturis praesepibus altis
Quadrupedes ducunt, adduntque sonantia frena.

& Lib. IV. Met. ✝. 215.

Axe sub Hesperio sunt pascua Solis equorum,
Ambrosiam pro gramine habent, ea fessa diurnis
Membra ministeriis nutrit, reparatque labori.

quem locum imitatus est noster infra Lib. II Eleg. I. ✝. 41.

Vosque fatigatos coelesti gramine dicam
Axe sub Hesperio pascere Solis equos.

neque tamen ideo vitiosum est Lunae adscribere, quod Soli tribuunt alii Poëtae. ut autem hic Lunae equis perpetuam ambrosiam adprecatur Lotichius, sic Lucifero Johannes Baptista Amaltheus pag. 102. Ed. Broukh.

Sic numquam ulla tuos obducant nubila vultus,
Teque alat aeterna Jupiter ambrosia.

63. *Jamque repurgatis argentea nubibus exis &c.*] obversabatur Lotichio illud Ovidii Lib. V. Met. 286.

Desierant imbres, victoque Aquilonibus austro
Fusca repurgato fugiebant nubila coelo.

ubi *repercusso* in vetustis codicibus est. Sed male: sequenti versu hoc verbo rectius noster utitur. ita enim & Leander apud Ovid. Ep. XVIII. 77.

Unda repercussae radiabat imagine Lunae,
Et nitor in tacita nocte diurnus erat

cui simile illud Virgilii Lib. VIII. Æn. 22.

Sicut aquae tremulum labris ubi lumen aënis
Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunae.

quibus locis probari posset codicum optimorum lectio Lib. II. Met. 110.

Clara repercusso radiabant lumina Phoebo.

quod & firmatur a secundo Palatino. vulgo *reddebant.*

65. *Positis*] *pulsis* Ed. Par. & Voeg.

65. *Ordine per laudes dum juvat ire tuas*] Ovid. I. Fast. ✝. 15.

Adnue conanti per laudes ire tuorum.

67. *Tu veneranda poli regina, sequentibus astris*] More veterum Poëtarum fingit Lunam siderum quasi satellitio stipatam ac cinctam. vide Broukhus. ad Propert. III. El. 19. 10 & Patrui mei notas ad Sabini Epist. III. ✝. 83. *Choros* siderum in genere de omnibus stellis, interdum & de solis errantibus dici docte adnotavit J. Douza F. in Conjectan. ad Tibull. cap. IV. pag. 31.

70. *Terras adspicias*] *Aspicias terras*, Ed. Par. & Voeg.

Nota tamen quod ſunt, nec inobſervata feruntur,
  Sidera, cum fixis, irrequieta, tuum eſt.
Nullaque te poſſunt rapido praevertere curſu,
  Orbita ſaepe licet ſumma retardet iter.
Nec tibi par, quamvis nectat talaria plantis,
  Atlantis magni Pleïonesque nepos.
Hoc quoque quod tecum rutilos communicat ignes
  Sol oculus mundi, gloria magna tua eſt.
Menſibus inplebas tu priſci temporis annos,
  Dum populus ſapiens, dum novus orbis erat.

F Tu

71. *Nec inobſervata feruntur Sidera*] vid. N. Heinſ. ad illud Ovidii lib. III. Faſt. v. 111.

Libera currebant, & inobſervata per annum Sidera.

76. *Atlantis*] Totus eſt Ovidii. Vid. Epiſt. Paridis ad Helenam ỳ. 62. HOOGST.

77. *Quod tecum rutilos communicat ignes Sol oculus mundi*] Id paſſim quoque apud Poëtas habetur, qui ſequuntur illos e veteribus Philoſophis, qui Lunam a Sole *nothum lumen*, ut Lucretius & Catullus vocant, mutuari, alii proprio potius lumine fulgere tradunt. Qua de re cum multi egerint, unus inſtar omnium ſufficere poterit idem Douza F. in notis ad illud Catulli carm. IV.

Tu potens Trivia, & notho es
Dicta lumine Luna.

Sol autem *oculus mundi*, ideſt coeli, hic dicitur exemplo Ovidii Lib. IV. Met. 228. ubi Sol ipſe loquitur:

Omnia qui video, per quem videt omnia tellus,
Mundi oculus.

ubi vide Patrui mei notas. ita noſter Eclog. VI.

Qualiter ipſe pater vitae, Sol lucis origo,
Sol oculus mundi, caeca ſub nube laborat.

Sic *coeli oculus* vocatur in corrupto Joſephi Iſcani loco lib. I. de Bel. Troj. ỳ. 513.

Coeli oculum poſcit Phoebum.

ut emendat Dreſemius, qui iſtic videndus. in vulgatis *Canicolam.* quod recte inprobat Maſenius in Palaeſtr. Eloq. Poët. lib. II. cap. 6.

79. *Menſibus inplebas tu priſci temporis annos Dum populus ſapiens* &c.] In hac deſcriptione annorum Lunarium utitur phraſi Ovidiana lib. III. Faſt. 657.

Sunt quibus haec Luna eſt, quia menſibus impleat annum.

ubi praeferrem ex Codd. *inpleat orbem.* ut lib. II. Met. 344.

Luna quater junctis inplerat cornibus orbem.

& lib. VII. ỳ. 530.

Dumque quater junctis inplevit cornibus orbem,
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem.

ubi vide Heinſii notas. & ſic aliis in locis. Ceterum totum hoc diſtichon fere ſibi vindicavit Chriſtianus Lotichius p. 245. Poëmatum:

Luna ſed inplebat veteres quia menſibus annos,
Cum populus ſimplex, cum novus orbis erat.

Tu varios ſumis, reparando cornua, vultus,
Arbitriumque viae liberioris habes.
Nam modo cum rigido gelidos Aquilone Triones,
Nunc petis humenti proxima ſigna Noto.
Sic quibus utiliter praebes naſcentibus ignes,
Non ſinis obſcuros laudis habere nihil.
Tu quoque ſcis (nec culpa tua eſt) ſcis optima Phoebe,
Cur toties longas cogar inire vias.
Vis tua, quae coelum, quae magnus continet aër,
Temperat, & terras, & moderatur aquas.
Aeſtuat hinc undis refluentibus Amphitrite,
Paullatim primo deficiente mari.
Hinc pecus, aequoreumque genus, volucresque canorae,
Quaeque creat tellus, luxuriare ſolent.
Omnia tu ſuccis vires augentibus inples,
Aptaque naſcendis ſemina rebus alis.
Nec mihi quis Phoebi perſuadeat artibus uti,
Ni tuus haud dubias det favor ante notas:

Cor-

81. *Tu varios ſumis, reparando cornua, vultus* imitatione ſua auctor hic videtur praetuliſſe apud Ovidium lib. 1. Met. 11.
Nec nova creſcendo reparabat cornua Phoebe.
ubi in Codice Ciofani *renovabat.* qui lectionem illam Tibulli loco firmat: & ita ex Palatinis Codicibus exemplari ſuo, quod apud me ſervatur, adſcripſit Gebhardus, notato eodem Tibulli verſu. Sed recte alteram lectionem vindicavit Heinſius. noſter infra lib. 11. El. 9. ℣. 65.
Luna quater plenis reparavit cornibus orbem.
varios Lunae *vultus* illuſtrabunt Ciofani & Salvagnii notae ad Ovidii Ibin ℣. 74.

85. *Sic quibus utiliter praebes naſcentibus ignes*] imitatur Ovidium in Ibide ℣. 219.
Nec ſatis utiliter poſitos tibi praebuit ignes,
Quem peperit ſummo lucida Maja Jovi.

89. *Vis tua, quae coelum, quae magnus &c.*] Conferendus eſt hic locus cum Lib. IV. El. VII. ℣. 25. & ſeqq. ubi pleraque ſimilia, licet in re diſſimili.

Cortice nec fiſſo teneros infigere ramos:
　Nec patulas curva caedere falce comas.
Quid loquar, ut nautis, & amoena colentibus arva,
　Significes imbres pallida, rubra Notos?
Tu potes aethereas abrumpere nubibus undas,
　Carceris Aeolii tu reſerare fores.
Tu quoque ventris onus gravidi parientibus aufers,
　Unde datae merito nomina lucis habes.
Tu Dea ſub terra poſiti clariſſima mundi
　Perſephone fratri conſociata Jovis.
Nec levis ira tua eſt. Quem tu premis, ore frementi
　Pronus agit ſpumas, & pede tundit humum.

102. *Significes imbres pallida, rubra Notos*] Ex noto verſiculo,

Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat. Hoogstr.

de his nautarum prognoſticis vide notata Patruo meo ad Valer. Fl. Lib. II. 56. & prolixe deſcribit Joh. Jov. Pontan. Lib. I. Uraniae pag. 2. verbo *ſignificare* hic proprie admodum utitur Lotichius, in prodigiis, portentis, tempeſtatibus, & ſim. uſitato; ad exemplum Tibulli ſui Lib. II. El. I. 26.

— *viden' ut felicibus extis*
Significet placidos nuntia fibra Deos.

ubi vide Broukhuſium. hinc apud Juſtin. Lib. XVII. cap. I. emendabat Tanaq. Faber. *Quod portentum dira Lyſimacho ſtirpique ejus, ac regni ruinam cum clade vexatarum regionum ſignificabat*, ut Lib. XXII. cap. 6. *Defectus ſiderum ſemper praeſentem rerum ſtatum mutare, certumque eſſe adverſis rebus commutationem ſignificari.* plura vide apud Patruum meum in notis ad Phaedr. lib. III. fab. 3. 10.

105. *Tu quoque ventris onus gravidi parientibus aufers* &c.] Et haec quoque liberali imitatione expreſſa ſunt ex Ovidio II. Faſt. 450.

Gratia Lucinae: dedit haec tibi nomina lucus,
Aut quia principium tu, Dea, lucis habes.
Parce, precor, gravidis, facilis Lucina, puellis,
Maturumque utero molliter aufer onus.

ubi pro *aufer onus* ex Sarraviano Cod. praetulit Patruus *effer*. & ita edidit. *aufer* tamen illic placuiſſe Lotichio, ex hoc loco patet. ceterum Lucinam, ut lucis auctorem dictam, illuſtrabunt notae Broukhuſii ad Tibull. III. 4. 13.

109. *Nec levis ira tua eſt* &c.] vide Patrui mei notas ad Valer. Fl. lib. VII. 330.

Et quae ſanguinea Lunae deſtrinxit ab ira,

quod recte vindicat a conjectura Heinſii *ſanguineo ab orbe* vel *ore*. morbus ille a Luna irata inmiſſus, quem hic innuit Lotichius, ita deſcribitur a Joh. Joviano Pontano Lib. I. Uraniae pag. 2.

Quam multos etiam furiis hinc ſaepe videmus
Vexari, ſortemque animo indignamur acerbam.

Diva potens nemorum, debellatrixque ferarum,
Te juvet Armeniis tigribus esse trucem.
Fac, timor ut vacuas omnis vanescat in auras,
Humanisque fave, non metuenda, bonis.
Sed bene habet. venit, ecce, venit, lux, ecce, propinquat,
Clarus ab Eoo Lucifer orbe venit.
Lucifer astrorum salve decus, ortaque nigri
Memnonis a pelago, te duce, mater eat.
Ipse dabo lucem, vigilata nocte, quieti.
Nox ita finita est, & via: Luna vale.

ELEGIA VI.
AD
*MICHAELEM BEUTHERUM.
De se aegrotante.

Jam tepet a Zephyris iterum spirantibus aër,
Blandaque purpurei tempora veris eunt.
Fugit hiems adoperta gelu, Boreaeque furentis
Frigore concretas Sol liquefecit aquas.

Alma

Saepe etiam morbo, aut dira languentia peste
Corpora decubuisse ad humum, sternique sepulcbro.

Ibid. *Ore frementi*] *tumenti* Ed. Par. & Voeg. in vulgatis male, ut puto, distinguitur, *quem tu premis ore frementi.*

115. *Sed bene habet*] vide infra ad Lib. IV. El. 4. 201. *lux alma propinquat* Ed Par. & Voeg. sed non inelegans hic est repetitio particulae *ecce*, quae non tantum de inproviso malo, sed & repentino bono ponitur. Vide notas ad Ovid. II. Met. 441.

* De eo vide infra ad Lib. IV. Eleg. 1. ỽ. 41. habetur haec Elegia in Ed. Par. pag. 12. b. & in Voegeliana occurrit pag. 16. in quibus inscriptio est, AD MICH. BEUTHERUM CAROLOSTADIUM.

2. *Blandaque purpurei* &c.] *Frigoris immodici plena recessit hiems* Ed. Par. & Voeg. Non dubito Lotichium Elegiae hujus initium desumsisse ex istis Ovidii Lib. II. Fast. 147.

En etiam, si quis Borean horrere solebat,
Gaudeat. a Zephyris mollior aura venit.

Quin-

Alma parens laeto ſe veſtit ceſpite tellus,
  Arbor & umbroſas induit alta comas.
Et nemorum ſolamen avis ſub fronde latentem
  Unguibus & docili conſtruit ore larem.
Agricolamque ſeges molli delectat in herba,
  Heu ſeges hic domino non reſecanda ſuo!
Sed trucis hoc belli vitium eſt, frugesque recentes
  Praedator celeri proterit Hunnus equo.
Vere nitent ſulci, ver mollibus utile pratis;
  Natus & aprici tempore veris Amor.

Quintus ab aequoreis nitidum jubar extulit undis
Lucifer, & primi tempora veris eunt.
Joh. Petr. Lotichius lib. II. El. I. pag. 40.
Aſpice, ceu nitidos Titan ſuperingerat ortus,
Blandaque purpurei tempora veris eant.
quem utrumque verſum ut paſſim, Patruo ſuo ſublegit. primus enim habetur ſupra lib. I. El. I. II.

3. *Fugit biems adoperta gelu* &c.] omittitur hoc diſtichon in Ed. Par. & Voeg. Ovid. III. Faſt. 235.
Quid quod biems, adoperta gelu, nunc denique cedit,
Et pereunt victae Sole tepente nives.

5. *Alma parens laeto* &c.] Haec paullo ampliora habentur in Ed. Par. & Voeg.
Vere novo molli veſtitur gramine tellus,
Arbor & umbroſas induit alta comas.
Fertile nunc etiam tauris renovantibus arvum,
Accipit injectum ſemen aratus ager.
Prodit & e ſulcis teneroque cacumine mutat,
Meſſis & in gravidae ſpem viret alma ſeges.
Et nemorum &c.

8. *Unguibus & docili conſtruit ore larem.*] Omnia fere locutionis Ovidianae in hoc diſticho. ſic enim de Phoenice lib. XV. Met. 397.
Unguibus & pando nidum ſibi conſtruit ore.
nidum illic dicit, quem *larem* vocat lib. III. Faſt. 242.
Nunc avis in ramo tecta laremque parat.
nemorum ſolamen avis, ut apud eundem lib I. Faſt. 441.
Intactae fueratis aves, ſolatia ruris,
Adſuetum ſilvis, innocuumque genus.
Quae facitis nidos, quae plumis ova fovetis,
Et facili dulces editis ore modos.

9. *Agricolamque ſeges* &c.] Alia pro his usque ad ℣. 21. leguntur in Ed. Par. & Voeg.
Prata virent musco violis balantia rivus
Perfluit, & flores lenior aura fovet.
Decerpuntque roſas & candida lilia Nymphae,
Ut nivea texant florida ſerta manu.

13. *Vere nitent ſulci* & ſeqq.] in his videtur ob oculos habuiſſe Ovid. IV. Faſt. 125. & ſeqq.
Nec Veneri tempus, quam ver, erat aptius ullum,
Vere nitent terrae, vere remiſſus ager.
Nunc herbae rupta tellure cacumina tollunt;
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit &c.
ſimilia vide apud N. Heinſ. ad lib. XV. Met. 202. 205.

Cultus ager pecori victum, custodibus umbram
Sufficit herbosi vallis opaca soli.
Dumque levi tenerum meditatur arundine carmen
Pastor, & alternis ludit avena modis:
Luxuriant saliuntque greges, & saepe canentis
Rustica balatu carmina rumpit ovis.
Interea tacitos calor ossibus excitat ignes,
Ipsaque cum tota corpora mente vigent.
Ergo erat, ut patriam (reditum si fata dedissent)
Hiberno peterem non remorante gelu.
Aut doctis viridi Musis operatus in aevo,
Niterer ingenio nomen habere meo.
Forsitan & nitidos olim pro casside crines
Ambiret foliis laurus odora suis.
Nunc jaceo cunctis defectus viribus aeger,
Solus, in ignotis, miles, inopsque locis.
Omne perit juvenile decus, totumque perurit
Inmensus lateris, non sine febre, dolor.

Defi-

19. *Luxuriant saliuntque greges*] similis locus apud nostrum infra lib. IV El. 3. ℣. 67.
Vere novo, molli cum vernat gramine tellus,
Arbor & umbrosas explicat alta comas.
Luxuriant saliuntque greges, tectaeque sub altis
Frondibus argutae consociantur aves.

21. *Interea tacitos* &c.] *Jamque leves redeunt tepefactis ossibus ignes*, Ed. Par. & Voeg.

23. *Patriam (reditum si fata dedissent)*] *patriam desolatosque penates* Ed. Par. & Voeg.

25. *Aut doctis viridi* &c.] *Aut viridi Musis dans utile tempus in aevo* Ed. Par. & Voeg.

27. *Forsitan & nitidos* &c.] Deest hoc distichon in Ed. Par. & Voeg.

29. *Nunc jaceo cunctis*] *nunc validis jaceo* Ed. Par. & Voeg.

31. *Omne perit juvenile decus* &c.]
Nec juvenile mihi superest decus, inficit artus
Pallor, & exsangui membra colore notat.
Ed. Par. & Voeg.

Ibid. *Totumque perurit*] Ex Ovidio expressum Trist. lib. 5. 13. 5.
Perque dies multos lateris cruciatibus uror.
Hoogst.

Deficit & ducens vitales ſpiritus auras,
Oraque vix praeſtant arida vocis iter.
Scilicet haec mortis dantur mihi ſigna propinquae.
Viximus: exacto tempore, fata vocant.
At non hoc olim puerum ſperare jubebat
Fatidico celebris Noricus ore ſenex.
Sed fore qui feros famam proferret in annos,
Sacraretque alta nomen in arce ſuum.
Aſtra fefellerunt, primoque in flore juventae
Auferor. heu fallax & breve vita bonum!
Non mihi jam patriae ſupereſt ſpes ulla videndae,
Manibus haec tellus eſt habitanda meis.
Ergo nec in nota ſaltem regione quieſcam,
Nec monumenta meum corpus avita tegent?
Qua pater ilicibus ripam praetexit, & alnis
Cynthius, & leni murmurat unda ſono.

O

34. *Oraque vix praeſtant arida vocis iter*] Ovid. IX. Met. 369.

— lacrimae miſero de corpore factis
Irrotant foliis: ac dum licet, oraque praeſtant
Vocis iter. vide notas ad lib. IV. Met. ℣ 69. poſt hunc verſum ſequentes duos inſerunt Ed. Par. & Voeg.

Deſtituuntque gradum non firmo poplite nervi,
Nec tentata facit vena tenore pari.

37. *At non hoc olim* &c.] Hi & ſequentes verſus uſque ad ℣. 43. non leguntur in Ed. Par. & Voeg.

38. *Fatidico celebris Noricus ore ſenex*] vide Jac. Strasburg. in Lotichii Adoptivis Lib. III. pag. 274. hujus Edit.

43. *Non mihi jam patriae* &c.] *Nec mihi nunc patriam ſupereſt ſpes ulla videndi* Ed. Par. & Voeg.

Ibid. *Non mihi jam*] Ex Virgilio Æneid. lib. II. 137.

Nec mihi jam patriam antiquam ſpes ulla videndi. Hoogst.

45. *Ergo nec in nota* &c.]

Sed tamen extremos moriens quoque vertere vultus,
Si liceat, dulcis qua jacet ora, velim.
Parvus ubi ſalices & opacas Cynthius alnos
Nutrit, & obliquis curſibus arva ſecat.

O mihi &c. ita in Ed. Par. & Voeg.

O mihi ſi gelidae, rigui de fonte petitus
Acidis, has fauces hauſtus inundet aquae!
Quam juvat herboſo verſare in ceſpite corpus!
O ripae medio dulce cubile die!
Frigida Pegaſides veſtro date pocula vati,
Utilis & rapido me levet igne liquor.
Ferte ſalutiferas herbas, & ſi qua per orbem
Gramina Paeoniis uſibus apta virent.
Me miſerum, quanto ſuccenſus torqueor aeſtu!
Quam rapidos ictus ſentit utrumque latus!
Nec cibus ora juvat, nec mulcet lumina ſomnus,
Aſtra licet prono feſſa Boote cadant.
Cuncta ſilent, carpunt hominesque feraeque ſoporem,
Denſaque conpoſitas occulit arbor aves.
Sola dolet mecum, noſtras imitata querelas,
Et plenum gemitus dat Philomela ſonum.

Horto-

51. *Ceſpite*] *Quam juvet b. v. in gramine* Ed. Par. & Voeg.

53. *Frigida Pegaſides* &c.] Imitatio elegans. Sic enim Propertius lib. III. El. 1. 19.
Mollia, Pegaſides, veſtro date ſerta poëtae.
ubi quoque rejecit inſuavem illum numerum, qui eſt in quibusdam codicibus *date veſtro ſerta.* de quo videndus Nob. Broukhuſius. Recte igitur *veſtro date pocula vati*: non *date veſtro pocula vati.* Hoogst.

54. *Et rapido*] *ut* recte in Ed. Par. & Voeg.

55. *Et ſi qua per orbem* &c.] *veſtrisque revulſa Gramina, Poeoniis uſibus apta, jugis* Ed. Par. & Voeg.

59. *Nec cibus ora juvat, nec* &c.]
Pectora nec mulcens venit in mea lumina ſomnus,
Omnia dum media laſſa quiete jacent.
ita Ed. Par. & Voeg.
qui verſus etiam occurrit infra lib. II. Carm. p. 177. Ed. vulg.
Cura nec optatos ſinit anceps ducere ſomnos,
Omnia dum media laſſa quiete jacent.

60. *Prono Boote*] vide Broukhuſ. ad Propert. III. 3. 57.

62. *Conpoſitas*] *ſopitas* Ed. Par. & Voeg.

Hortorumque sedens vicinis abdita ramis,
Arguto varios integrat ore modos.
Carminibus sua fata levat felicior ales
Daulias: invalido nil opis illa ferunt.
Nil artes herbaeque valent, succique potentes:
Nil placidum coeli tempus & aura juvant.
Testor, amice, Deos, fortunatosque piorum
Vos adeo manes, Elysiumque nemus.
Non ego, quod rapior primis inglorius annis,
Fata moror, quamvis vivere dulce foret.
Tu facis, ah miseranda parens, tua serior aetas,
Tempus in exiguum cur superesse velim.
Ne tanti tibi morte mea sim caussa doloris,
Et desolatae certa ruina domus.

65. *Hortorumque sedens vicinis* &c.]
Integrat & tristes vicinis abdita ramis,
Forsitan illa meo tacta dolore, modos. Ed. Par. & Voeg.

69. *Nil artes herbaeque valent* &c.] Aliquot versibus auctiora haec leguntur in Ed. Par. & Voeg usque ad ℣. 73.
Nil latices, pressique juvant radice liquores,
Pocula sunt frustra saepe negata mihi.
Cuncta nihil prosunt medicamina, crescit in horas
Tabidus, & vires tempore morbus agit.
At reditus nati genitrix sibi fingit inanes,
Cui lethi veniet nuntia fama mei.
Flebit, &, hei matris, plangens sua pectora, dicet,
Nate levamen, ubi es? quove sub axe jaces?
Incipietque gravem primum sentire senectam,
Cujus ego requies grata superstes eram.
Si qua fides animae, dum jam fugit halitus, ulli,
(Sic precor haec luctus finiat hora meos!)
Non ego quod &c.

73. *Non ego quod rapior* &c.]
Non ego, quod primis inglorius auferor annis,
Nec procul a patrio quod lare, fata moror. Ed. Par. & Voeg.

74. *Quamvis vincere*] Sic est in libris. Pro *vincere* melius esse puto *vivere*. Et sic credo Lotichium scripsisse. Hoogst. Ita edidi, postulante sensu, sed invitis editionibus vulgatis: licet argutari quis possit Lotichium hic *vincere* posuisse pro alii superstitem esse. de quo vide notas ad Ovid. xv. Met. ℣. 401. ubi eadem est varietas, sed diversa locutio.

77. *Ne tanti tibi morte mea* &c.]
Intempestivi ne sim tibi funeris auctor,
Morte mea curas accumulante tuas Ed. Par. & Voeg. quod adhaeret Ovidio Ep. xv. 70.
Adcumulat curas filia parva meas.

Si tamen inportuna feret me Parca, leguntque
Ultima fatales hic mihi fila Deae:
Officium ſaltem tumulo largire ſupremum,
Cum repetes patriae, culte poëta, ſolum.
Oſſaque praeteriens ne calcet operta viator,
Fac lapis inſcriptis indicet illa notis.

Et

79. *Si tamen inportuna feret me Parca, leguntque*] An *legentque*? Puto certe ſic fore concinnius. HOOGST. *leguntque* in Ed. Par. & Voeg.

81. *Officium ſaltem* &c.] *Manibus inferias, oro, largire ſepultis*, Ed. Par. & Voeg.

82. *Culte poeta*] *dulcis amice* Ed. Par. & Voeg.

84. *Fac lapis inſcriptis indicet illa notis*] Ex Tibullo lib. I. El. 3. 54.

Fac lapis inſcriptis ſtet ſuper oſſa notis.

ita olim legebatur, & hic expreſſit Lotichius, atque imitatione ſua etiam probaſſe videtur Flaminius Lib. IV. Carm. 20.

Taliaque inſcriptis addite verba notis.

inſcribere etiam dixit Ovidius Epiſt. II. 145.

Inſcribere meo cauſſa invidioſa ſepulcro,
Aut hoc aut ſimili carmine notus eris.

vide Heinſii notas ad Epiſt. XIV. 128. Broukhuſius tamen, Livineji veſtigia ſecutus, edidit,

Fac lapis bis ſcriptus ſtet ſuper oſſa notis.

utrumque certe defendi poteſt. Sed propter nimium concurſum vocum in *s* deſinentium priorem lectionem praeferrem, licet non pauca ſimilis ſibili exſtent exempla. Hunc Tibulli locum reſpexiſſe etiam puto Sannazarium Lib. III. El. I. ℣. 132.

Nec jam erit extremos funus qui curet ad ignes.
Non lapis, inciſis qui tegat oſſa notis.

noſter lib. IV. El. 5. 142.

Marmor & inciſis indicat oſſa notis.

ſimilem locum ſupra habuimus El. IV. ℣. 84.

Inpoſituſque ſuper tumulum breve carmen habebit,
Ut tua viſuris indicet oſſa, lapis.

Ceterum ex conſuetudine poëtarum veterum mortis cauſſam inſcribi monumento ſuo deſiderat. Vide multa apud Broukhuſ. ad Tibull. lib. III. El. 2. 27. non diſſimili artificio viatores aut amicos, ſepulcra ſua praetereuntes, obitus ſui cauſſam ingementes ſaepe inducunt. ſic infra lib. III. El. 6.

Ad tumulum tamen ante veni, maneſque ſaluta,
Florida nec cineri ſerta roſaſque nega.
Tum ſociis imo ſuſpirans pectore, dicas,
Huic deſiderium cauſſa perire fuit.

ubi ſimilia in notis vide. Flaminius lib. IV. Carm. 20.

Paſtores, illa dominae me jungite in urna,
Taliaque inſcriptis addite verba notis.
Formoſam tuus ardor, Iola, abſumſit Hyellam,
Te miſerum leto perdidit illa ſuo.

pariter Janus Secundus lib. I. Epiſt. 10.

Ut mea tranſcurrat contemnens oſſa viator,
Ignotumque oculo nomen eunte legat.
Et dicat: patria quis te mutare relicta
Ferventes alio Sole coëgit Afros?
Ante fores Dominae melius tumulaſſet inertem
Pars ſuperinjecti non oneroſa ſoli.

qua imitatione ſua, ut hoc in tranſcurſu addam, videtur Secundus apud Horatium lib. II. Od. 16. ℣. 19. hunc in modum legiſſe:

— *quid terras, alio calentes*
Sole, mutamus patria? quis exſul
Se quoque fugit?

quomodo & vir quidam doctus, ſed anonymus, conjecerat; ut notat Cel. Bentlejus, qui tamen receptam tuetur lectionem. vulgo male nunc editur, *patriae quis exſul*, diſtinctione prava, & ſenſu ac conſtructione in praecedentibus claudicante.

Et duo ſint verſus: HIC MILITIS OSSA SECUNDI,
IPSAQUE, PRO PATRIA QUAE TULIT, ARMA JACENT.
Perfer & haec miſerae mandata noviſſima matri,
Ne violet lacrimis gaudia noſtra ſuis.
Nec tibi apud Superos ſit vilis fama ſepulti,
Floreat in libris ſed diuturna tuis.
Illam poſt obitus, lucis ſolamen ademtae,
Si mereor, cineres ſpem ſine ferre meos.
Tunc ego non Pario caeſum de marmore buſtum,
Gentis odoriferae nec mihi dona velim.

85. *Et duo ſint verſus*: HIC MILITIS OSSA SECUNDI &c.] Haec usque ad ỳ. 91. deſiderantur in Ed. Par. & Voeg. Obſervare hic licet Epitaphium, quod auctor ipſe ſibi conſcripſit, more poëtis familiari, quae tamen ſaepe ipſi variant. Aliud enim occurrit lib. II. El. 5. in fine:

Ante diem vates conſumtus morte Secundus
Hic ſitus eſt, dicta pace, viator abi.

Collato utroque loco neſcio an animadverſione dignum judicaturi ſint alii, in alterutro variari ſollemnem illam monumentorum formulam, *Hic jacet*, *Hic ſitus eſt*. pariter Tibullus lib. I. Eleg. 3. 55.

Hic jacet inmiti conſumtus morte Tibullus,
Meſſalam terra dum ſequiturque mari.

& lib. III. Eleg. 2. in fine:

Lygdamus hic ſitus eſt. dolor huic, & cura Neaerae
Conjugis ereptae, cauſſa perire fuit.

ſimiliter Sannazarius lib. II. El. 7. in fine:

Actius hic ſitus eſt: cineres gaudete ſepulti:
Jam vaga poſt obitus umbra dolore vacat.

aliter in lib. I. Eleg. 10.

Actius hic jaceo: ſpes mecum extincta quieſcit:
Solus de noſtro funere reſtat Amor.

ubi vide Broukhuſii notas. Franciſcus Marius Molſa in Elegia de ſe aegrotante:

Exiguis ſtet caeſa notis ſuper oſſa ſepulta,
Nomen & bis ſervet parva tabella meum.
Hic jacet ante annos crudeli tabe peremtus
Molſa, ter injecto pulvere paſtor abi.

ubi obſerva poëtae illius modeſtiam, qui *exiguis* tantum *notis* nomen ſuum ſepulcro inſcribi optat, contra ac *grandibus notis* ſuum caedi Epitaphium jubet Ovidius lib. III. Triſt. 3. 73.

Quosque legat verſus oculo properante viator,
Grandibus in tumuli marmore caede notis.
Hic ego qui jaceo, tenerorum luſor amorum,
Ingenio perii Naſo poëta meo.

ubi vide notas.

88. *Ne violet lacrimis gaudia noſtra ſuis*] vide ad Specim. Antholog. Epigr. Vet. Lat. pag. 47.

94. *Gentis odoriferae nec mihi dona velim*] Forſan hac imitatione ſua veterem apud Ovidium lectionem probaſſe videri poſſit Lotichius, Epiſt. XV. 76.

Non Arabum noſter dona capillus olet.

& ſic in Senecae locis ab Heinſio prolatis. Sed plurimis tamen eruditorum virorum ſuffragiis nunc ibidem praefertur elegantior lectio, *Non Arabo noſter rore capillus olet*, quod copioſe & egregie ab eodem Heinſio illic vindicatur: hic vero recte tura, odores, & ſimilia munera ſepulcralia *dona* vocat, ut paſſim.

Sed laetus pietate tua, divisa beatis
Manibus Elysii sancta vireta colam.
Arentemque sitim relevans felicibus undis,
Ipsius ex vitae fonte perenne bibam.
Cara vale genetrix, & tu germane, sororque,
Et memor absentis si quis amicus eris.
Tuque loci, vates, consors natalis, & aegro
Terra mihi patriae non repetenda, vale.

ELEGIA VII.

AD

JOANNEM HAGIUM, FRANCUM,

** Quod Dei Opt. Max. beneficio a gravissimo morbo sit liberatus.*

Vota movent Superos: expertis credere dignum est.
Vota Deos, Hagi, sint modo justa, movent.
Nam modo cum rapida correptus febre jacerem,
Saevaque torreret debile flamma latus;

Opti-

95. *Sed laetus pietate tua* &c.]
Sed procul a coetu lugente silentis Averni
Tempus agam, tumuli laetus honore mei.
Ed. Par. & Voeg.

97. *Arentemque sitim* &c.] Hoc distichon deest in Ed. Par. & Voeg.

100. *Et memor absentis* &c.] *Fidus & absenti si quis amicus eras* Ed. Par. & Voeg.

* *Quod Dei Opt. Max.* &c.] haec non addunt Ed. Par. & Voeg. plerique enim hi Elegiarum tituli, ab Editoribus profecti sunt. More tamen veterum Lotichius ipse videtur praetulisse simplices carminum inscriptiones, quae nomina tantum continent illorum, quibus inscripta sunt, non addito argumenti indicio: quod semel notasse sufficiet. Conferri meretur similis argumenti Elegia Christiani Lotichii lib. 1. Poëm. Eleg. IV.

1. *Vota movent Superos*] est hemistichium Propertii lib. IV. El. ult. ✠. 7.

3. *Nam modo cum rapida* &c.] Non legitur hoc distichon in Ed. Par. & Voeg.

Optimus extremae Pater ipso in limine mortis
  Audiit intenta supplicis aure preces.
Moestus eram, largisque genas lectumque rigabam
  Fletibus: ante oculos mors erat atra meos.
Ante meos oculos stultae conmissa juventae,
  Et nigra sulfureae stagna paludis erant.
Alma tamen Pietas animum sperare jubebat,
  Supplicibus mitem sontibus esse Deum.
Ergo dolens imo suspiria corde trahebam,
  Fundebamque humili talia verba sono:
Unica progenies aeterni, Christe, Parentis,
  Omnis ab aeterno fons & origo boni.
Hos precor exaudi gemitus, huc tende potentem
  Aetheris excelsa de regione manum.
Nil agitur succis, ad opemque potentibus herbis,
  Quas parit omnifero terra benigna sinu.

5. *Optimus extremae* &c.]
Summus enim dirae pater in discrimine mortis
Audiit attenta &c. Ed. Par. & Voeg.

7. *Moestus eram, largisque* &c.] Paucis versibus haec usque ad ℣. 37. conprehenduntur in Ed. Par. & Voeg.

Huc ades, ajebam, nostroque medere dolori,
O Deus, a cujus spes mea pendet ope.
En languore gravis jaceo sine viribus ullis,
Imaque nunc propius serpit in ossa malum.
Tu potes incolumem miserae servare parenti,
Tu proferre tuo numine fata potes.
Non tua finitur spatio numerove potestas,
Utque aliquid fiat, te voluisse sat est.

In quibus aegrotantis juvenis languorem facile agnoscas: in ceteris, quae dein substituit, ingenium aetatis maturioris, & poëtae magis exercitati. Haec enim Elegia certe inter pulcherrimas Lotichii numeranda est, quaeque ostendit, quam egregie laudes divinae, & supremi numinis invocationes Musarum choris conveniant, & poëticae aptentur citharae, si a perita tractetur manu: quod quam feliciter successerit nostro, plura sacri argumenti carmina, quae haud parvo numero in his poëmatibus occurrunt, abunde testantur, in quibus masculam non minus & puram pietatem, quam divitem venae ubertatem mirari decet. Adeo ut non habeant Catones nimis certe superciliosi, & ab his sacris alieni, cur toties clament, poëtas semper aut nugari, aut Bacchi & Veneris orgia celebrare.

Tu potes exhauftas in priftina reddere vires,
Languida tu vivo membra liquore riga.
Tum quoque cum terras habitares, diceris aegris
Saepe lubens medicas adplicuiffe manus.
Quod tua fi, Genitor, non fert ita fancta voluntas,
Et datus eft vitae terminus ifte meae:
Una falus animae petitur mihi, cetera tellus
Ad gelidi liquidas contegat Albis aquas.
Chrifte fave, cujus fanguis delevit in alto
Collis oliviferi crimina noftra jugo.
Refpice me, tenues cum fpiritus ibit in auras,
Nec mihi fit mortis munus inane tuae.
Sed quid erit, quaefo, tua fi benefacta canentem
Tam cito Perfephone cogat acerba mori?
Ecquid apud manes, inamoenaque regna filentum,
Grata refolvemus laudibus ora tuis?
Lenis ades potius, veniasque falutifer aegro,
Tu quoniam mitis, non quia dignus ego.
Ipfe tibi meritas follemni carmine grates
Munere pro vitae, muneris auctor, agam.

Ipfe

35. *Ecquid apud manes* &c.] In animo habuit locum ex Pfalmo VI: quem fic expreffit Arturus Jonftonus Scotus, elegans poëta:
Senfus abeft tumulis: nec te cantare filentes,
Dicere nec laudes flebilis umbra poteft.
HOOGST.

37. *Lenis ades potius* &c.]
Ergo age, lenis ades, veniasque falutifer aegro,
Omnipotens, per te, per fobolemque rogo.
Nil agitur fuccis, ad opemque potentibus herbis,
Ars, fine te, medici nil operofa valet.
Afpice defertum, pater, & miferere jacentis,
Tu quoniam mitis &c. ita Ed. Par. & Voeg.

39. *Solenni*] *fervatus* Ed. Par. & Voeg.

Ipse coronabo sertis halantibus aras,
  Et dicam laudes, quo precor, ore tuas.
Talibus orantem coelo miseratus ab alto est,
  Cui Pater in solio jus dedit omne suo.
Jamque fugit macies, discedit corpore pallor,
  Membrorumque redit, qui fuit ante, vigor.
Nec lateris cruciatus adest, & anhela recessit
  Febris, & ora minus torret amara sitis.
Hausta nec adliciunt dulces medicamina somnos,
  Sponte sua facilis, non eget arte sopor.

Quid

41. *Halantibus*] *redolentibus* Ed. Par. & Voeg.

42. *Et dicam laudes* &c.] post hunc versum addunt Ed. Par. & Voeg.

Tu modo supplicibus votis precibusque faveto,
  Et defecta suo membra vigore juva.

43. *Talibus orantem* &c.].

Talibus orantem numen coeleste repulsam
  Noluit hac fretum me bonitate, pati. Ed. Par. & Voeg.

45. *Jamque fugit macies* &c.]

Membraque jam validas reparant languentia vires,
  Jam redit in faciem, qui fuit ante, color. Ed. Par. & Voeg.

49. *Hausta nec adliciunt* &c.]

Usque suas viridi cunas sub fronde relinquens
  Debilibus pennis aëra tentat avis:
Sic ego nunc tardos quoque desuetudine gressus
  Lassus, & exiguo verba retenta sono.
Nec mihi jam totae somni sine munere noctes,
  Invalidis misere quae vigilantur, eunt.
Nec vel hyoscyami cum semine tempora adungit
  Mandragorae cortex, rubraque fila croci.
Nec bibo lactucae permista papavera succis,
  Sponte sua facilis &c. ita habetur in Ed. Par. & Voeg.

confer cum hoc loco Flaminium Lib. II. Carm. I.

— effoetos venit quoque robur in artus,
Diffugit macies, diffugit corpore pallor,
Et somnus vigiles irrepsit blandus ocellos:
Quem neque desiliens crepitanti rivulus unda,
Nec Lethaea mihi duxere papavera quondam.

& ita de se aegrotante Fr. Marius Molsa in Tom. I. Poët. Ital. Toscani p. 42. b.

Quid referam somni ductas sine munere noctes,
  Fugerit utque omnis lumina nostra sopor.
Et toties haustum frustra cereale papaver,
  Misceri & medica quidquid ab arte solet.
Saevit atrox morbi rabies, tenerisque medullis
  Haeret, & exhaustis ossibus ossa vorat.

quae certe simpliciorem venustatem habent, quam ut nomine enumerentur tot soporifera medicamina, quod juvenilis & luxuriantis ingenii indicium est: ideoque rectius ea delevit auctor, & pro illis supposuit, quae nunc leguntur,

Hausta nec adliciunt dulces medicamina somnos,
  Sponte sua facilis, non eget arte sopor.

ut apud Ovid. III. A. A. 647.

Sunt quoque quae faciunt altos medicamina somnos,
  Victaque Lethaea lumina nocte premant.

Quin etiam cultis adſueſco rurſus in hortis
  Aëre paullatim liberiore frui.
Agnoſcunt Zephyri reducem, viridique ſub umbra
  Blanditur lateri mollior aura meo.
Argutaque piae volucres me voce ſalutant,
  Gratarique vagae limpha videtur aquae.
Ergo reus voti quid agam? quae dona rependam?
  Quo tibi, ſumme Pater, munere gratus ero?
Non dabimus coſtum, ſuccumve liquentis amomi,
  Nec te Panchaei turis honore colam.
Grata tibi mens labe carens, & honeſta voluntas,
  Inque tui flagrans agnitione fides.
Summe Pater, ſobolesque Patris, conſorsque duorum
  Spiritus, in trino numine numen idem:
Omnipotens, cujus divina potentia finem
  Non habet, aeternum laus ſit honorque tibi.
Non medicaminibus, non ſum ſervatus ab herbis,
  Nulla meis radix uſibus apta fuit.

Tu

51. *Quin etim cultis* &c.] Haec paullo aliter in Ed. Par. & Voeg. usque ad ✝. 57. *Ergo reus voti* &c. leguntur:

Quin etiam ſpatior vicinis laetus in hortis,
  Et grave ſit quoties ire, dat herba torum.
Ergo mihi ſummi quem junxit foedus amoris,
  Cujus ab ingenio gaudia mille fero:
Templa petas mecum niveis in veſtibus, Hagi,
  Votaque perſolvas, concipiasque preces.

57. *Ergo reus voti quid agam* &c.]

Sed quibus aut faciam praeconia debita verbis?
  Aut quo ſancte pater, munere gratus ero?
ita Ed. Par. & Voeg.

61. *Honeſta*] *recta* Ed. Par. & Voeg.

63. *Conſorsque duorum Spiritus* &c.]

— *quique halitus afflas*
Omnia, qui firmans nos, ab utroque venis
Ed. Par. & Voeg.

qui verſus etiam occurrunt in initio Epicedii in obitum Caſparis Crucigeri lib. v. El. 19. & ſic lib. IV. El. ult. v. 15. ad Spiritum S.

Omnipotensque tuae firmet nos halitus aurae.

67. *Non medicaminibus* &c.] Deeſt hoc diſtichon in Ed. Par. & Voeg.

Tu facis ut videam coelum, jucundaque Solis
Lumina: quod reditum ſpero, loquorque, tuum eſt.
Idcirco, Lux alma, tuo dum munere vivam,
Ingenium ſoli ſerviet omne tibi.
Quantaque te generis teneat miſeratio noſtri,
Cum liquet erroris poenituiſſe, canam.
Supplicibus te, ſancte Pater, placabo querelis,
Et citharae lacrimis fila rigabo meis.
Tu modo, quae nunc mota fremunt, fac dira quieſcant
Bella: ſit exilii, militiaeque modus.
Tunc Jeſſaea tibi, pacis dator alme, juvabit
Dulcius argutae plectra movere lyrae.

H E LE-

71. *Tuo dum munere vivam, Ingenium ſoli ſerviet omne tibi.*] Hunc Fratris ſui locum procul dubio imitatus eſt Chriſtianus Lotichius lib. I. Eleg. 5. prope finem:
Sic ego coeleſtem jamjam ſubiturus Olympum,
Chriſte, tuo vitae munere reſtituor &c.
Servato ſummas refero pro corpore grates,
His nequeo donis uberiora dare.
Dedita per cunctos ſoli tibi ſerviat annos
Mens mea, te ſolum noſcat ametque Deum.
In editione vero Pariſ. & Voegeliana paullo aliter haec leguntur:
Ergo mihi ſemper caſto celebrabere verſu,
Laudibus ingenium ſerviet omne tuis.
ſed vulgata praefero, ne ultimam in *ergo* denuo corripiat, de quo vide ſupra ad Eleg. II. ℣. 32.

73. *Generis*] *genitor* Ed. Par. & Voeg.

74. *Cum liquet erroris*] *Cum patet admiſſi* Ed. Par. & Voeg.

75. *Supplicibus te, ſancte Pater* &c.] pro his alios verſus exhibet Ed. Par. & Voeg.
Utque Palaeſtinae ſit virginis editus alvo
Filius, immenſo non genitore minor.
Tunc loquar immites poenas, & funus acerbum,
Mortis & humanum praemia magna genus.
de ultima in *placabo* & *rigabo* hic correpta vide infra ad lib. III. El. X. ℣. 29.

77. *Tu modo, quae nunc mota* &c.] Haec usque ad finem Elegiae ita habentur in Ed. Par. & Voeg.
Tu modo quae nunc mota fremunt bella, horrida bella,
Non ſine per triſtes longius ire moras.
Ut fera civilis genetrix diſcordia belli
Martius & noſtro ceſſet in orbe furor.
Tunc tibi, pacis opus, reſonantia fila juvabit,
Tunc tibi deſuetae plectra movere lyrae.

ELEGIA VIII.

*AD SILVAS

PROPE ALBIM FLUVIUM.

Queritur de diuturnitate belli, & hostium crudelitate.

Justa queror, quamvis nil proficientia fundam
Nubibus, & Zephyri verba caduca ferant.
En iterum silvae nostras audite querelas:
Cresce iterum lacrimis, spumifer Albi, meis.
Nam gravius tacitis mens carpitur anxia curis;
At mihi, cui referam, nullus amicus adest.

Vos

* AD SILVAS ceteris omissis inscribunt Ed. Par. & Voeg.

2. *Nubibus, & Zephyri* &c.] *Praecipitesque ferant irrita verba Noti.* Ed. Par. & Voeg.

3. *En iterum silvae nostras audite querelas* &c.] Ingenuae aemulationis elegantiam hic discant illiberales imitatores, servum pecus. Quae enim de Cynthiae suae injuriis non aperte, sed apud arbores & saxa queritur Propertius, noster in castris degens tacitas animi solliciti curas de Martis incommodis & crudelitate hostium effundit apud arbores & silvas. Audi Propertium lib. I. El. XVIII. in initio:

Haec certe deserta loca, & taciturna querenti,
Et vacuum Zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre inpune dolores,
Si modo sola queant saxa tenere fidem.

ubi vide Broukhus. quae paullo post sequuntur ℣. 7.

Vos coryli, vos haec memores ediscite fagi,
Testis & e celsis adsonet aura jugis.

adhaerent illis Propertii ibidem ℣. 19.

Vos eritis testes, si quos habet arbor amores
Fagus, & Arcadio pinus amata Deo.

Propertii sui vestigia presso pede etiam secutus est Broukhusius lib. IV. Eleg. 3. ad Juliam:

Trajecti turres, dilectaque rura Camenis,
Quique suburbana laberis amnis aqua;
Vos eritis testes, si quos sentitis amores,
Indelibata Thyrsin amare fide.
Vos eritis testes, dilectam rite puellam
Indelibata Thyrsidis esse fide.
Illic incisos, trunci, servatis amores,
Et legimur junctis nomina nominibus.
Una tamen magni, multos victura per annos,
Certius indicium fagus amoris habet.

4. *Cresce iterum* &c.] *Saepe quibus solis testibus ista loquor.* Ed. Par. & Voeg. quae post ℣. 6. sequentia addunt,

Ergo juvat nemorum jactare per invia questus?
Hoc licet, his solis cura levanda mihi est.
Unica sunt lacrimae nostri medicina doloris,
Quae prius in studiis esse solebat, abest.

recte videtur auctor ista, ut languidiora, postea delevisse.

6. *At mihi*] Pro *at* mallim *&*. Melius cohaeret sententia. Expendant Poëticae cultores. HOOGST.

Vos coryli, vos haec memores edifcite fagi,
Teftis & e celfis adfonet aura jugis.
Qua merui culpa tam faevam Numinis iram?
Quae conjurarunt in caput aftra meum?
Cultor Apollineae modo qui placidiffimus artis,
Afpera cum lituis bella perofus eram:
Nunc agor infanis violenti Martis in armis,
Vix numerans vitae bis duo luftra meae.
Ingrediorque fero tenerum latus enfe revinctus:
Enfe laceffitas inftruo faepe manus.
Afperitasque mihi fimulatur, & opto timeri,
Et meditor rigidis moribus effe ferox.
Scilicet idcirco feffos aetate parentes,
Infelix patruum deferuique fenem:
Ne mihi cum facris effent commercia Mufis
Amplius, & vulgi pars rudis una forem?
Hoc aliquis nuper fi praedixiffet eunti,
Miles in his terris, quas petis, arma geres:

7. *Vos coryli* &c.] hoc diftichon deeft in Ed. Par. & Voeg.

9. *Qua merui culpa* &c.] Ex Ovidii Epift. Medeae: *Qua merui culpa fieri tibi vilis, Jafon?*

20. *Infelix patruum* &c.] *Cum patria charos deferuique lares.* Ed. Par. & Voeg.

Ibid. *Eunti*] *ituro* in Ed. Par. & Voeg.

21. *Hoc aliquis* &c.] Pulchre imitatus eft Ovidium fic canentem, in Epift. ex Ponto Lib. 4. Ep. 3. 51.

Litus ad Euxinum, fi quis mihi diceret, ibis,
Et metues arcu ne feriare Getae;
I, bibe, dixiffem, purgantes pectora fuccos,
Quicquid & in tota nafcitur Anticyra.
Hoogst.

fimilis locus lib. IV. Trift. 8. ℣. 43.

Vita procul patria peragenda fub axe Boreo,
Qua maris Euxini terra finiftra jacet.
Hoc mihi fi Delphi, Dodonaque diceret ipfa,
Effe viderentur vanus uterque locus.

Tu quoque dixissem, pelago licet altior, Arctos,
Occidui vetitas in maris ibis aquas.
Parrhasides liquido vos aequore tingite stellae;
Arma peregrino miles in orbe gero.

Vos.

25. — *pelago licet altior, Arctos,*
Occidui vetitas in maris ibis aquas.] Hoc ideo inter ἀδύνατα hic ponit Lotichius, quia sidus hoc numquam occidit propter poli elevationem, cui vicinum est. Unde apud Virg. I. Georg. 246:

Arctos Oceani metuentes aequore tingi.

vid. Schwartzii notas ad Germanici Aratea ✝. 61. & Ciofan. ad Ovid. II. Met. 172. hinc recte Salvagnius explicat illud in Ibide ✝. 476. *liquidis quae caret Arctos equis.* eumdem in modum Micyllus exponit illud Ovidii lib. IV. Trist. El. 3. 2.

Magna minorque ferae; quarum regis altera Grajas
Altera Sidonias, utraque sicca, rates.
Omnia cum summo positae videatis in axe,
Et maris occiduas non subeatis aquas.

& lib. II. ex P. Ep. 10. 46.

Ipse quidem extremi cum sim sub cardine mundi,
Qui semper liquidis altior exstat aquis.

quem locum forte noster hic ante oculos habuit. Ecloga VI. 64.

— *quam spectat ab alto,*
Tingere quae numquam canis se fluctibus audet
Oceani, stellis semper sitientibus Arctos.

hinc *aequoris expertes Arctos* vocat supra lib. I. El. 4. 1.

27. *Parrhasides liquido*] Debebat scribere *vetito*, nisi vitavit id quod modo *vetitas* praecessit. *Liquidum* otiosum hic est. Magna vis est epithetorum, sed bene debent adhiberi. Recte Claudianus (Eidyll. ad Olybr. ✝. 16.)

Candescet Geticis Meroë conversa pruinis,
Clarague se vetito proluat Ursa mari.

Hoogst.

Vetito aequore firmari posset ex iis, quae notat Ciofanus ad illud Ovidii II. Met. 172.

Tum primum radiis gelidi caluere Triones,
Et vetito frustra tentarunt aequore tingui.

Sed cum *vetitas* modo praecesserit, minime opus est. Miror vero Hoogstratanum hic in poëta recentiore *liquidum aequor*, & infra lib. II. El. 5. ✝. 4. *liquidas aquas* ut vitiosum epitheton notare; cum ejusmodi epitheta adsinia centies apud veteres occurrant, neque versus tibicines sint, ut de vocibus otiosis dicit Serv. ad Virg. VII. Aen. 186. cum ipse ad lib. I. Aen. 178. doceat numquam vacare epitheta, sed vel ad augmentum vel ad diminutionem poni. An igitur otioso epitheto etiam usum fuisse dicemus Tibullum lib. I. El. 10. 12.

In cinerem & liquidas munera vertat aquas.

& Janum Secundum, judicii minime inepti, ait a verborum ubertate destitutum poëtam, lib. III. El. VI. ✝. 34.

Nocturnasque gelu jam matutinus Apollo
Ridet & in liquidas omne resolvit aquas.

In quo ducem secutus est Ovidium lib. III. Am. 5. 12.

Candidior nivibus tunc cum cecidere recentes,
In liquidas nondum quas mora vertit aquas.

eadem Elegia Janus Secundus, ubi de Tantalo dicit; ✝. 68.

Et captet liquidas, nec potiatur, aquas.

expressit illud Nasonis in Ibide ✝. 182.

Semper eget liquidis semper abundat aquis.

Noster supra lib. I. El. I. ✝. 44.

In morem liquidae separat anguis aquae.

& Eleg. 3. ✝. 12.

Aedera qua liquidis findit amoenus aquis.

& ita saepius alibi. *liquidum* certe *aequor* similiter apud Ovid. V. Fast. 547.

Quid solito citius liquido jubar aequore tollit
Candida, Lucifero praeveniente, dies?

ubi in nonnullis *vitreo*. in aliis *nitido*. Sed *liquidum mare* etiam dixit Ep. XVIII. ✝. 58.

Jactabam liquido bracchia lenta mari.

liquidas aquas habes apud eumdem in Rem. Am. 448. & lib. V. Fast. 83. de Oceano:

Qui

Vos ego nunc dulces, qui me defletis, amici,
Admonitos jubeo casibus esse meis.
Disce memor sortis, quisquis sapis, esse futurae,
Ire solet pulso nubila Sole dies.
Temporis, Aonides, juvat o meminisse beati,
Omnia quo tutae plena quietis erant.
Cum tenerae passim choreae, cantusque sonarent,
Nec fera materiam carminis arma darent.

Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.
sic lib. I. ex P. 4. 18.
Quae numquam liquidis sicca carebit aquis.
lib. II. Ep. 10. 46.
Qui semper liquidis altior exstat aquis.
& in Ibide ỷ. 476.
— *liquidis quae caret Arctos aquis.*
ubi certe *vetitis* potuisset dicere, si otiosum esset hoc Epitheton. sic lib. I. Artis ỷ. 402. in Cod. Commeliniano est:
Nec semper liquidae concava puppis aquae.
& lib. IV. Fast. 164. in MSS. etiam legitur;
Scorpios in liquidas praecipitatur aquas.
In vulgatis *virides. liquidas lymphas* habes lib. III. Met. 451.
Nam quoties liquidis porreximus oscula limphis.
& saepe alibi. sic *pavidus timor, muta silentia, maestus dolor* & sim. de quibus vide Patrui mei notas ad Ovid. II. Met. 66. *mitis clementia* apud Justin. lib. XXXVIII. 9. *mira miracula* Minucius Felix cap. XX. & *malae fraudes* Statio lib. III. Silv. I. ỷ. 32. & similia passim obvia sunt.

28. *Arma peregrino* &c.] Post hunc versum inserit Ed. Par. & Voegeliana:
Icariique ferens sub casside sideris aestus,
Quo vocor, huc illuc pulverulentus eo.
nescio cur haec deinde deleverit.

31. *Disce memor sortis* &c.] pro his & sequentibus plures numero versus leguntur in Ed. Par. & Voeg. hunc in modum:
Disce memor sortis, quisquis sapis, esse futurae,
Nec placidis nimium rebus habere fidem.
Quam cito praecipites Zephyrus mutatur in Austros,
Ire solet pulso nubila Sole dies.
Lembus a portu flabris qui lintea pandit,
Mergitur in medio navita saepe freto.
Ecquis ad horrendi certamina tristia Martis
Crederet a Musis dulcibus esse viam.
Temporis Aonides &c.
quae optime cohaerent & luculentiora sunt.

34. *Omnia quo tutae* &c.] post hunc versum inseruntur sequentia in Ed. Par. & Voegeliana:
Cum foret, o silvae, gelida mihi dulce sub umbra,
Carmen & irriguas fingere propter aquas.
Nunc rapidas pugnas, bellique pericula tento,
Moenibus & fossis jam propiore malo.
Nunc quoque dum silvas latebrosaque saxa peragro,
Hic latere ex omni cogor habere metum.
Non procul hostis abest, misereri nescius hostis,
Agmen & in praedam semper equestre venit.
Et jaculis edens latas, & acynace strages,
Saeva Getis solito praelia more gerit.
Quid loquar, occiduo quas misit ab orbe cohortes,
Barbarus indomitae rector Iberus aquae?
Quisquis es, invitum &c. omisso utroque disticho a ỷ. 35. *Cum tenerae passim* &c. usque ad ỷ. 39.

Quid mihi vobiscum eſt, infamia Caeſaris, Hunni?
Cur niger Arctoas potat Iberus aquas?
Quisquis es, inviſum te ſemper Erinnyes atrae,
Ultrices dirae proditionis, agant:
Qui placidam furiis populi turbare quietem
Auſus es, & caſtris hos ſociare tuis.
Quod precor, eveniet: movere cacumina quercus,
Silvaque concuſſis adnuit alta comis.
In patriae clades ignominiamque ruentis,
Dic age, civilis non ſatis enſis erat?
Cor dolet, ac penitus tremor intima concutit oſſa,
Cum ſubeunt oculis omnia viſa meis.

Quanta

41. *Qui placidam furiis* &c.] Aliter haec in Ed. Par. & Voegeliana, quae praemittunt duos hos verſus:

Aut ita mille modis lacer, in contraria verſis,
Ut Metius quondam, diripiaris equis.
Qui populi furiis turbare ſub axe quietem
Auſus es, & terras bis aperire tuas.

Sed bene omiſit poſtea primum illud diſtichon, adumbratum ex vexatis illis, ſed ſuſpectis Ovidii verſibus Lib. I. Triſt. III. 75. ut Naugerius, & alii eos conſtituere tentarunt:

Sic doluit Metius, tunc cum in contraria verſos
Ultores habuit proditionis equos.

Sed recte Heinſius haec a mala manu eſſe monuit, propter intempeſtivam eo loco *Metii* mentionem, primamque in ea voce ſyllabam perperam correptam, quod hic etiam ſecutus erat Lotichius, niſi quod facile reſcribere potuiſſet *Metius ut quondam.*

43. *Movere cacumina quercus Silvaque concuſſis* &c.] Omen elegans & apud Poëtas tam in rebus laetis quam infauſtis obvium. Ovid. II. Faſt. 439.

Cum ſubito motae tremuere cacumina ſilvae,
Et Dea per lucos mira locuta ſuos.

& lib. III. ✝. 329.

Conſtat Aventinae tremuiſſe cacumina ſilvae,
Terraque ſubſedit pondere preſſa Jovis.

Virgilius lib. II. Aen. 627. de orno:

— illa usque minatur,
Et tremefacta comam concuſſo vertice nutat.

ubi *concuſſo vertice* habes, ut hic *concuſſis comis.* Idem Eclog. V. ✝. 28.

Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.

ubi vide N. Heinſium, qui tamen *nutare* illic praefert pro *motare*, ut in altero Maronis loco.

46. *Civilis non ſatis enſis erat?*] addit Ed. Par. & Voeg.

Audiet haec veniens & deteſtabitur aetas,
Moerentisque nepos tempora flebit avi.

47. *Cor dolet*] *micat* Ed. Par. & Voeg. ut apud Ovid. III. Faſt. ✝. 36.

Terreor admonitu, corque timore micat.

vulgatum tamen praefero. Ovid. Ep. VI. 76.

Cor

Quanta ſitis noſtri ſtricto ſemel enſe cruoris?
  Quantus in inmani pectore caedis amor?
Morte piae graviora timent, fugiuntque puellae,
  Inque ſinu matres pignora cara gerunt.
Ah quoties, dum luſtra ferunt per devia greſſus,
  Incitat a tergo quaelibet aura metum!
Ah quoties, ſtrepitum ramis facientibus altis,
  Hoſtiles aliquis credit adeſſe pedes!
Interea Scythicis equitum de finibus alae,
  Squalida funeſtis caedibus arva replent.
Ignibus intonſi montes, campique relucent.
  Ferreus eſt, eheu! quem nihil iſta movent.

At

Cor dolet, atque ira mixtus abundat amor. & hinc *cordolium* dictum, de quo ad Catalecta.

Ibid. *Tremor intima concutit oſſa*] *tremor ima perambulat oſſa*, Ed. Par. & Voeg. vulgatum certe rectius.

49. *Noſtri ſtricto ſemel enſe cruoris*] *noſtri (ſed non impune) cruoris* Ed. Par. & Voeg.

52. *Cara*] *parva* Ed. Par. & Voeg. poſt hunc verſum addunt eaedem editiones:

Invalidique ſen̄es curſu nituntur anhelo,
Undique praecipites quo metus acer agit.

55. *Ah quoties ſtrepitum ramis facientibus altis,*
Hoſtiles aliquis credit adeſſe pedes!] Eleganter ſane poëtae recentiores honeſta aemulatione veterum floſculos in ſuos derivant hortos, licet de longe diverſis rebus agant: Quem hic de vicino hoſte metum ex ſtrepitu colligit Lotichius, ſpem de vicina puella fingit Janus Secundus Lib. II. El. 2. 21.

Et quemcumque movet ſtrepitum levis aura per altum,
Dilectos Dominae ſuſpicor eſſe pedes.

Baſilius Zanchius, judice Manutio, poëta ſummus, nec vulgariter eruditus, ſed miſerabili fato extinctus, in Delic. Poët. Ital. T. II. pag. 1465.

O quoties tremulas Zephyris motantibus umbras
Sum ratus optatos tunc ſonuiſſe pedes.

nimirum debentur haec Tibullo lib. I. El. 9. 65.

Dum mihi venturam fingo, quodcumque movetur,
Illius credo tunc ſonuiſſe pedem.

ubi vide Broukhuſ. & quae notavi Gebhardus ad lib. I. El. 2. ℣. 37. p. 19. pariter Hero apud Ovidium Ep. XIX. 54.

Auribus interdum voces captamus, & omnem
Adventus ſtrepitum credimus eſſe tui.

57. *Interea Scythicis* &c.] Haec & ſequentia ita habentur in Ed. Par. & Voeg.

Interea Scythicis equitum de finibus alae,
Agricolae rapiunt diffugientis opes,
Et pedes indomitos tectis inſontibus ignes
Injicit, ad nubes atra favilla volat.
At ſimul e ſpeculis dat buccina Martia ſignum,
Terribileſque tubae raucaque terga ſonant.
Ilicet arma fremunt omnes &c.

At ſimul e ſpecula turmalis buccina ſignum
  Edidit, & litui, raucaque terga ſonant:
Ilicet arma, fremunt omnes, arma, arma frequentant,
  Unaque per muros vox ſonat, Hoſtis adeſt.
Hoſtis adeſt, vox una ſonat, ſimul aerea late
  Pondera tormentis grandibus acta, volant.
Inde ruit miles, veluti de montibus altis
  Ille canum ſaevis morſibus actus aper.
Nam dolor ardentes juſtiſſimus incitat iras,
  Conſcia mens animos adjuvat, ira manus.

Sed

63. *Arma, arma, frequentant, Unaque per muros vox ſonat, Hoſtis adeſt.*] Simillimus locus apud Silium Italicum lib. XII. ✠. 169.

— Arma, cruentus
Hoſtis adeſt, capite arma, viri, clamatque capitque.

Ovid. XII. Met. 241.

Certatimque omnes uno ore, Arma, arma, loquuntur.

plura vide in notis N. Heinſii ad lib. XI. Met. 377.

65. *Simul aerea late Pondera tormentis* &c.]

— ſimul agmine facto
Non mora degeneres arguit ulla metus, Ed. Par. & Voeg. vulgata ſimilia ſint illis, quae ſupra habuimus Eleg. I. ✠. 28. — *& ferrea late Pondera, ſulſureis ignibus acta volant.*

67. *Inde ruit miles* &c.] Ed. Par. & Voeg.

Inde ruunt, veluti Libyae de montibus altis
Seu Leo, ſive canum morſibus actus aper.

Comparatio autem Virgiliana eſt lib. X. Aen. 707.

Ac velut ille canum morſu de montibus altis
Actus aper, multos Veſulus quem pinifer annos
Defendit, multosque palus Laurentia, ſilva
Paſtus arundinea, poſtquam inter retia ventum eſt,
Subſtitit, infremuitque ferox, & inhorruit armos.

cujus locum imitatus eſt Ovidius lib. II. Faſt. 231.

Sicut aper ſilvis longe Laurentibus actus
Fulmineo celeres diſſipat ore canes;
Mox tamen ipſe perit: ſic non moriuntur inulti,
Vulneraque alterna dantque feruntque manu.

Auctor Panurgi, poëmatii inediti, ✠. 350.

Non ſic actus aper, ſuetis venator in arvis
Splendida cui fixit duris venabula coſtis
Obnitens contra in vulnus fera pectora trudit.

& ſic ſaepe alii poëtae. *actus* autem *aper* proprie hac in re dicitur. ut notat Vlitius ad Ovid. Halieut. ✠. 59. ſimilis a Leone ſaucio deſumta comparatio eſt apud Virg. lib. XII. Aen. 4.

— Poenorum qualis in arvis
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma Leo, gaudetque comantes
Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Impavidus frangit telum, & fremit ore cruento.

70. *Conſcia mens animos* &c.] *Pectoraque igneſcunt, pluſque vigoris habent*, Ed. Par. & Voeg.

Sed pavidus viſo dat inertia milite terga
  Hunnus, & admiſſos calce fatigat equos.
Tollitur ad coelum denſa caligine pulvis,
  Ictaque quadrupedum curſibus arva tremunt.
Mox redeunt matres feſſae, pavidaeque puellae,
  Sive nemus latebras, ſeu dedit alta ſeges.
Adſpiciuntque ſuae fumantia culmina villae,
  Nec quisquam flammis addere curat aquas.
Sed veluti lacrimae ſedare incendia poſſint,
  Ex oculis, tamquam fonte, perenne fluunt.

72. *Hunnus, & admiſſos* &c.] *Hoſtis, & averſos* Ed. Par. & Voeg. ut ſupra El. IV. 54.

— illudque volatile telum,
Barbarus averſo quod jacit Hunnus equo.

ubi vide.

74. *Ictaque quadrupedem* &c.] *Terraque quadrupedum curſibus icta tremit.* Ed. Par. & Voeg.

75. *Matres feſſae*] *juſtique ſenes* Ed. Par. & Voeg. bene hunc Lotichii locum imitatus eſt Paulus Meliſſus in Eleg. IV. p. 113. Schediasm. Poëticor. quae cum his conferri merentur.

77. *Adſpiciuntque ſuae fumantia culmina villae*] Reſpexit quidem noſter illum Virgilii verſum Ecl. I. ℣. 83.

Et jam ſumma procul villarum culmina fumant.

ubi tamen *fumare* culmina villarum longe alio dicuntur ſenſu: nimirum de fumo, quem in altum emittit culinae agreſtium focus ad coenam jam incenſus. Unde recte Servius exponit, *fumant, ideſt, ad veſperum, coena praeparanda.* An igitur melius ſcripſiſſet Lotichius?

Jamque ſuae adſpiciunt ardentia culmina villae.

Sed non opus eſt. *fumantia* enim *culmina* dixit de denſa fumi nube, quae in incendio ſurgit ex domo, quae ignem concepit, antequam flamma tectum perruperit. plene *fumantia corpora flammâ* dixit Ovid. II. Met. ℣. 325. ſic *fumantia tecta* pro incendio ardentia lib. XIII. Met. 421.

Troja vale: rapimur, clamant: dantque oſcula terrae
Troades: & patriae fumantia tecta relinquunt.

ubi in MſſT. *flammantia.* qua voce forſan uſus etiam fuiſſet noſter, niſi in pentametro ſequeretur *flammis.* haec enim aliis veterum locis ſaepe inter ſe commutantur, ut ex Patrui mei notis liquet: *flammata* tamen tecta rectius dicuntur, quam *flammantia.* ut apud Lucret. II. 672.

Tum porro quaecumque igni flammata cremantur.

flammare enim pro incendere, inflammare, elegantiae priſcae eſt. vide Weitz. & Heinſ. ad Valer. Flacc. lib. I. ℣. 108. & Barth. ad Stat. III. Theb. 5.

78. *Nec quisquam flammis* &c.] *Sed trepidus pulſat tunc quoque corda pavor*, Ed. Par. & Voeg.

80. *Tamquam fonte*] *demto fine per ora fluunt.* Ed. Par. & Voeg.

Haec miseris supereſt, poſt omnia, ſola voluptas,
 Hoſtis inhumana de feritate queri.
Hinc artus laceri, vacuosque inventa per agros
 Corpora, natali defodiuntur humo.
Felices animae, parta jam pace, quieſcunt
 In patria, pro qua non timuere mori.
Nos ſpes ambiguae, tumulique ante ora recentes,
 Diſcruciant variis, & labor ipſe, modis.
Nec minus interea fugit, heu! fugit utilis aetas,
 Quodque ſemel periit, fata redire negant.
Ergo nec Aoniae cingent mea tempora lauri,
 Carmina nec doctis vatibus aequa canam.
Hoc etiam (quoniam tulimus pejora) feremus,
 Si modo non bello nos graviora manent.
Heu mihi, quae duris vox rupibus icta reſultat?
 Triſte quid hoc iterant concava ſaxa? manent.

Nil

83. *Vacuosque*] *ſparſosque* Ed. Par. & Voeg.

87. *Non ſpes ambiguae* &c.] hujus & ſequentis diſtichi loco iſta leguntur in Ed. Par. & Voeg.

Nos timor incertus, bello pendente, futuri,
 Verſat adhuc dubios, ſpesque timore minor.
Terga dat interea pariter felicior aetas,
 Et ſine fruge dies non revocanda fugit.

in quibus imitatio eſt Ovidiana Epiſt. ix. 42.

Speque timor dubia, ſpesque timore cadit.

& lib. iv. Triſt. 3. 12.

Cur labat ambiguo ſpes mihi mixta metu.

Propertius lib. iii. El. 15. 12.

Spesque timorque animum verſat utroque meum.

ſupra noſter El. iv. ÿ. 76.

Nos dolor, & vitae mortalis inania verſant
 Somnia, & ambiguis ſpesque timorque modis.

93. *Hoc etiam (quoniam tulimus pejora)* &c.] *Hoc quoque, Pierides, ſaevis debebimus armis*, legitur in Ed. Par. & Voeg. quod mihi videtur oportunius.

95. — *quae duris vox rupibus icta reſultat? Triſte quid hoc iterant concava ſaxa? manent.*] Similis fere locus Pentadii in Epigrammate de adventu veris apud Pithoeum lib. iv. p. 173.

Per cava ſaxa ſonat pecudum mugitibus Echo,
 Voxque repulſa jugis per cava ſaxa ſonat.

ubi male Heinſius *Usque. Vox repulſa jugis*, ut hic *vox rupibus icta. concava ſaxa* eadem in re dixit Virgilius iv. Georg. 49.

— *aut ubi concava pulſu*
Saxa ſonant: vocisque offenſa reſultat imago.

& Ovidius Epiſt. x. 22. ubi Echo ita deſcribitur:

Inte-

Nil laeti supereſt: oſtentant omnia luctus.
Neſcio quae clades ſera, ſed ampla, venit.
Hoc erat, heſternae quod turbida noctis imago,
Maeſta quod obſcoenae ſigna dediſtis aves.
Tu tamen haec ſerva noſtri monumenta doloris
Arbor, & inciſis creſce videnda notis.
Quas aliquis viridi ſpectans in cortice, tempus
Militiae poſſit flebile ſcire meae.
Sortis & admonitus praeſentis, fletibus herbas
Saepe meis ſparſas, ſpargat & ipſe ſuis.
Quid queror infelix? ſine pondere verba querentis
In pelagus rapidis devehit Albis aquis.
Sic iterum, ſic ſaepe tamen juvat edere queſtus.
Hos mihi cum bello finiet una dies.

Interea toto clamanti litore, Theſeu,
Reddebant nomen concava ſaxa tuum.
Et quoties ego te, toties locus ipſe vocabat;
Ipſe locus miſerae ferre volebat opem.
Artificioſa enim hic notetur Echo in voce *manent* ex praecedente pentametro repetita. tales elegantiſſimae ſunt repetitiones vocum, quibus Narciſſo identidem reſpondet Echo apud Ovid. III. Met. ỷ. 380. & ſeqq. non enim apud recentiores tantum, ſed & veteres poëtas occurrunt ejusmodi verſus echoici, ut patebit ex notis Sirmondi ad Sidon. Apollin. pag. 90. idque contra Menagium recte probavit Monnoye in Tom. III. Menagianor. pag. 365. & ſeqq. quibus adde Politian. Miſcellan. cap. XXII. & Erythraeum in Ind. Virgil. ad illa ex lib. IV. G. 50. *vocisque offenſa reſultat imago.* & in primis Martin. Schoockium in Diſſert. de natura Echus, cap. XIII. ubi inquirit in eos, qui e veteribus primi numeris Echo incluſerint. Ea exſtat edita poſt Sylvam Carminum Echoicorum a Theodoro Douza collectam: Ex quibus patebit, vehementer falli Paſchaſium (Pasquier) Recherch. de la France Lib. VII. cap. 13. qui carminis Echoici primam inventionem ad Janum Secundum noſtrum refert, ex ejus lib. I. Sylv. 4. ubi viator & Echo colloquuntur reddita continuo jocoſa vocis imagine: licet Ant. Fureterius in magno ſuo Dictionario in voce *Echo* hoc Paſchaſii judicium ſecutus fuerit.

95. *Rupibus*] *collibus* Ed. Par. & Voeg.

98. *Neſcio quae clades ſera, ſed ampla, venit*] ſic lib. IV. El. IV. ỷ. 122.
Poena venit lento ſera, ſed ampla, pede.
ubi vide notas.

99. *Hoc erat, heſternae quod torpida noctis imago*] Sic Libri editi. Nobiliſſimus Janus Broukhuſius conjicit Lotichium ſcripſiſſe *turbida noctis* &c. quod amplector. HOOGST.

ELEGIA IX.
AD
JOANNEM VARUM.

** De prodigiis ante pugnam inter Imperatorem Carolum, & Joannem Fridericum.*

Nunc ego, nunc dubii vereor certamina Martis,
 Vare, nec a castris segnis abesse velim.
Stant acies, certe pugnabitur, horrida terrent
 Prodigia, heu fatis tristibus orta dies!

Lucida

ta clare legitur in Ed. Parif. & Voegeliana: itaque sic edidi. in Lipsiensibus nonnullis *turpida* vitio operarum: *turbida* est turbata, confusa, ut apud Ovid. Ep. x. 16.

Utque erat a somno turbida, rapta coma est.

quam *turbatam* vocavit Tibullus lib. I. El. 3. 91.

Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos
 Obvia nudato, Delia, curre pede.

hesternae noctis imago similiter apud Nasonem Ep. XIX. 193.

Nec minus hesternae confundor imagine noctis.

de formula *Hoc erat*, post dubitationem concitatae mentis eleganter adhibita vide notas ad Virgil. II. Aen. 664. & Patrui mei ad Petron. cap. 93. & Ovid. I. Amor. El. 2. 7. unde patebit, ita rectius dici, quam *Hocce erat*, cum interrogationis nota.

100. *Dedistis*] *Dabatis* Ed. Par. & Voeg.

108. *Devehit Albis aquis*] imitationis hujus auctoritate veram in Tibullo lectionem vindicat Broukhusius in notis ad Lib. IV. El. 4. 8.

Et quodcumque mali est, & quidquid triste timemus,
In pelagus rapidis devehat amnis aquis.

non *evehat*. verbum enim est de fluminibus usitatum, pro deorsum vehere. Livius lib. IV. cap. 52. *maximos commeatus summo Etruriae studio Tiberis devexit.* Seneca Herc. Fur. ℣. 713.

Alter quieto similis (hunc jurant Dei)
Tacente sacram devehens fluvio Stygа.

* ELEG. IX. *De prodigiis* &c.] Innuit prodigia illa, quae adparuerunt ante praelium ad oppidum Mulbergum, inter Imp. Carolum V. & Johannem Fredericum Saxoniae Ducem, quae cladem & captivitatem infelicis hujus Ducis praemonuerunt. Ea ne poëtica aut ficta videantur, vera fuisse patebit ex Georg. Fabricio lib. VIII. Saxon. Illustr. pag. 44. *Prodigia multa praelium antecesserunt. In primis lumen Solis sanguineum per dies septem integros: nonnulla secuta. Basilica enim Misnae* v. *Calend. Maji, hora quinta pomeridiana de coelo tacta, turres tres, tectum, campanae igne consumuntur, cum eodem die gratiae essent actae publicae in templo, de capto Johanne Frederico Saxoniae Electore. Nullum autem aliud fulmen aut antecessit aut secutum est. Arx quoque Principis a fulmine tacta, verum a civibus servatur. Tacta quoque turris templi Divae Virgini dicati in urbe, cujus tamen flamma statim extinguitur.* eadem memorat Sleidanus lib. XIX. Commentar. pag. 577. ad an. 1547. *Quo tempore Caesar prope Misenum accessit, quod fuit d. 22 Aprilis, deinde postridie & aliquot post diebus, Solis adspectus valde fuit tristis, obscurus, pallidus, & veluti caligine quadam circumdatus, ita quidem ut plerique*

longis-

Lucida ſanguineis Aurora jugalibus exit,
  Praevia nec fauſtum ſtella miniſtrat iter.
Talis erat facies, Phrygiis cum Memnona campis
  Vidit Achillea cuſpide Diva mori.
Sol quoque praetexens atra ferrugine frontem,
  Horrificis maeſtus nubibus abdit equos.

longiſſime a Saxonia remoti, & ignari quid ageretur, ſed carenti magni aliquid portendi: nec enim in Germania ſolum, ſed per Galliam & Britaniam id fuit obſervatum, & ita rem habere multa hominum millia teſtificari poſſunt. & Camerarius in vita Melanchth. pag. m. 259. his verbis: *Fuit eo die, quo praelium iſtud commiſſum eſt, & ante illum paene tribus, Solis tetra facies, impediente lumen & eminentiam radiorum denſo rubore, qui & in tectis aedificiorum & parietibus cum omnium intuentum ſtupore quodam relucebat.* Eorum verba hic adſcribere non piguit, quia ad Elegiae hujus intellectum adprime faciunt: Hiſtoriam ipſam pugnae Mulbergenſis, & captivitatis Ducis Saxoniae fuſe narrat Thuanus lib. IV. Hiſtor. cap. X & XI. & vide quae de fatis hujus Electoris Saxoniae ſupra notavimus ad Eleg. I. ỽ. 16. Simile fere prodigium in bello Agathoclis adverſus Carthagenienſes paullo ante praelium accidiſſe refert Juſtinus lib. XXII. cap. VI. & in bello Macedonico Lib. XXXIII. cap. I. in fine. Nimirum id eſt quod noſter ille canit lib. II. Carminum; in defectum Lunae:

Sunt aliquid cladis praenuntia ſigna futurae,
  Exitus adſiduis conprobat illa malis.
Nec fruſtra monuere graves inſtare tumultus
  Eventu toties ſidera nacta fidem.

plurima tamen ejusmodi prodigia vana ac falſa fuiſſe late oſtendit Rupertus in Diſſert. ad Valer. Max. lib. I. cap. 4 & 5.

1. *Nunc ego, nunc dubii vereor certamina Martis* &c.] Ex hac Lotichii Elegia colores nonnullos mutuatus eſt Paulus Meliſſus Eleg. IV. ad J. Poſthium; ubi in initio:

Non hoc de nihilo eſt, Poſthi, neque vanus ad auras
  Hac toties ſparſus rumor in urbe fuit;
Seditione graves orta reſtare tumultus,
  Saevaque civili bella gerenda manu.
Praeceſſere mali fera ſigna, oſtentaque viſu
  Mira Dei, miris prodigioſa modis &c.

Lotichii enim carmina quanti fecerit Meliſſus, conſtat ex frequenti ejus imitatione, tum quod in Eleg. 2. pag. 107. de poëta noſtro dicat:

Ante alios vates ut ſunt mihi dulcia cordi
  Carmina Lotichii, nectare tincta, mei.

ut jam nihil addam de verſibus, quos Lotichii manibus ſacravit Meliſſus, quos ex Schediasmatibus ejus Poëticis deſumtos Adoptivis inſeruimus.

7. *Phrygiis cum Memnona campis* &c.] Locus hic deſumtus eſt ex Ovidio lib. XIII. Met. 580. ubi de Aurora filium Memnona lugente:

Cura Deam propior, luctusque domeſticus angit
Memnonis amiſſi, Phrygiis quem lutea campis
Vidit Achillea pereuntem cuſpide mater.
Vidit; & ille color, quo matutina rubeſcunt
Tempora, palluerat: latuitque in nubibus aether.

ubi adpoſitum Senecae locum in Troadib. ỽ. 239. ex Ovidiano illo adumbratum, adfert Ciofanus.

9. *Sol quoque praetexens atra ferrugine frontem* &c.] Eadem locutione Tibullus lib. I. El. 4. ỽ. 37.

Quamvis praetexens picta ferrugine coelum.

Nec guttae frustra toties cecidere cruentae,
  Et seges in campis sanguinolenta fuit.
Terribilemque ferunt (quod Di, precor, omen in hostem
  Vertite) per nubes arma dedisse sonum.
Albi pater, pater Albi, tuo quot corpora volves
  Gurgite? caesorum quantus acervus erit?
Forsan & e nobis aliquem nil tale putantem
  Tristia crudeli fata sub hoste manent.
Exitus in Dis est: sed enim ruit acer in armis
  Cantaber: invictas gens habet illa manus:
Utque alios taceam, dic, quaeso, ferocibus Hunnis
  Ecqua sub Arctoo saevior axe fera est?
Hos tu, Varc, cave, laterique sodalis adhaere.
  Nulla mihi vitae te sine cura meae.
Jamque tubae lituique sonant: lacrimosa valete
  Omina: pro patria dulce piumque mori.

E L E-

ubi in aliis *nigra ferrugine.* quod videri possit Lotichius praetulisse. Sed quia de Iride illic agitur, praefero Broukhusii judicium in altera lectione vindicanda, quae hic locum habere non potest, quia de funestis prodigiis agitur. Sic *atram* & *obscuram ferruginem* de Solis defectu in prodigiis ante caedem Caesaris apud Virgilium & Ovidium. vide Salvagn. ad Ovid. Ibin ỽ. 235. Sed totus hic locus usque ad ỽ. 14. liberali aemulatione expressus est ex Nasonis Libro xv. Met. 783.

Arma ferunt nigras inter crepitantia nubes
Terribilesque tubas, auditaque cornua coelo
Praemonuisse nefas; Phoebi quoque tristis imago
Lurida sollicitis praebebat lumina terris:
Saepe faces visae mediis ardere sub astris,
Saepe inter nimbos guttae cecidere cruentae.
Coerulus & vultum ferrugine Lucifer atra
Sparsus erat: sparsi Lunares sanguine currus.

ubi vide Patrui mei notas. nisi potius auctor Tibullum suum ante oculos habuerit Lib. II. El. 5. ỽ. 71. & seqq.

Haec fore dixerunt belli mala signa Cometen,
  Multus ut in terras deplueretque lapis.
Atque tubas atque arma ferunt crepitantia coelo
  Audita, & lucos praecinuisse fugam.
Ipsum etiam Solem defectum lumina vidit
  Jungere pallentes nubilus annus equos.

ubi de similibus belli prodigiis plura Broukhusius,

*ELEGIA X.

AD

† CHRISTOPHORUM HERDESIANUM

Jureconsultum.

Esse per insidias iter, Herdesiane, monebam,
Dicebam toties, Hoc iter omne cave.
Tu tamen obsessas peregrinae milite gentis
Ausus es, invitis omnibus, ire vias.

Obstu-

husius, adductis his ipsis etiam Lotichii versibus. Non dissimilis Albinovani locus in Eleg. ad Liviam ✠. 405. seqq.

Sidera quin etiam coelo fugisse feruntur,
Lucifer & solitas destituisse vias.
Lucifer in toto nulli conparuit orbe,
Et venit stella non praeeunte dies.
Sideris hoc obitus terris instare monebat,
Et mergi Stygia nobile lumen aqua.

Ovid. I. Am. 8. 11.

Sanguine (si qua fides) stillantia sidera vidi,
Purpureus Lunae sanguine vultus erat.

Noster infra in Epicedio Aeg. Mechleri lib. v. El. 19.

Vidimus, exilio mutantes Albidos urbem
Heu mala Pierias quanta secuta Deas.
Resque Ducis chari fractas; quo tempore Phoebi
Pallidus inmenso vultus in orbe fuit &c.'

ubi ea ipsa indicat prodigia, quae in hac Elegia describuntur.

11. *Nec guttae frustra toties cecidere cruentae*] has inter prodigia a veteribus etiam habitas vel ex Jul. Obsequente patet, qui in Libello de prodigiis cap. 106. memorat in cubiculo Junonis visas esse *sanguinis guttas*. & sic in Ovidii loco modo producto, *Saepe inter nimbos guttae cecidere cruentae*. Inter prodigia etiam bellica saepe ab aliis memorantur super segetes, arbores, & aedes visae fuisse. Sed quas cruorem a papilionibus emanantem esse, jam ante hodiernos Historiae Naturalis Scriptores, adnotavit Sleidanus lib. xxv. Comment. pag. 802. ubi inter similia prodigia, quae mortem Mauritii Electoris Saxoniae praecesserunt, sanguineas guttas in foliis arborum haerentes memorat. Merentur legi quae circa pluviam hanc sanguineam observasse Peirescium narrat Gassendus in Ejus Vita Lib. II. pag. 66. & ex eo Reaumur Memoir. pour servir a l'Histoir. des Insectes T. I. part. 2. Mem. 14. pag. 380. & seqq.

13. *Quod Di*] Virgilii est Aeneid. II. 190. — *quod Di prius omen in ipsum Convertant.* Hoogst.

16. *Caesorum quantus acervus erit*] pariter Catullus *caesos corporum acervos* dixit in Epithal. Pel. & Thet. ✠. 357.

Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Cujus iter caesis angustans corporum acervis
Alta tepefaciet permista flumina caede.

& Auctor ineditus Parurgi ✠. 615.

Graminaque undanti flare altum tecta tueri
Sanguine, & ingentes caesorum cernere acervos.

quibus locis adstruximus emendationem nostram in Carmine de Achille. quod edidimus in Specim. Anthol. Lat. Epigr. Vet. pag. 20 & 21.

Multa trahet Xanthi Trojana cadavera gurges,
Majoremque feret caesorum sanguine cursum.

ubi vide quae notavimus. Sed monere ibidem neglexerimus, versibus illis probari posse apud

Obſtupui, ſubitaque tremens formidine, ſenſi
Pectus (ut audivi) diriguiſſe metu.
Omnia namque mihi comitum pars una tuorum
Nuper ad Albiacas retulit hoſpes aquas.
Purpureo coelum jam Sol reſeraverat ortu,
Nocturnoque vigil munere functus eram.
Moenibus egreſſus ripa viridante jacebam,
Militiae deflens taedia longa meae.
Ecce levi remo ſe matutinus agebat
Neſcio quis patriae de regione tuae.

Factus

apud Catullum lectionem Codicis mei Mſ. in quo pro *anguſtans*, quod in vulgatis eſt, legitur *auguſtans*, ideſt curſum Xanthi proferens & majorem reddens acervis & ſanguine caeſorum aucti. adeo ut iis turgens & oppletus latius ſe effundere nitatur, ſive ut Virg. v. Aen. v. 806. dicit:

— gemere atque repleti
Amnes, nec reperire viam atque evolvere poſſet
In mare ſe Xanthus.

26. *Pro patria*] Horatius III. Od. II, 13.
Dulce & decorum eſt pro patria mori. H.

* Eleg. X. Legitur in Ed. Pariſ. p. 19. & in Ed. Voeg. p. 27.

† Christophorum Herdesianum *Jureconſultum*] Jureconſultum non tantum egregium, ſed & Theologum ſummum apud Norimbergenſes fuiſſe hunc Herdeſianum, patet ex Freheri Theatro Erud. Vir. P. II. Sect. IV. p. 898. ubi ſcripta ejus, ſed omnia non ſuo nomine edita, adcurate recenſet. magnam ipſi cum Camerariis familiaritatem fuiſſe ſcribit Melch. Adamus in Vit. Germ. Medic. p. 159. ubi ſummum Jureconſultum & Theologum vocat, & de quo ſilere praeſtet, quam pauca dicere. ideoque & nos non plura de eo addimus.

1. *Eſſe per inſidias iter* &c.] Ovid. Metam. II. 76.

Forſitan & lucos illic urbesque Deorum
Concipias animo, delubraque ditia donis
Eſſe, per inſidias iter eſt, formasque ferarum.
Hoogst.

4. *Auſus es, invitis* &c.] ob oculos habuit Ovidiana in Epiſt. Penelopes ℣. 100.
Dum parat invitis omnibus ire Pylon.
& ex hoc fonte ſunt quae habet ℣. 7. ſic enim ibi Naſo,
Omnia namque tuo ſenior, te quaerere miſſo,
Rettulerat nato Neſtor: at ille mihi.
Hoogst.

Ibid. *Auſus es, invitis omnibus, ire vias*] addunt Ed. Par. & Voeg.
Propoſitum nec uterque parens inbibere, nec udis
Flectere te potuit fida puella genis.

5. *Subitaque tremens formidine*] *& ſubito gelidum formidine* Ed. Par. & Voeg.

7. *Omnia namque mihi comitum* &c.] in Editione Par. & Voeg. haec habentur:
Nam mihi cuncta tuae conſors patriaeque viaeque
Rettulit, & nobis quaerere cura fuit.
Cetera quae ſequuntur usque ad ℣. 25. *Non procul hinc locus eſt* &c. deſiderantur in iisdem Editionibus.

13. *Remo ſe matutinus*] Virg. Aeneid. VIII. 465.
Nec minus Aeneas ſe matutinus agebat.
Hoogst.

Factus erat propior, surgo, nautamque saluto,
　Ense latus cinctum est, hasta jacebat humi.
Protinus agnosco juvenem, quo nullus ad Arctum
　Doctior argutae fila movere lyrae,
Franciscum, cui Pierides, nisi bella fuissent,
　Cinxissent lauri fronde virente comam.
Ille tuos casus referebat, & hostis amicam
　Ipsius in dirae limine mortis opem.
Castra petebamus (lacrimans dicebat) & urbem,
　Qua sale durandas Hala ministrat aquas.
Non procul hinc locus est, ubi spumifer ilice densum
　Perfluit undoso gurgite Sala nemus.

K　　Illic

19. *Franciscum*] Quis hic intelligatur Franciscus, dubium me haerere fateor. Cogitabam aliquando de Francisco Franchino, poëta illius aevi festivissimo quia ille in exercitu Caroli V. stipendia meruit, & Phoebi ac Martis castra secutus, retulit ad patrios bina tropaea lares; ut in ejus Epitaphio legitur. vide de eo Toppii Biblioth. Neap. p. 90. & Nicodem. Addit. p. 79. Sed huic obstat patria, quippe qui Italus Cosentinus fuit. Hic vero intelligitur poëta, qui ad Arctum Musarum studio nobilis fuit, ejusdemque patriae consors cum Herdesiano. An igitur forte intelligit Franciscum Ripensem? Ita conjicio a laude facultatis poëticae, quo nomine eum hic celebrat; & ex Epigrammate, quo tamquam corona laurea eum exornat Lib. II. Carm. p. 159.

Aonio cinges juvenilia tempora Vati,
　Aeternum servans fronde virente decus.
Hunc meus ingenio meruit Franciscus honorem,
　Nobilius per quem Dania nomen habet.

ubi vide. Sed cum Franciscus ille Ripensis militiae nomen, quantum sciam, non dederit, quod tamen his versibus innui videtur, amplius inquirendum arbitror.

24. *Qua sale durandas Hala ministrat aquas*] Hunc Lotichii versum descripsit D. Sigismundus Cassovius in Itin. German. & Sarmat. p. 589. in Itinerariis Reusneri:

Regia deseritur fumantibus Hala salinis,
　Qua sale durandas Sala ministrat aquas.

Sed & plures versus Lotichianos isto in carmine nimia imitatione passim suos fecit.

25. *Non procul hinc locus est* &c.] pro hoc & sequentibus duobus distichis ista leguntur in Ed. Par. & Voeg.

Est locus, (ajebat) pars frugibus apta ferendis
　Laeva, sed arboribus consita dextra viret.
In medio vallis nemoralibus humida rivis,
　Apta quidem fraudi, sed minus apta fugae.
Hic ferimus rigaas dum gressus mane per herbas
　Inque vicem grata voce levamus iter.
Ensibus ecce minax strictis a parte sinistra
　Protinus (horresco dum loquor) hostis adest.
Fertur & ut torrens e vertice spumeus alto,
　Eruta qui rapido saxa fragore trahit.
Hostis agens &c.

Illic dum gelida fessi cessamus in umbra,
  Dum levat irrigui fluminis unda sitim:
Ecce minax, strictisque ferox mucronibus hostis
  Ad liquidas praeda tendit onustus aquas:
Hostis agens captosque greges, armentaque secum,
  Indigenae miseras rura colentis opes.
Jamque propinquabant, jam nos clamore premebant,
  Nulla fugae ratio, nulla salutis erat.
Dum tamen & pecudes, onerosaque praeda sequentes
  Vallis & adsiduis uda moratur aquis:
Montis in oppositi (miserabile) nitimur altum,
  Ut quibus est cursu vita tuenda, jugum.
Lustraque scrutamur nigrantibus abdita silvis,
  Et minus invisae quae loca lucis habent.
Vertitur ante oculos lacrimosae caedis imago,
  Et suus arbustis omnibus horror inest.
Sic ingrata dies, sic tota sub aethere nudo
  Nox in desertis rupibus acta fuit.

Interea

31. *Captosque greges*] *pecorumque greges* Ed. Par. & Voeg.

32. *Indigenae miseras rura*] *Incola dat late, qua ruit ille, viam.* Ed. Par. & Voeg.

33. *Jamque propinquabant* &c.] Haec ita leguntur in Ed. Par. & Voeg.

Jamque propinquantes, jam nos clamore vocantes
  Cernimus, & ratio nulla relicta fugae est.
Ilicibus densum via saxa per aspera ducit
  Invenimus, haec monstrat prima salutis iter.
Dumque vagae pecudes, onerosaque praeda &c.

37. *Montis in*] sic recte in Ed. Par. & Voeg. male & in vulgatis.

Ibid. *Montis in*] Codices praeferunt *montis &* male. HOOGST.

43. *Sic ingrata dies, sic tota* &c.] Pro his ita Ed. Par. & Voeg.

Sub Jove sic, Phoebo lucem praebente, latemus,
  Sic quoque funestum nocte sequente diem.
Nocte nec obscura, nec Phoebi tempore, venit
  In vigiles oculos somnus, in ora cibus.
Auribus accipimus &c.

Interea non ulla cibi, non montibus illis
  Ulla vel exigui copia fontis erat.
Auribus accipimus vulgi lamenta per umbram,
  Pulſaque nocturnis queſtibus antra ſonant.
Deflet uterque parens natos, natique parentes,
  Vir mala dilectae conjugis, illa viri.
Parvus & in dumis puer a genetrice relictus,
  Mater ïo ſilvis abdita, clamat, ubi es?
Mater ïo, ſi vivis, ubi es? Quis talia ſiccis
  Audiat, aut poſſit conmemorare genis?
Sole recens orto, montes, nemorumque latebras
  Linquimus, & Superis vota precesque damus.
Ventum erat in campum, redit hoſtis, & ecce cohortis
  Ductor anhelanti nos petit acer equo.
Stamus, & Aoniae cultores dicimus artis,
  Inmunes belli nos habuiſſe manus.

48. *Pulſaque nocturnis* &c.] *Et nemus aſſiduis que ſibus omne ſonat*, Ed. Par. & Voeg.

50. *Dilectae*] *deplorat* Ed. Par. & Voeg.

52. *Clamat, ubi es?*] Confer Ovid. de Arte Am. lib. II. 94. & Metam. VIII. 232. HOOGST.

54. *Aut poſſit commemorare*] *ut lacbrymis non riget ora*, Ed. Par. & Voeg.

55. *Sole recens orto montes* &c.] Haec ita habentur in Ed. Par. & Voeg.

Jamque receſſuris pallebant aſtra tenebris,
  Et querulos cantus mane dabatis aves.
Surgimus optatae ſub prima creſpuſcula lucis,
  Quique fuit nobis impetus ire, manet.
Ortus erat Phoebus, redit hoſtis, & ecce cohortis
Ductor &c.

quis vero hic militaris cohortis Dux fuerit, qui ſe gloriatur in ſequentibus verſibus Sannazarii propinquum eſſe, equidem divinando adſequi non poſſum. Ne tamen quis miretur extra Italiam Herdeſianum cum comitibus ſuis incidiſſe in conſanguineum poëtae hujus, inter Italos certe primo loco & ordine cenſendi, evolvat notam Broukhuſii ad Sannazar. lib. II. El. 2. ℣. 17. unde patebit gentem Sannazarii ex ultima Hiſpania oriundam in Gallia Ciſalpina conſediſſe, & opima illic patrimonia poſſediſſe, quae tamen iniquitate fortunae illis iterum ademta fuerunt. Sed vide ipſius Sannazarii vitam in Ed. Broukh. majore.

Nomen ad Aonidum, juvenes confidite, dixit,
  Nos etiam mites erudiere Deae.
Quod si forte procul vestras pervenit ad aures,
  Sincerus priscis Actius ortus avis:
Actius Hesperiis fama bene notus in oris,
  Pinguia Sebethi qua rigat arva liquor;
Illi ego me veteri consanguinitate propinquum
  Glorior, & vates, vatis amicus, amo.
Inpia nec praedae me traxit in arma cupido.
  Cum populis terras cura videre fuit.
Sic ait, & nobis, ubi Caesar agebat, in urbem
  Exhibuit tutas ipse cohorsque vias.

Talia

63. *Quod si forte procul* &c.] Haec & sequentia usque ad ℣. 69. *Inpia nec praedae* &c. non leguntur in Ed. Par. & Voeg.

Ibid. *Quod si forte*] Virg. II. Aeneid. 81.
Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures.
HOOGSTR.

64. *Sincerus*] Intelligitur Actius Sincerus Sannazarius, quem qui volet noscere, videat ejus poëmata, quorum accuratam editionem dedit anno seculi proxime elapsi LXXXIX. Vir Nobilissimus Janus Broukhusius, praefixa Sannazarii vita. HOOGSTR.

66. *Pinguia Sebethi qua rigat arva liquor*] Oportune Sebethi, Neapolim perfluentis, meminit, dum Sannazarii meminit: apud quem plurima fluvioli hujus exstat mentio. vide notas Broukhusii ad Sannaz. lib. I. El. 9. 47. & ad Eclog. V. 21. ubi quod observet non infrequentiorem ejus mentionem esse apud Joh. Jovianum Pontanum, quam apud Sannazarium, verissimum esse videbis ex Capacii Histor. Neapolit. Lib. II. cap. 7. p. 438. & 439. qui utriusque poëtae loca, quibus Sebethum celebrant, adfert. pariter Basilius Zanchius lib. VI. Poëm. El. 2. ad Sannazarium scripta:
Acti, plectra movet cui lenia pulcher Apollo,
  Gratia cui dulci semper in ore sedet,
Te viridis Sebethus habet, te florea Tempe,
  Cantantem facilies inter Hamadryadas.

67. *Illi ego me*] Virgilium rursus sequitur eod. lib. ℣. 86.
Illi me comitem & consanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis. HOOGSTR.

72. *Exhibuit tutas ipse cohorsque vias*] Cogitabat illud Tibulli lib. I. El. 3. ℣. 2.
O utinam memores ipse cohorsque mei.
antea enim legebatur in Ed. Par. & Voeg.
Exhibuit tutum, quam Sala stringit, iter.
eaedem Editiones huic versui subjungunt sequentes:
I nunc & monitis praebere fidelibus aures
  Turpe puta, subito, nec metus obstet, eat.
Non habet eventus placidos temeraria virtus,
  Haec quoque quae poteris tuta putare, time.

Talia narrabat, lacrimisque fluentibus, ambo
  Duximus in longas triſtia verba moras.
Dic tamen, o juvenis, tantis erepte periclis,
  Quo mihi nunc rapto vivere triſte foret:
Ante tuos oculos cûm tela necemque videres:
  Quid tibi tunc animi, quis color oris erat?
Ergo reliquiſſes jucundas luminis oras,
  Ni pia cultori Muſa tuliſſet opem?
Forſitan & noſtri memor ipſa in morte fuiſti,
  Convertens vultus huc per inane tuos.
Dixiſtique vale, pars quisquis es una meorum,
  Ultima lux oculis eſt hodierna meis.

73. *Talia narrabat* &c.] Omittunt hoc diſtichon Ed. Par. & Voeg. Sequenti verſu Lotichius adluſit ad illa Propertii lib. 1. El. 10. ℣. 6.

Quum te complexa morientem, Galle, puella
  Vidimus in longam ducere verba moram.

ut ad illum locum obſervavit Broukhuſius. imitatus etiam eſt Jacobus Micyllus in Itiner. Francof. pag. 475 in Itinerar. Reusneri:

Mutuaque alternis relevantes pectora dictis
  Ducimus in longas tempora grata moras.

75. *Tantis erepte periclis* &c. *Quid tibi tunc animi* ſeqq.] Non dubito Lotichium in animo habuiſſe illum Ovidii locum lib. 1. Met. 358.

Quid tibi, ſi ſine me fatis erepta fuiſſes,
  Nunc animi, miſeranda, foret? quo ſola timorem
Ferre modo poſſes? quo conſolante dolores?

& ita ſaepe apud eumdem, non *Quis tibi tunc animus.* quod in codicibus minus caſtigatis legitur, ut ex Heinſii notis illic videre licet. Non recte igitur Dav. Sigismundus Caſſovius in Itiner. Germ. & Sarmat. pag. 588. ubi hunc Lotichii locum ita imitatur:

Dic tamen, o juvenis, tantis erepte periclis,
  Quis tibi tunc animus, quis color oris erat?
Cùm premeres altis pulſas Aquilonibus Alpes,
  Frigoraque inſuetas & paterere vias?
Ergo Vandalici confoſſus militis enſe
  Liquiſſes vitae lumina cara tuae?

77. *Tela necemque*] *letbum triſte* Ed. Par. & Voeg.

79. *Ergo reliquiſſes*] Non agnoſcunt hoc diſtichon Ed. Par. & Voeg.

81. *Ipſa in morte*] *hac in ſorte* Ed. Par. & Voeg. & ſeq. ℣. *oculos hac* pro *vultus huc.*

84. *Ultima lux oculis* &c.] Subjunguntur poſt hunc verſum ſequentia in Ed. Par. & Voeg.

Haec mihi narrabis, quibus addes auribus hauſta,
  Viſaque ſollicitae tempore multa viae.
Ut, quam mille prius regum peperere labores,
  Nunc bona libertas, nomen inane, ruat.
Nec dedignatos poſitis (heu dedecus) armis,
  Sponte jugum magnos turpe ſubire duces.
Albis & in ripis ut millia multa virorum
  Viderit infanda proditione mori.
Heu ubi ſancta fides? turmae fugiſtis equeſtres,
  Et fruſtra petiit miles inultus opem.
Iſta mihi referes, cum moenia &c.

Haec mihi narrabis, cum moenia veſtra reviſam,

*   *   *   *   *   *   *

Namque iterum dulci Muſarum tangor amore,
  Et me jam belli militiaeque pudet.
Quod niſi me fallant animi praeſagia, tecum,
  Erigonen quando Phoebus adibit, ero.
Tunc viridi mecum reſidens in gramine, tuto
  Omnia depones auribus illa meis.
O mihi laetitiam cum pace datura perennem,
  Fortunata mihi terque quaterque dies!
Martia qua ſignis fulgentia caſtra relinquam,
  Caſtra ſub hiberno quae videt Urſa polo.
Vosque per Aonios ſequar, o mea gaudia, montes,
  Inventor citharae Phoebe, novemque Deae.
Adloquar & dulces, quibus ante fruebar, amicos.
  O mihi ſollemnis ſemper habenda dies!
Hanc celeri genetrix ut Memnonis adferat ortu,
  Adde tuas noſtris, Herdeſiane, preces.

85. *Haec mihi narrabis*] *Iſta mihi referes* in Ed. Par. & Voeg. quae hiatum pentametri hoc modo ſupplent:
Omnia quae tacito condet uterque ſinu.
ſenſu ſatis cohaerente. conferendus eſt hic locus cum illis, quae ſupra habuimus Eleg. 2. ỿ. 73. & ſeq.

87. *Namque iterum dulci Muſarum* &c.]
Namque loci rurſus tangor natalis amore,
Grataque vicinae ſpes mihi facis adeſt.
Quod niſi me fallunt menti. praeſagia &c.
ita in Ed. Par. & Voeg.

91. *Tunc viridi mecum* &c.] deeſt hoc diſtichon in Ed. Par. & Voeg. quod, ſi mei arbitrii res ſit, commode deleatur licet; eſt enim paullo languidius, & bene omnia, ſi ejiciatur, cohaerebunt, modo hiatus, qui ſupra ỿ. 86. occurrit, ex iisdem editionibus ita ſuppleatur, ut notavi. *deponens* male in vulgatis.

95. *Caſtra ſub hiberno*] *Ruraque ſub gelido* Ed. Par. & Voeg. in quibus huic verſui adduntur ſequentes:
Rurſus & incipiam vitae memor eſſe prioris,
Admonitus ſacri carminis, atque mei.
Vosque per &c.

101. *Hanc celeri*] Vid. Eleg. II. & ibi notata ad ỿ. 78. HOOGSTR.

*ELEGIA XI.

AD AMICOS.

De ſuo in patriam reditu, facta jam pace.

Cingite ïo lauri, ter ïo mea cingite lauri
  Tempora: finito praelia Marte ſilent.
Nunc funeſta mihi (vix poſſum credere tantum)
  Arma licet, facta pace, referre domum.
Nunc ſcio, tranquillae quam ſint bona commoda pacis,
  Bellaque ſint terris quale cruenta malum.
Proderit hoc olim prima didiciſſe juventa,
  Martis inexpertis dulce videtur opus.

Eſte

* ELEG. XI.] Legitur in Ed. Pariſ. pag. 21. & Voegeliana pag. 30. in quibus multa aliter, ut enotavimus. ſimilis argumenti eſt Elegia Joh. Joviani Pontani lib. II. de Amor. Conjug. El. 3.

1. *Cingite*] Imitatio Ovidii eſt II. de Arte Am. ℣. 1.
Dicite, Iō Paean: &, iō, bis dicite, Paean. HOOGSTR.

4. *Arma licet, facta &c.*] adduntur haec in Ed. Par. & Voeg.
Jam nihil eſt totum, quod in his toleravimus oris,
Quaeque fuit durum ferre, tuliſſe juvat.

5. *Tranquillae quam ſint bona commoda pacis*] *quam placidae ſint dulcia commoda pacis*, in Ed. Par. & Voeg.

7. *Hoc olim prima didiciſſe*] *haec olim prima ſenſiſſe*, Ed. Par. & Voeg. hunc quoque verſum ſibi adoptavit Dav. Sigismundus Caſſovius in Itiner. Germ. & Sarm. p. 593.
Proderit haec olim ſera meminiſſe ſenecta.

8. *Martis inexpertis dulce videtur opus*] Reſpexit procul dubio Lotichius ad Graecorum Adagium, γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος, quod e Pindaro exponit, & operoſa digreſſione inluſtrat Erasmus in Chiliad. Adag. p. m. 295. Sic enim recte in Diogeniani Proverbiis Cent. IV. No. 94. emendabat Schottus pro ἀπείρων. quod firmatur ex Pindari fragmento apud Erasmum, Γλυκὺ δὲ πόλεμος ἀπείροισιν, ἐμπείρων δέ τις ταρβεῖ. neque aliter legitur in Proverbiis e Suida collectis Cent. IV. 95. & apud Apoſtolium Cent. VI. 34. ubi tamen ἀπείρων habetur in Cod. Mſ. Rhedingeriano cujus inſignem collationem manu M. Opitii adſcriptam editioni Pantinianae habemus, unde longe locupletiores fieri poſſent Apoſtolii Paroemiae. Rem ipſam ſaepius carminibus ſuis decantat Lotichius, in quibus paſſim, praeſertim primo hoc Elegiarum libro, de Belli incommodis & miſeria Martis queritur: cum quo poëticae rei ſtudioſis conferre volupe erit Joh. Joviani Pontani lib. II. Amor. El. XIII. pag. 36. b. Ed. Ald.

Bene-

Eſte ſalutati, quos ſum conplexus, amici,
Sive quis in ſtudiis, ſeu tulit arma ſimul.
Vos ego nunc, animi pars noſtri magna, relinquam,
Natalis repetens dulcia rura ſoli.
Caſtra valete, valete enſes, vale hospita tellus,
Et nemus, & lacrimis conſcia ripa meis.
Vos quoque conſortes operum, quos nuper acerbo
Funere Mars hauſit turbidus ante diem;
Illuſtres ſalvete animae, longumque valete,
Tuque, ſed (heu) fractis cornibus, Albi vale.

At

Benedictum Lampridium Poëmat. pag. 40. & ſeqq. Janum Pannonium prolixo carmine ad Imper. Fredericum III. pro pacanda Italia; & praecipue Joannis Sommeri, poëtae inter Hungaros excellentiſſimi, ſed nullo ſuo merito hodie fere ignorati, Elegiam IX. pag. 426. in Deliciis Poëtar. Hungaric. a Pareo collectis. Hoc argumentum etiam eleganti carmine tractavit Joh. Baptiſta Pigna ſub titulo *Belli deteſtatio*, quod habetur lib. III. Carmin. pag 93. & ſeqq. Quem Pignam eo libentius memoramus, ut ingenuae juventuti commendemus hunc poëtam Ferrarienſem, quem *hominem in primis eruditum & ingenioſum* vocat Manutius lib. IV. Epiſt. 32. ubi & libros ejus de imitatione poëtica laudat. Vulgo enim hic quoque vix nomine notus eſt. Prodierunt Pignae carmina ſimul cum Caelii Calcagnini & Ludovici Areoſti carminibus Venet. 1553. & in Italorum poëtarum collectione Toſcaniana ejus nonnulla habentur Tomo II. Innoteſcet paullo magis, ut puto, ex Menagii Obſervationibus ad Amintam Taſſi p. 161. 214. 354 & 357. unde longe ampliora & certiora de Pigna diſcere licet, quam ex Hieronymo Baruffaldo de Poëtis Ferrarienſibus Claſſ. 1. pag. 19. ubi male Pinea vocatur.

9. *Eſte ſalutati, quos ſum conplexus, amici*] hunc Lotichii locum ante oculos habuit Johannes Bocerus lib. II. Sacror. Carmin.

Eſte ſalutati, quos linquere cogor, amici,
Tuque mihi aeternum Lunaque Solque vale.

uterque adhaeret Ovidio lib. I. Triſt. 3. 34.

Dique relinquendi, quos Urbs habet alta Quirini,
Eſte ſalutati tempus in omne mihi.

15. *Vos quoque conſortes operum* &c.] Hoc & ſequens diſtichon deſideratur in Ed. Par. & Voeg.

18. *Tuque, ſed (heu) fractis cornibus, Albi vale.*] ita paſſim apud poëtas antiquos in clade bellica fluvii majores fractis inducuntur cornibus. Ovidius lib. IV. Triſt. El. 2. 41.

Cornibus hic fractis viridi male tectus ab ulva
Decolor ipſe ſuo ſanguine Rhenus erit.
Crinibus en etiam fertur Germania paſſis,
Et Ducis invicti ſub pede maeſta jacet.

ubi Heinſius *Cornibus infractis* praeferebat. Sed non opus eſt. Claudianus lib. III. de Laud. Stil. ℣. 23.

Hinc Libyci fractis lugerent cornibus amnes,
Inde catenato gemeret Germania Rheno.

hinc recte adverſus Gonſalium Patruus meus explicat illa Petronii in Carm. de bel. Civ. cap. 123. de Pompejo:

— *quem*

At tu parce, precor, ſubjectis, inclite Caeſar,
Humanae factus ſortis ab hoſte memor.
Gloria victori eſt victis donare ſalutem,
Nec crimen, quidquid non bene ceſſit, habet.
Laeta volubilibus victoria paſſibus errat,
Et magni reges, & cecidere duces.

L Fal-

— *quem fracto gurgite Pontus*
Et veneratus erat ſubmiſſa Boſporus unda.

quem vide. Sic de Acheloo poſt luctam cum Hercule Ovid. III. Am. 6. 36.

Cornua ſi tua nunc ubi ſint, Acheloë, requiram,
Herculis irata fracta querere manu.

& Propertius lib. II. El. 25. 34.

Non rurſus licet Aetoli referas Acheloi
Luxerit ut magno fractus amore liquor.

In vulgatis antea frigide illic *factus* legebatur, & recte *Luxerit* ſubſtituit Broukhuſius pro *Fluxerit*, quem miror inter loca, quibus pulcherrimam emendationem optime adſtruit, non meminiſſe illius Naſonis Epiſt. IX. 139.

Cornua flens legit ripis Achelous in udis,
Truncaque limoſa tempora merſit aqua.

ubi *trunca* vocat *tempora*, quae *fracta cornua* in altero loco dicuntur.

19. *Inclite Caeſar*] *arbiter orbis* Ed. Par. & Voeg.

21. *Gloria victori eſt, victis donare ſalutem*] Sententia nota, & ſaepe a Poëtis celebrata, quae multorum Heroum exemplis probari poſſet ex hiſtoriarum monumentis. id ita exprimit noſter Eclog. VI. ℣. 100.

Usque adeo pulchrum eſt & nobile, parcere victis,
Pulchrius, indomitas quam bello ſubdere gentes.

Sed judicium Lotichii hic laudandum eſt, qui ſententia hac valde oportuno loco utitur, ubi de Carolo V. agit, quem in victos & ſupplices ſeveriorem & duriorem fuiſſe conſtat, praecipue in Joh. Fredericum, Electorem Saxoniae, captivum, quem paullo arrogantius tractaſſe, nec mitiorem fuiſſe in alios Viros illuſtres, qui belli alea in ejus manus inciderant, enarrat Thuanus lib. IV. Hiſtor. Cap. X. XI & XIV. ubi cladem Mulbergenſem, & Saxoniae ducis captivitatem deſcribit, cujus memorabilia ad Erneſtum Brunsvicenſem, captivitatis ſocium, verba, huc facientia, ibidem refert: *Itaque*, inquit, *ſi te bello inferiorem doles, ut ſuperior ſis, conſtantiam indue, & te calamitatem tuam contemnere, oſtende; ſic victoriam hoſti eripies, & victus victorem vinces: haec expedita ratio eſt ultionis de hoſte vel in hac captivitate ſumendae.* Et hoc ipſo Saxonici Ducis exemplo inter alia, ad ſententiam hanc illuſtrandam, utitur Camerarius in Meditation. Hiſtoric. Cent. III. Cap. 26. prolatis in medium iisdem Thuani verbis. Eo igitur hic reſpexiſſe Lotichium opinor, neque ſententiam hanc more vulgarium poëtarum ſine ratione aut neceſſitate, ſed quaſi tempeſtivam ad Carolum V. de moderanda victoria admonitionem adhibuiſſe.

21. *Gloria victori* &c.] Poſtponitur hoc diſtichon proxime ſequenti in Ed. Par. & Voeg.

22. *Nec crimen, quidquid non bene ceſſit, habet*] *Hac quoque laus major nulla futura tua eſt.* ita in Ed. Par. & Voeg.

23. *Laeta volubilibus*] Ovidius Triſt. 5. 8. 15.

Paſſibus ambiguis Fortuna volubilis errat.
Et manet in nullo certa tenaxque loco.

HOOGST.

Fallor? an incipiunt alti ſubſidere montes?
Spirat & e patriis lenior aura jugis?
Salve dulce ſolum, non mitis, & optima rerum
Pax tibi, non agri fertilis uber abeſt.
Non tibi prata ſuis deſunt rorantia rivis,
Ubera quique ferant nectare plena greges.
O quoties ego, Cynthi, tuas, placidiſſime, limphas
Optavi! quoties, herbifer Aci, tuas!
In ſomnis quoties gelidos haurire liquores
Viſus, & herboſo pellere fonte ſitim!
Cum mihi ſuccenſas torreret anhela medullas
Febris, & ante oculos mors foret atra meos.
Salve terra meae ſervans cunabula gentis,
Terra potens aequo jure, Deûmque metu.

Serior

25. *Fallor? an incipiunt* &c.] Hoc quoque diſtichon non legitur in Ed. Par. & Voeg. ſed pro eo interſerunt ſequentes verſus:

Eſt aliquid miſeros citra ſcelus eſſe nefandum,
Nec ſubito crimen, quod male ceſſit, habet.
Lenius o ſpirate leves vallibus aurae,
Dum Canis aeſtifero ſidere findit humum.
Ipſe manu tergens vultus ſudore fluentes
Nitar inacceſſae rupis adire jugum;
Nec breve nocte dabo ſpatium, nec luce quieti,
In patria donec, quo mihi curſus, ero.
Qua jacet a veteris mons dictus nomine Druſi,
Summaque pars quercu, vitibus ima virent.
Parvus & a Francis vicinos Cynthius Heſſos
Separat, & gelidam fons rigat Acis humum.
Hic tacitos inter montes, lucosque ſilentes
Otia ſecurae plena quietis agam.
Et tenerae vobis dicam mea carmina Nymphae,
Pectore laetitiam vix capiente ſuam.
Salve dulce ſolum & quae ſeqq.

Ibid. *Fallor?*] Iterum ex Ovidio adumbratum Triſt. 1. 2. 107.

Fallor? an incipiunt gravidae vaneſcere nubes? Hoogst.

27. *Non mitis*] *non lenis* Ed. Par. & Voeg.

28. *Pax tibi, non agri* &c.] Additur in Ed. Par. & Voeg.

Nec liquidi fontes, & amicti palmite colles,
Multus & ad rigui fluminis hortus aquas.

29. *Non tibi*] *nec* Ed. Par. & Voeg.

30. *Ubera quique ferunt* &c.] Addunt in Ed. Par. & Voeg.

Luſtra quid altorum nemorum venatibus apta,
Et volucrum referam carmina mille ſonis?

31. *O quoties ego, Cynthi, tuas* &c.] deeſt hoc diſtichon in Ed. Par. & Voeg.

33. *In ſomnis quoties* &c.] diſtichon hoc cum ſequenti deſideratur quoque in Ed. Par. & Voeg.

38. *Terra potens aequo jure* &c.] Additur in Ed. Par. & Voeg.

Quam te blanda fovet placidi clementia coeli?
Quam rigidis diſpar forma ſub axe locis.

Serior his utinam me vallibus occupet aetas,
  Quas olim veteres incoluistis avi.
Nec mihi deficiant hortus, fidique sodales,
  Nec liquor, in patriis quem tulit uva jugis.
Nec lyra, maturis vires adimentibus annis,
  Triste senectutis quae leve reddat onus.
Pegasides, requies curarum sola mearum,
  Vos ego, quod superest, tempus in omne colam.
Vos date Castaliae, vatum pia numina, vestro
  Plena sacerdoti pocula rursus aquae.
Nec mihi sit damno, quod me lacrimosa coëgit
  Praelia deserto Mars Helicone sequi.

39. *Serior his utinam me vallibus occupet aetas*] & hos quoque versu nimis aperta imitatione suos fecit David Sigismundus in Itiner. Germ. & Sarmat. p. 598. prope finem:

Felices terrae, fortunatissima rura,
  Dives ubi proavis res fuit ante meis.
Serior his utinam me finibus occupet aetas,
  Hinc adeam patrios laetior umbra polos!

priores duo versus adhaerent Lotichianis, quae occurrunt lib. II. El. 5. ℣. 51.

Felix, qui solis, parvo contentus, in agris
  Degit, ubi proavis res fuit ante suis.

40. *Quas olim veteres incoluistis avi*] Respexit Tibullum lib. I. El. XI. 18.

Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos,
  Sic veteris sedes incoluistis avi.

ita enim emendabat Fruterius, eamque lectionem Broukhusius inter alia hac quoque Lotichii imitatione conprobabat. Eundem Tibulli locum expressit Fr. Marius Molsa Eleg. I.

Aequaque dispositis consurgunt tecta columnis,
Arte rudes nulla quae incoluistis avi.

41. *Hortus, fidique sodales*] *arbor, certique penates*, in Ed. Par. & Voeg.

42. *Nec liquor*] *Et* Ed. Par. & Voeg.

43. *Nec lyra*] Horatius I. Od. 31. optat ad hunc modum:

  — *nec turpem senectam*
Degere, nec cithara carentem. HOOGSTR.

46. *Vos ego quod superest* &c.] additur in Ed. Par. & Voeg.

Pegasides noster, quicquid agamus, amor.
Pegasides, quarum virtus ope funera nescit,
  Vos ego quod &c.

47. *Vos date Castaliae* &c.] imitatio haec Lotichiana vindicat scripturam in eodem Ovidii voto Lib. I. Am. 15. 36.

  — *mihi flavus Apollo*
Pocula Castaliae plena ministret aquae.

ut recte correxit Heinsius.

49. *Nec mihi sit damno, quod me lacrimosa coegit* &c.]

Nec mihi sit damno, fuerit licet, otia linquens
  Vestra, quod insani militis arma tuli. ita in Ed. Par. & Voeg.

Non ego ſuppoſui tectis inſontibus ignes,
  Facta nec injuſta eſt dextera caede nocens.
Et licet ad magnos victoria flexerit hoſtes,
  Arma tamen cauſſa pro meliore tuli.
Vos quoque ſum lituos inter veneratus, & enſes,
  Quodque fuit vacuum tempus ab hoſte, dedi.
Deque tot amiſſis etiam nunc pauca ſuperſunt
  Carmina, militiae tempore facta meae.
Vade agedum, conſueſce legi, manibusque teneri,
  Parve, ſed auctori care, libelle, tuo.
Non ego te viridi genui projectus in umbra,
  Otia quae ſacris vatibus eſſe ſolent:
Sed trepidas inter pugnas, dum Carolus armis
  Caeſar ad infauſtas fulminat Albis aquas.

Tu

52. *Facta nec injuſta eſt dextera caede nocens*] pariter Ovidius lib. II. ex P. Ep. 9. 67.

Non ego caede nocens in Pontica litora veni,
Mixtave ſunt noſtra dira venena manu.

quem locum ita imitatus eſt Paulus Panſa in Epicedio Molſae:

Numquid caede nocens foedavit ſanguine dextram,
Miſcuit an puro toxica dira mero?

de participio *nocens* in fine pentametri vide quae notabimus infra ad lib. IV. El. I. ỽ. 20.

53. *Et licet ad magnos victoria flexerit hoſtes*] Iisdem fere verbis hac excuſatione utitur Sannazarius lib. II. El. I. ỽ. 87.

Nam quod ad hoſtiles flexit victoria partes,
Fortunae magis hoc, quam fuit artis, opus.

Ibid. *Et licet ad magnos* &c.] Deeſt hoc diſtichon in Ed. Par. & Voeg.

59. *Vade agedum* &c.] Neque hoc diſtichon cum tribus ſequentibus legitur in Ed. Par. & Voeg.

63. *Sed trepidas inter pugnas, dum Carolus armis, Caeſar ad infauſtas fulminat Albis aquas*] Elegans aemulatio Virgiliana lib. IV. Georg. 561.

Haec ſuper arvorum cultu pecorumque canebam
Et ſuper arboribus, Caeſar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello &c.

quos verſus ſine dubio hic ante oculos habuit. Ceterum ex hoc loco male nonnulli, ut Baillet Jugem. des Scavans T. IV. P. III. p. 273. ubi de poëtis recentioribus agit, collegerunt Lotichium pleraque, ſi non omnia, carmina ſua in caſtris inter tumultus bellicos & armorum ſtrepitus feciſſe: cum unicam tantum expeditionem auſpiciis J. Frederici Electoris Saxoniae fecerit; & haec verba referenda tantum ſint ad primum Elegiarum librum. quem relicto Marte in Galliis cum ageret, Pariſiis edidit. Haec notanda, ne ejusmodi exempla erroris comites ad ſe trahant: & monuit recte Baylius in Lexico ſuo Critico T. III. p. 162. Lit. A.

Tu mihi curarum requies: tu dulce laborum,
  Saepe vel obscura nocte, levamen eras.
Qualiscumque meis vivas diuturnior annis,
  Perque manus serae posteritatis eas.
Aspera cum numeris gravioribus arma valete.
  Pax juvat, in teneris sint mea regna modis.

65. *Tu mihi curarum requies* &c.] Ex Tibullo expressum lib. IV. 13. 11.

Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
Lumen, & in solis tu mihi turba locis.

vide Richteri Specim. Observ. Crit. pag. 59. porro quod noster librum suum *nocte obscura levamen*; quodque *lumen in tenebris* puellam suam vocet Tibullus, acumen illud Graecis poëtis etiam frequens est, ut vel ex Epigrammate Anthologiae Graecae, quod Georg. Anselmus expressit, patet, et observat Broukhusius ad dictum Tibulli locum. Sed vide etiam similia apud Menagium in Observ. ad Malherbae Poëmata pag. 278.

67. *Qualiscumque meis vivas* &c.] Haec auctiora habentur in Ed. Par. & Voeg.


Qualiscumque meis vivas diuturnior annis,
Cum fieres requies grata, libelle, mali.
Te leget, & veniens nobis erit aequior aetas,
Si quis & est livor, desinet esse mora.
Pascitur in magnis tantum malus ille poëtis,
Inferius saevis morsibus illud opus.
Aspera cum numeris &c.

in qua modesta gloriatione Lotichium ante oculos habuisse notos illos Ovidii versus lib. I. Am. El. 15. facile quisque animadvertit:

Pascitur in vivis Livor, post fata quiescit,
Cum suus ex merito quemque tuetur honos.

69. *Aspera cum numeris gravioribus arma valete*] Imitatio est Ovidii lib. I. Amor. El. I. 28.

Ferrea cum vestris bella valete modis.



PETRI

PETRI LOTICHII SECUNDI *ELEGIARUM LIBER II.

ELEGIA PRIMA, AD MATTHIAM STOIUM *Borussum.*

Ecce novum vatem, pulchra cum matre Cupido.
Uror, & en greſſus in tua caſtra fero.
Arma prius gelida (ne me contemne) ſub Arcto,
Turbine ſic rigidi Martis agente, tuli.
Nunc quia pax facta eſt, tibi florida ſerviat aetas.
Pace Venus laeta eſt, pacis alumnus Amor.

Sic

* ELEGIARUM LIBER SECUNDUS] Nulla Libri hujus Elegia, excepta ſola ſexta, extat in Editione Pariſina ac Voegeliana, cum quibus hactenus comparavimus librum Elegiarum primum, qui ſolus tantum in Pariſina legitur, ſubſequente Carminum libro. idem fere ſtatuendum de ceteris ſequentium librorum Elegiis, quarum paucae in iisdem Editionibus excuſae ſunt: niſi quod plures in Voegeliana occurrant quam in Pariſina; adeo quidem ut farraginem Carminum & Elegiarum complectatur, quae in quinque quidem libellos a Jacobo Straſburgo diſtributae fuerunt. in ceteras Lipſienſes editiones quas vulgatas nuncupamus, cura Camerarii conjectae ſunt numero plures Elegiae ab auctore poſt primas illas duas editiones conſcriptae. Itaque earum diviſionem & ordinem ſequemur, inſertis ſuo loco Elegiis & Carminibus nonnullis ineditis. Hoc monendum erat, ne quis forte exiſtimet diverſitatem Pariſinae ac Voegelianae editionis in poſterum a nobis neglectam fuiſſe.

ELEG. I. 2. *Et en greſſus in tua caſtra fero*] Ovid. III. Faſt. 174.

Advocor, & greſſus in nova caſtra fero.

6. *Pace Venus laeta eſt* &c] Agnoſcere eſt numeros Ovidianos, quos imitatur. Sic enim ille lib. I. Faſt. 704.

Pax Cererem nutrit: pacis alumna Ceres.

& IV. Faſt. ℣. 407. *Pace Ceres laeta eſt.* quod luculentius his verſibus effert Tibullus lib. I. El. XI. 45.

Interea Pax arva colat. Pax candida primum
Duxit aratores ſub juga curva boves.

Pax

Sic ego: cum tenero ſic alma Cupidine mater,
Militiae princeps tu mihi, dixit, eris.
Non tamen hoc galeam bellum, non poſtulat haſtam,
Cingere ſanguineo nil opus enſe latus.
Pax erit, & roſeis degens in odoribus aevum,
Candida perpetui tempora veris ages.
Hactenus: & viridi cinxit mea tempora myrto,
Et leviter ridens, Haec, ait, arma geres.
Exſolvit promiſſa Venus: feliciter arſi,
Inque meo nullum crimen amore fuit.
Quin etiam voti compos nova carmina feci:
At cito laetitiae nunc mihi finis adeſt.
Et merito: quid enim frangens mea commoda fugi?
Utilius fuerat non habuiſſe pedes.

Nunc

Pax aluit vites, & ſuccos condidit uvae,
Funderet ut nato teſta paterna merum.
Pace bidens, vomerque nitent: at triſtia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus.
cujus loci initium imitatus eſt noſter ſupra lib. I. El. I. ℣. 65.
Pax caſtas ſecura domos, Pax incolat urbes,
Pax olea canas cincta virente comas.
& Paulus Meliſſus in Elegiis pag. 121.
Tum loca Pax vicina, tuam Pax incolat urbem.
nec non Flaminius in Paraphraſi Pſalmi CXXV. in fine:
Utinam quies, & alma Pax agros
Noſtras & urbes incolat.

14. *Et leviter ridens, Haec, ait, arma geres* In animo habuit illud Ovidii lib. I. Am. El. 6. 12.
Riſit, ut audirem, tenera cum matre Cupido;
Et leviter, Fies tu quoque fortis, ait.
quem locum ſic expreſſit Mich. Marullus lib. I. Epigram. pag. 13. in Epitaphio Pholoës:
Riſit Amor claralem habitum mentemque puellae,
Et leviter, noſtra eſt haec quoque miles, ait.
Dan. Heinſius lib. I. Eleg. I.
Sat mihi, ſi fidos non adſpernetur amores,
Et leviter dicat, Tu quoque noſter eris.

15. *Exſolvit promiſſa Venus*] Tibulli eſt lib. IV. El. 7. 5.
Exſolvit promiſſa Venus: mea gaudia narret,
Dicetur ſi quis non habuiſſe ſuam.
vide Broukhuſ. pentameter fere ex Ovidio eſt lib. I. Artis ℣. 34.
Inque meo nullum carmine crimen erit.

20. *Utilius fuerat* &c.] & hoc quoque Ovidio debetur Lib. II. Faſt. 434.
Utilius fuerat non habuiſſe nurus.

Nunc & amor gravius, quia ſigna reliquimus, urit,
Et rapido longas vindicat igne vias.
Pollicitisque fidem jubet addere mater amoris,
Concutit & ſaevas, ne ſit inulta, faces.
Nonne fuit melius dominae ſervire puellae,
Cernere quam tumidi litus utrumque maris?
Quid mihi cum pelago, mea ſi tellure morantur
Gaudia, ſi puppis non vehit una duos?

Cae-

21. *Nunc & amor gravius, quia ſigna reliquimus, urit*] Hac Lotichiana imitatione firmari poſſet apud Ovidium Epiſt. IV. 19. ut in Codd. MſT. haberi teſtatur Heinſius, & Douzae placebat:

Urit amor gravius, quo ſerius, urimur intus.

vulgo *Venit amor.* quod tamen defendi poteſt ex illis, quae Patruus meus notavit ad eamdem Epiſt. ℣. 26.

Quae venit exacto tempore, pejus amat.

ita ſenum amorem turpem, & graviorem ſaepe venire, indicat Propert. lib. I. El. 7. v. ult.

Saepe venit magno foenore tardus amor.

illuſtrabunt haec Broukhuſii notae ad Tibull. I. I. 85. & copioſe Benedict. Curtius ad Arreſta Amor. p. 328. & ſeqq. quae mihi in memoriam revocant alium Tibulli locum Lib. I. El. 5. 47.

Vidi ego qui juvenem ſeros deſiſſet amores,
Poſt Veneris vinclis ſubdere colla ſenem.

ita Scaligerum ſecutus edidit Broukhuſius, conſtructione valde contorta *Vidi juvenem qui deſiſſet ſeros amores.* deſumta autem haec eſſe ex Euripide notavit Andr. Schottus lib. II. Obſerv. cap. 13. Sed corrigendum videtur,

Vidi ego, qui juvenum miſeros riſiſſet amores,
Poſt Veneris vinclis ſubdere colla ſenem.

Nimirum haec dicta ſunt eadem oppoſitionis elegantia, qua in illo Ovidii loco lib. V. Triſt. El. 8. 11. tot conjecturis vexato, ex quibus maxime arridet illa Heinſiana.

Vidi ego, naviſragum qui riſerat, aequore mergi.

Emendationi noſtrae in Tibullo favet auctor Elegiae illius, Aſinium Gallum ementitae, cujus initium *Non fuit Arſacidum* &c. ubi circa finem ℣. 97.

Si quis amore vacans irriſerit, imprecor illi;
Ardeat, & quid ſit, diſcat, amare, ſenex.

haec autem eleganter poëta noſter hic in ſuos uſus vertit, quia Cupidinis ſigna reliquerat, in quibus, antequam Martis caſtra ſequeretur, quam fidelem ſe geſſerit, infra pluribus deſcribit Eleg. III. Simile illud Tibulli de Macro, Cupidinis & Martis pullo, Lib. II. El. 6. 5.

Ure puer, quaeſo, tua qui ferus otia liquit,
Atque iterum erronem ſub tua ſigna voca.

vel *ſub ſua ſigna* ut Broukh. Hero ad Leandrum apud Ovid. Ep. XIX. 157.

In tua caſtra redi, ſocii deſertor amoris.

& de eodem Macro lib. II. Amor. El. 18. 40.

—— non bella libentius iſtis
Dicis: & a veſtris in mea caſtra redis.

Caerula mutandis haud mercibus aequora ſulco,
  Terra ſatis magnas culta miniſtrat opes.
Nec Zephyros nautis opto, ſed amantibus aptos:
  Quid mihi cum pelago, ſi meus ignis abeſt?
Parce tuo vati (nam ſum tuus) alma Dione:
  Scis Dea, ſcis votis crimen abeſſe meis.
Sancte puer, puerique parens, avertite curas,
  Digna parens puero, digne parente puer.
Vos quoque Nereides, veteres extinguite flammas,
  Si qua viret toto, quae juvet, herba mari.
Pro quibus occultos vobis ego matris aquoſae
  Tethyos amplexus, Oceanique canam.
Vosque fatigatos coeleſti gramine dicam
  Axe ſub Heſperio paſcere Solis equos.
Vana precor, ſurdum votis obmurmurat aequor.
  Hei mihi, tranquillum, quod peto, litus ubi eſt?
Torqueor, & cunctas violentius uror in horas,
  Arida ceu calidis uritur alga focis.

29. *Caerula mutandis*] Ovidius Triſt. I. 2. 75.
Non ego divitias avidus ſine ſine parandi
Latum mutandis mercibus aequor aro.
HOOGSTR.

43. *Vana precor, ſurdum votis obmurmurat aequor*] Leander apud Ovid. Ep. XVIII. ℣. 47.
Vana peto, precibusque meis obmurmurat ipſe.
ubi praeferrem ex Codd. repetitionem Ovidianam *Vana precor, precibusque*, niſi proxime praeceſſiſſet *Parce, precor.*

45. *Cunctas violentius uror in horas, Arida ceu calidis uritur alga focis*] Ejusmodi comparationes in Ovidio frequentes. Dido Epiſt. VII. 23.
Uror ut inducto ceratae ſulfure taedae,
Ut pia fumoſis addita tura focis.
quem Ovidii locum ita expreſſit Jacobus Wallius Elegiarum Appendice pag. 257.
Quos tibi tum credam libanti talia motus
Gliſcere? quos ignes pectoris eſſe tui?
Ureris, ut rutilae tua circum altaria taedae,
Ut ſacris a te tura cremata focis.

Felix ante alios, patriae decus, optime Stoi,
O caput aerumnis ſaepe fidele meis!
Tu modo praeſentes morbis, quibus uteris, herbas
Colligis, & ſuccos conficis inde ſuos.
Et modo paſtorum viridi conviva ſub umbra,
Concinis argutis carmen agreſte modis.
Interea gelidis in vallibus aura ſuſurrat,
Lenit & ardores ſpiritus ille tuos.
Felix, qui molles trahis abditus arbore ſomnos,
Quos leve conciliat murmur euntis aquae.
Me Venus incertis agit imperioſa procellis,
Ut rapit inſtabiles aeſtus in alta rates.
Hinc eſt, quod dulcis nec carpo dona juventae,
Ex humili nec me carmine Muſa levat.
Quin prius in numeros faciles quae ſponte fluebant,
Vix coëunt juſtis verba coacta modis.

Non

iterum Ovidius Lib. III. Met. ✝. 373.
Quoque magis ſequitur, flamma propiore caleſcit,
Non aliter; quam cum ſummis circumlita taedis
Admotam rapiunt vivacia ſulſura flammam.
Sappho apud eumdem Epiſt. XV. 9.
Uror, ut indomitis ignem exercentibus Euris
Fertilis accenſis meſſibus ardet ager.
Arva Phaon celebrat diverſa Typhoïdos Aetnae,
Me calor Aetnaeo non minor igne coquit.
ubi vides amoris ardorem Aetnaeis ignibus etiam comparari. quod valde frequens apud Poëtas. vide iſtic Heinſii notas. Seneca Herc. Oet. 285.
— quis ignis tantus
In coelum furit ardentis Aetnae.
eleganter Janus Secundus noſter lib. I. Eleg. 3.
Eheu quam mea me caeca face Julia torret!
Non ſic aſſiduis ignibus Aetna calet.
Nec tanto venas conſumitur aridus aeſtu
Mole ſub Aetnaea conditus Enceladus.
acute Sannazarius lib. I. Epigr. 64.
Aſpice quam variis diſtringar, Vesbia, curis,
Uror, & heu noſtro manat ab igne liquor.
Sum Nilus, ſumque Aetna ſimul: reſtringite flammam
O lacrimae, lacrimas ebibe flamma meas.

Non tamen indignor, merui quoque forte, sed angi
  Non merui tantis, nec sine fine malis.
Non ego te, mea lux, deceptam fraude reliqui,
  Non spolium rapto turpe pudore tuli.
Dii mihi sunt testes: si mentior, aequore vasto
  Obruar, & mutis piscibus esca natem.
O saltem pietas haec prosit, & ultima passum
  Deferat in portus me Cytherea suos.

ELEGIA II.

AD

DAVIDEM CHYTRAEUM.

Quae legis, ille tuus vates, Chytraee, Secundus
  Tristibus hinc elegis verba ferenda dedi;
Pinguia qua Ligeris secat arva rapacibus undis,
  Per cava spumosis saxa volutus aquis.
Ecquod erit tempus, vestris quo redditus oris
  Otia securae plena quietis agam?
Quando erit, ut veterum liceat meminisse laborum,
  Arbitrioque dies continuare meo?

67. *Si mentior*] Infra hujus libr. El. IV.
Si mentior, ultima numquam,
Quae patior, tantis hora sit ulla malis.
Utrumque ex Ovidio adumbratum lib. IV. Fastor. 227.
Ille fidem jussis dedit; & ,si mentior, inquit,
Ultima, quam fallam, sit Venus illa mihi.
HOOGSTR.
& Lib. IX. Met. 373.
— si mentior, arida perdam,
Quas habeo, frondes: & caesa securibus urar,

Haec ego, cum reditus agitarem mente, fovebam
  Gaudia, fucceffus non habitura fuos.
Nam fubito, noftris iterum contraria votis,
  Horrida Maenalio bella fub axe tument.
Utque ferunt, armis late vaftatur & igni,
  Paene mihi patrio gratior ora folo.
Non patria eft tantum, primos quae praebuit ortus,
  Sed quocumque loco vivere dulce fuit.
O ego quam vellem, ne quis mihi nuncius effet,
  Extremas ultra Solis abire vias!
Degere vel Libycas ubi diffipat Aufter arenas,
  Quo non ulla meum fama fequatur iter.

Hoc

ELEG. II. 15. *Non patria eft tantum, primos quae praebuit ortus, Sed quocumque loco vivere dulce fuit.*] Exprimit veterum illud dictum, quod ex perfona Teucri è Tragoedia quadam deperdita profert Cic. v. Tufc. cap. 37.

— *patria eft, ubicumque eft bene.*

Id quod poëtam Latinum e Graeco defumfiffe recte arbitratur Celeb. Hemfterhufius ad Ariftoph. Plut. ỳ. 1152. ubi eadem fententia:

Πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ', ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ.

locus ille Ovidii, quem ibidem adfert ex lib. I. Faft. 493. *Omne folum forti patria eft*, defumtus eft ex illo Euripidis a Davifio ad Cic. prolato:

Ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς.

fimilia vide apud Erasmum in Adag. pag. m. 104. & Schottum ad Zenob. Cent. V. Adag. 74.

17. *O ego quam vellem, ne quis mihi, nuntius effet, Extremas ultra Solis abire vias &c.*] Similis prorfus locus de patriae fuae cladibus eft apud Flaminium lib. v. Carm. 47.

— *cur igitur colam paternos*
Lares? num ut videam meis ocellis
Vias fanguine civium meorum
Manantes, & ubique tecta faevo
Igne ardentia? quin meas ad aures
Nefanda haec fcelera impiaeque caedes
Quando perveniunt, abire ad Indos
Et ultra Oceanum opto, quo nec ipfum
Nomen dulce mihi, fimulque amatum
Corneli penetret Fori, nec ulla
Ruentis patriae venire poffit
Fama.

Deinde exclamatio illa *O ego*, non tantum Tibullianae notae eft, ut videbis ex Broukhufio ad lib. II. El. 3. 5. fed & Ovidio frequenti in ufu. Lege Heinfii notas ad Epift. VI. 15. & Patrui mei ad lib. II. Met. 520.

Hoc tamen eſt levius, quam damna videre ſuorum,
 Leniter ad ſenſus auribus hauſta fluunt.
Lumina conſcelerent alii, qui ſanguine gaudent.
 Durities non eſt pectoris illa mei.
* * * * * * *
 * * * * * * *
Scimus ad aërias ut tu ſuperaveris Alpes,
 Multa forent oculis ne patienda tuis.
Utque procelloſis toties pater Adria ventis
 Viderit, incertum pene ſalutis, agi.
Quid loquar, ut veteres Arni percurreris urbes,
 Quasque rigat Tibris, quas Anienus, aquae?
Nunc tibi parta quies, geminasque reverſus ad Arctos,
 Ingenii profers munera larga tui.
Nam tibi naſcenti raras in pectore dotes
 Contulit, & linguam Phoebus utramque dedit.
Oraque ſi culto ſermone diſerta reſolvis,
 Crediderim Muſas hoc ego more loqui.

27. *Scimus ad aërias ut tu ſuperaveris Alpes* & ſeqq.] Deſcribit hic Chytraei iter in Italiam, quod an. 1549. comite Andrea Martino ſuſcepit, antequam Academiae Roſtochienſis profeſſionem auſpicaretur juvenis vix undevigeſimum aetatis annum praetergreſſus, ut narrant Chriſtoph. Sturtzius in Oratione memoriae Chytraei habita pag. 16. & ſeq. & F. O. Schultzius lib. 1. de vita D. Chytraei §. 15. qui ſi locum hunc Lotichii adhibuiſſet, cum ea ſcriberet, paullo adcuratius urbes Italiae, quas in itinere hoc luſtravit Chytraeus, & de quibus biographos ſilere monet, recenſere potuiſſet: nam praeter Romam etiam Venetias, Florentiam, aliasque urbes ad fluvios illos, quos hic memorat, ſitas inviſiſſe Chytraeum ex hac Elegia colligitur, quam in Galliis agens ſcripſit Lotichius, ut ex initio patet, & quidem an. 1551. paullo poſtquam docere literas in Academia Roſtochienſi incepit Chytraeus, ut manifeſtum fit ex ℣. 33. *Nunc tibi parta quies, geminasque reverſus ad Arctos* &c.

O utinam poſſes ſolatia ferre ſodali!
Non adeo durum, quo premor, eſſet onus.
Jam neque me veterum mulcent praecepta virorum,
Ulla nec in libris eſt medicina meis.
Saepe ſuburbanis (ut nunc quoque) lentus in hortis
Ambulo, cantantes qua Liger audit aves.
Ponere nec ſpatiis varias aequalibus herbas,
Nec riguae ſulcum ducere taedet aquae.
Saepe fatigato, ſub onuſta vitibus ulmo,
Diluit arenti Bacchus ab ore ſitim.
Paucaque ſubjiciunt illic mihi carmina Muſae,
Tempora dum leni ſunt madefacta mero.
His miſer atque aliis tento lenire dolorem,
Ille ſed in mediis neſcit abeſſe roſis.
Tunc piget, ac mallem nullos tetigiſſe libellos,
Cum ſubit in ſtudiis nil opis eſſe meis.
Me miſerum, quod non alio mihi tempore naſci
Contigit, aut vita non breviore frui!
Nam mihi quid coeli jucundum cernere lumen
Prodeſt, ſi gravior proxima quaeque dies?
Pax ades o, longumque mane, Pax optima rerum
Huc ades, & populos alma reviſe tuos.

Tunc

53. *Tunc piget*] Haeret Ovidio Remed. Amoris 415. *Dum piget, & nullam malis tetigiſſe puellam.* Hoogstr.

Tunc deducta novis mihi carmina ſontibus ibunt,
Forſan & a nullo vate ſecundus ero.
Non ego deletas acies, non aſpera dicam
Praelia, nec clauſas conquerar ante fores.
Sed cithara te, ſancte pater, qui bella coërces,
Te labente die, te veniente canam.
Quaeque diu mecum tenero ſervivit amori,
Serviet hinc ſoli Muſa pudica Deo.
Sic juvat, & fas eſt, vitae quodcumque ſequetur
Ducere: clam tacito mors venit atra pede.

ELE-

66. *Te labente*] Virg. Georg. lib. IV. 466.
Te veniente die, te decedente canebat.
Broukhuſ. lib. IV. El. 6.
Te naſcente die, te moriente cano.

68. *Serviet hinc ſoli Muſa pudica Deo*] Simillimus locus apud Joh. Bocerum in Prooemio Sacrorum Carminum:
Si mihi quid reſtat, ſi quid mihi forſitan aevi,
Simpliciter trino ſerviet omne Deo.
Rite mori diſcam, ſic & mea tempora ducam,
Ne grave ſit quovis claudere fata die.
Adhaerent autem haec illis Ovidii lib. IV. ex Pont. Ep. 8.
Si quid adhuc igitur vivi, Germanice, noſtro
Reſtat in ingenio, ſerviet omne tibi.
quo loco recte Broukhuſius codicum nonnullorum ſcripturam firmat apud Propertium lib. IV. El. 1. 60.
Sed tamen exiguo quodcumque è pectore rivi
Fluxerit, hoc patriae ſerviet omne meae.
quod ſua imitatione probaſſe etiam videtur Lotichius. eodem modo noſter ſupra lib. I. El. VII. 72.
Idcirco, lux alma, tuo dum munere vivam,
Ingenium ſoli ſerviet omne tibi.
ejusdem coloris ſunt illa Baſilii Zanchii lib. III. Poëm. pag. 73.
Da Pater ut quodcumque meae ſuperat mihi vitae,
Te colat, & laudi ſerviat omne tuae.
pari ſenſu Broukhuſius lib. II. El. I. circa finem:
Quod ſupereſt, totum dabitur tibi. Tu mea merces,
Tu dos, tu requies, tu labor unus eris.
Te fidibus celebrare novis, tibi dicere laudes,
Mens ardet, radio numinis icta tui.

69. *Sic juvat, & fas eſt* &c.] Levem vulgatarum Edd. errorem correxi, ſenſu ita poſtulante, in quibus legebatur *Si juvat.* alia in re apud Tibull. lib. IV. El. 7. 9. *Sic peccaſſe juvat.* ut recte Heinſius, pro *Sed.* probante Broukhuſio. Similiter apud Sannazarium lib. I. Epigr. 60.
Certatimque leves potanti inducite ſomnos,
Sic juvat aetatis ducere fila meae.
P. Francius lib. II. El. 6. p. 179.
Haec vitae mihi norma placet. Sic frangere ſoles,
Juverit &c.

70. *Clam tacito mors venit atra pede*] iterum ex Tibullo lib. I. El. XI. ✻. 34.
Quis furor eſt atram bellis arceſſere mortem,
Imminet, & tacito clam venit illa pede.
quod ita exprimit lib. I. El. I. 85.
Interea dum fata ſinunt, jungamus amores,
Jam veniet tenebris Mors adoperta caput.
quem Tibulli locum feliciter imitatus eſt Janus Secundus lib. I. El. 5.
Tali vernantem ſatiemus amore juventam,
Mors venit aeterna cincta caput nebula.
& in Elegia Solemn. I. p. 22.
Canaque ſubrepet taciturnis paſſibus aetas,
Morsque tenebroſa nube revincta caput.

ELEGIA III.
AD
JOANNEM HAGIUM.

Quaeris, longa meos numquid via temperet ignes,
Aut quid adhuc saevi miles amoris agam.
Absentemque refers consumi tabe puellam,
Multaque Fortunae de levitate queri.
Protinus ut legi, calefacta per ossa cucurrit,
Sparsit & adtonitas flamma rubore genas.
Sunt etiam lacrimae (nam vera fatebor) obortae.
Admonitu Dominae cor mihi molle fuit.
Non quisquam meliore fide (tu testis) amavit,
Cum nova me Veneris misit in arma puer.
Tunc ego regnabam, nec me felicior alter,
Gessit militiae signa, Cupido, tuae.
Tunc primum dulcis praeconia noscere famae,
Et coepi teneris velle placere modis.
Nulla mihi vasti restare pericula ponti
Fingebam, nullas jam superesse vias.
Jucundaeque genus meditabar amabile vitae,
Et facilem Dominam, conjugiumque bonum.

Sic

Eleg. III. 11. *Tunc ego regnabam* &c.] pariter infra Lib. iv. El. 3. ℣. 11.
Florida cum teneris serviret amoribus aetas,
Esset & in pretio nostra juventa suo;
Tunc ego regnabam, gelidam nec ad usque Pyrenen
Cultor Apollineae notior alter erat.
Idque elegantiae Ovidianae est, lib. 1. Fast. ℣. 247.
Tunc ego regnabam, patiens cum terra Deorum
Esset, & humanis numina mixta locis.

Sic fallax praelusit Amor, nox omnia vertit,
Longaque post actum ver breve coepit hiems.
Nam pudor a tumidae cum cederet ore puellae,
Nec caperet fastus facta superba suos:
Inmemor ipse mei, quo spes minor, acrius arsi,
Spumeus in brevibus ceu furit aestus aquis.
Quis mihi non illo solatia tempore dixit?
Quis grave sub brumam non miseratus iter?
Cum tu praecipue de mille sodalibus, Hagi,
Fletibus aerumnas prosequerere meas.
Praeda recens (memini) licet ipse Cupidinis esses,
Et similis toto pallor in ore foret;
Vulnera lenibas tamen infelicis amici;
Et mihi dicebas: I modo, sanus eris.
Quid tamen hibernis pulsas Aquilonibus Alpes
Profuit, & rupes scandere, Jura, tuas?

N Me

18. *Et facilem dominam, conjugiumque bonum*] contraria inversione imitatur illud Tibullianum lib. III. Eleg. 4. 74.

Nescis quid sit Amor, juvenis, si ferre recusas
Inmitem dominam, conjugiumque ferum.

ut olim edebatur, & secutus est noster. Sed praeclare illic Broukhusius restituit, *Inmitem dominum*, ut ad ipsum Amorem referatur, neque bis idem dicat.

19. *Sic fallax praelusit Amor*] *prolusit* rectius, ut in veteribus scriptoribus ex fide optimorum codicum nunc praeferunt viri docti. apud Ovid. III. A. A. ✝. 515.

Sic ubi prolusit rudibus puer ille relictis,
Spicula de pharetra promit acuta sua.

ubi in antiquis editionibus *praelusit*. quod probasse hic videtur Lotichius, qui ad locum illum sine dubio respexit: sed ex scriptis melioribus *prolusit* restituit Heinsius. vide plura apud Gronov. ad Senecae Herc. F. ✝. ✝. 222. & in notis Patrui mei ad Rutil. I. Itin. 257. & ad Virg. XII. Aen. 106.

33. *Quid tamen hibernis pulsas Aquilonibus Alpes Profuit* &c.] Sensus hujus loci non ita mihi apertus videtur, quamquam *Alpes hibernis Aquilonibus pulsas* pro concussas, quassatas, exponi posse non negem. Sed suspicio mihi aliquando enata fuit, in vulgatis editionibus subrepsisse ab editoribus vitium, & pro *pulsas* ipsum Lotichium forte dedisse *pulsasse*, id est Alpes calcasse medio hiemis tempore, ut supra innuit ✝. 26.

Me Rhodanus velox, me clementiſſimus amnis
Coeruleo laſſum gurgite vexit Arar.
Vidi, ſpumiferis ubi Sequana fontibus exit,
Vidi, qua tumidas in freta volvit aquas.
Non tamen eſt defeſſus amor, nec inhoſpita curat
Saxa, nec irati murmura ſaeva maris.
Quid querar infelix? Tua molliter oſſa quieſcant,
Alte, ſub Hetruſcis nuper humate jugis.
Tu mihi per caſus omnes, dum fata ſinebant,
E coelo miſſus dulce levamen eras.
Ergo ego te numquam miſeris deflere querelis
Ceſſabo, donec me premat atra dies.
Nunc ſine te, poſtquam jucundum lumen ademtum eſt,
Ut vaga nimboſo turbine pinus, agor.

Ante

26. *Quis grave ſub brumam non miſeratus iter?* ita *mediis Aquilonibus*, pro media hieme, apud Janum Secundum loco non diſſimili lib. III. El. 14.

Quo fugis ab demens mediis Aquilonibus anni,
Omnis cum glacie mortua torpet aqua.
Flumina non metuis nivibus creſcentia? quaeque
Sparſa Pyrenaeis nix jacet alta jugis.

pulſare autem Alpes, pro calcare, ſeu laborioſo itinere per Alpes iter exantlare, quo ſenſu *pulſas Alpes* in vexato Petronii loco poſt varia conjecturarum tentamina explicat Patruus meus, cap. 122. ℣. 143.

Alpibus aëriis, ubi Grajo numine pulſae
Deſcendunt rupes & ſe patiuntur adiri.

de monte *Jura* vide infra ad lib. III. El. 1. ℣. 25.

37. *Vidi, ſpumiferis ubi Sequana fontibus xit Vidi, qua tumidas* & ſeqq.] Confer Dav. Sigismundi Itin. Germ. & Sarm. p. 582.

Vidi Paeoniis ubi Viſtula montibus exit,
Viſtula par fluvio, maxime Rhene, tuo.

quae manifeſte ex hoc loco expreſſa ſunt. Sequana autem hic *exire* dicitur de *fontibus ſpumiferis*, ut in illo Ovidii XI. Met. ℣. 140.

— donec venias ad fluminis ortus
Spumiferoque tuum fonti, qua plurimus exit,
Subde caput.

Sic & alia flumina paſſim de fontibus exire dicuntur. Ovid. Rem. Am. 97.

Flumina pauca vides magnis de fontibus orta,
Plurima collectis multiplicantur aquis.

quae illuſtrant notata Patruo meo ad Lucan. II. 403.

42. *Alte, ſub Hetruſcis* &c.] vid. ſupra ad lib. I. El. 3. init. & infra El. 5. 67.

44. *E coelo miſſus*] vide notas ad illud Tibulli lib. I. El. 3. ℣. 90.

Sed videar coelo miſſus adeſſe tibi.

Ante meos oculos, quaecumque reliquimus, haerent,
  Et quaecumque animo grata fuere meo.
Sic mea Lux patrios primum me duxit in hortos.
  Sic lacrimans flammas est mihi fassa suas.
Sic gemuit, sic culta fuit, sic oscula junxit,
  In viridi mecum sic requievit humo.
Talibus atque aliis, qui paene resederat ignis,
  Crescit, & admonitu robora sumit Amor.
Sed tamen aut fallor, positis aut tempore curis,
  Quod mihi promisit vox tua, sanus ero.
Vivat, & abrupti caussam sciat illa caloris:
  Non revocant lapsos irrita vota dies.

53. *Sic gemuit, sic culta fuit* &c.] Omnia Ovidiani fili. Sic ille Fastor. II. 771.

Sic sedit: sic culta fuit: sic stamina nevit:
Neglectae collo sic jacuere comae. HOGGST.

56. *Crescit, & admonitu robora sumit Amor*] Ovid. Remed. Am. 729.

Admonitu refricatur Amor, vulnusque novatum
Scinditur. Sic praetulit Heinsius. in aliis *renovatur*, vel *revocatur*. *recreatur* etiam in codice perantiquo, cujus excerpta apud me sunt: versu praecedenti corrigendum est,

— *qui paene residerat ignis.*

nam secutus fuit antiquas Ovidii editiones lib. VII. Met. 76. quem locum forte hic ante oculos habuit,

Et jam fortis erat, pulsusque residerat ignis.
Cum videt Aesoniden, extinctaque flamma revixit.

ubi olim etiam *residerat* edebatur. Sic Epist. XVII. Heroid. ℣. 190.

Dum novus est, potius coepto pugnemus amori,
Flamma recens parva sparsa residit aqua.

ut recte Heinsius, pro *residet*. quem vide. licet alterum defendat Cel. Oudendorp. ad Lucan. lib. IX. 75.

60. *Non revocant lapsos irrita vota dies*] id elegantius & poëticum magis verbum quam *renovant*, licet haec saepe inter se confusa sint in veterum locis. Ovid. VII. Met. 177.

— *soceri longum tentabimus aevum*
Non annis revocare tuis.

quod recte praetulit Heinsius pro *renovare*. & ℣. 216.

— *per quos revocata senectus*
In florem redeat. ubi in aliis etiam *renovata*. apud Propertium tamen lib. IV. El. 7. 51. *fatorum nulli revocabile stamen* recte viri docti mutarunt in *revolubile*. vide illic Broukhus. & N. Heins. ad Ovid. II. Met. 654.

Jam nihil eſt totum quod amavimus, omnia mecum,
Dî quoniam magni ſic voluere, tuli.
Quod ſupereſt, teneros felicius exigat annos,
Vivat, & ardoris ſit modus illa mei.
At tibi, qui mecum longo conjungeris uſu,
Dulcia conjugii vincula nectat Hymen.
Quaeque juventutis ſunt praemia puriter actae,
Ante tuos videas pignora certa pedes.
Me doctis animum juvat emendare libellis,
Candidior forſan proximus annus erit.

ELE-

64. *Vivat, & ardoris* &c.] hinc mutuatus Joh. Petr. Lotichius Poëm. pag. 12.

Quodque facit (quamvis ultra mihi velle negetur)
Vivat, & ardoris ſit comes illa mei.

67. *Quaeque juventutis ſunt praemia puriter actae*] ſimilis locus apud Janum Secundum lib. I. od. 5. 10.

Viſurus tamen interim
Natos, legitimae praemia Cypridis,
Natos, certa levamina
Curarum, & ſocii pignora lectuli.

69. *Me doctis animum juvat emendare libellis*] Sic ſupra Lib. I. El. 2. 21.

Me juvat in ſtudiis conſumere dulcibus aevum,
Signaque Muſarum proſperiora ſequi.

vide Hagii vitam Lotichii pag. 124. ubi de poëtae noſtri ardore, quo in ſtudia ferebatur, agit. Ceterum ut priore loco Muſarum culturam, ita hic ſpeciatim innuit Lotichius amorem, quo ad ſapientiae ſtudia ducebatur, animi emendandi cauſſa; & reſpexit illud Propertii Lib. III. El. XX. 25.

Illic vel ſtudiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis.

utraque conjunxit Sannazarius lib. II. Eleg. 7. 9.

Nec tamen aut ſtudiis animum intendiſſe ſeveris,
Aut prodeſt ſanctas excoluiſſe Deas.

qui ſi locum illum Propertii in animo habuerit, ejus imitatione vindicari poteſt lectio vulgata a Broukhuſii conjectura *ſtudiis*. licet erudite eam adſtruere nitatur; qui praeterea *doctum* Epicurum dici admittere noluit, ac proinde correxit, *dux Epicure*, quamquam pro vulgata adduci poſſit notum Petronii Epigramma:

Ipſe pater veri doctis Epicurus in hortis
Juſſit, & hanc vitam dixit habere Deos.

quae ſecutus eſt Menagius Eleg. VII. in obitum Gaſſendi pag. 55. Poëmat:

Quaeque pater veri cultis Gargettius hortis
Diſcipulos docuit dogmata blanda ſuos.

Sed apertius Propertianum hunc locum imitatus eſt Virginius Caeſarinus in Elegia ad Joh. Ciampolum, p. 500. inter Illuſtr. Virorum Poëmata:

Saepe animum docti ceperunt ſcripta Platonis,
Cujus Mopſopio pagina melle fluit.
Et modo ſcrutabar Samii dictata ſilentis,
Nunc florem ex hortis legi, Epicure, tuis.

Elegia IV.

AD JOACHIMUM CAMERARIUM PAPEBERGENSEM.

De Obsidione Urbis Magdeburgensis.

SI vacat arcanis aures praebere querelis,
Nec data per laevas omina spernis aves:
Accipe, quae primis, Joachime, cadentibus astris,
Accipe, quae vidi, cum foret orta dies.

Eleg. IV. *De Obsidione Urbis Magdeburgensis*] Haec est memorabilis illa Elegia, quae complectitur Lotichii celebratum adeo Vaticinium de Obsidione Urbis Magdeburgi an. 1631. a Caesarianis miserum in modum direptae & incensae sub Ferdinando II. ducibus Comite Pappenheimio & Thillyo; cujus rei historiam omnem operose descripsit Joh. Petr. Lotichius, toto libro XXXVII. Rer. Germanicarum: ubi in cap. VI. hanc ipsam Patrui sui Elegiam exhibet, & in cap. seq. aliam a se scriptam super eodem argumento subjungit, sed cum hac Secundi nostri minime conparandam. Quia vero integro fere seculo ante fatalem istam obsidionem scripsit hanc Elegiam poëta, & quasi in somnio ejus excidium depinxit, hinc vaticinium hoc a plurimis inter testimonia adfertur de Poëtis, qui futura praedixerint spiritu scilicet & Enthusiasmo poëtico agitati. Vide Morhof. lib. I. Polyh. cap. 19. §. 41. J. P. Lotichium in vita Lotichii Secundi in fine, & in Promulsf. Critic. cap. XIII. Th. Crusium in notis ad Albini vitam Sabin. pag. 50. & Menkenium in Biblioth. Viror. Milit. & script. illustr. p. 275. aliosque innumeros. Idiomate Germanico reddidit hoc carmen Matthaeus Lungwitius, & Martinus Opitius, cujus interpretatio a nobis edita est lib. III. Adoptivorum. Nonnulla etiam, quae in hac Elegia occurrunt obscuriora, exponit Georg. Zyrlinus in Judicio de hoc Lotichii vaticinio, quod ibidem edidimus pag. 291. Sed dedita opera hac de re egit Sebast. Kortholtus in Disquisitione, an Lotichius praedixerit Obsidionem Magdeburgensem, quae prodiit Kiliae an. 1703. in 4°. & in Dissertatione de Enthusiasmo Poëtico §. LXV. pag. 90. in quibus opusculis verum hoc fuisse vaticinium Lotichii multis argumentis, etiam ex variis Elegiae hujus locis desumtis, probare conatur. Utramque dissertationem, quia parum obviae sunt, in hujus editionis finem conjicere operae pretium duxi. Diligentissime vero omnia argumenta de hoc somnio, & an verum id vaticinium dici possit, ante Kortholtum excusserat Baylius in Lex. Crit. & Hist. in *Loticbius* pag. 163 & 164. qui recte refutat Morhofium existimantem a Lotichio somnium hoc visum fuisse, cum in castris Ligae Smalcaldicae adhuc militaret, ante pugnam Mulbergensem, quae incidit in annum 1547. Ipse vero Baylius conjicit potius Lotichio id som-

Nox erat, & placidos ſpargebant ſidera ſomnos,
Quos levis aeria devehit aura via.
Plauſtraque Moenaliae dum cuſtos flecteret Urſae,
Somnia ſunt curas haec imitata meas.

Flumen

ſomnium adparuiſſe, & inchoatam fuiſſe hanc Elegiam ipſo tempore obſidionis illius Magdeburgenſis, quae auſpiciis Caeſaris facta fuit a Mauritio Electore Saxoniae an. 1550. vel 1551. quam narrat Sleidanus lib. XXII. Commentar. p. 689 & ſeqq. Putat autem Lotichium metu juſto agitatum, urbem a Mauritio crudeliter direptum ac deſolatum iri, quaſi in ſomnio poëtico tunc repraeſentaſſe totam urbis everſionem quam praeſagiebat: Ea vero poſtea non vi expugnata, ſed ſub certis conditionibus dedita, verſus ſuos lare privato ſervaſſe poëtam, ſed poſt ejus mortem editos atque ab aliis relatos eſſe ad obſidionem & cruentam illam haloſin Magdeburgenſem, quae ſeculo fere poſt an. 1631. contigit. Sed cum anno 1551. Lotichius primam carminum ſuorum editionem Pariſiis in lucem dederit, in qua tamen haec Elegia non comparet, Kortholti judicium, quod addit, videtur admittendum, aliquo demum tempore poſt annum 1551. ab auctore elaboratam eſſe; non tamen eo uti velim argumento, quaſi eo tempore nondum ſatis maturum aut excultum fuerit Lotichii ingenium poëticum, ut pulcherrimis his verſibus faciendis tunc par fuiſſet, cum in Pariſina haud paucae jam exſtent Elegiae, quae huic certe, ſi quid video, non poſtponendae ſint. Itaque nos in medio haec relinquimus, neque in alterius ſomnio explicando ſomniare ipſi volumus. Fuerit certe inter ſomnia illa poëtica, quorum monita eventus poſtea ſaepe vera probavit, qualia exempla adfert, hujus ipſius Elegiae Lotichianae non oblitus, Broukhuſius in notis ad Tibull. lib. III. El. 4. ℣. 7. Denique colores nonnullos poëticos peritus lector in hoc carmine obſervabit ex Ovidii Elegia v. Lib. III. Amorum.

℣. 1. *Si vacat arcanis aures praebere querelis*] Expreſſit P. Melliſſus in Elegiis p. 117.

Si vacat, & intentas aures adverte querelis.

4. *Accipe quae vidi, cum foret orta dies*] id ex opinione veterum eſt, qui credebant ſomnia illa veriora eſſe, quae videbantur ſub primo diluculo. Ovid. Epiſt. XIX. 195.

Namque ſub Aurora, jam dormitante lucerna,
Somnia quo cerni tempore vera ſolent.

ubi vide Ciofan. ſimiliter de ſomnio ſuo Tibullus Lib. III. El. 4. 17. ſeqq.

Jam Nox aetherium nigris emenſa quadrigis
Mundum, coeruleas laverat amne rotas.
Nec me ſopierat menti Deus utilis aegrae
Somnus, ſollicitas deficit ante domos.
Tandem quum ſummo Phoebus proſpexit ab ortu
Preſſit languentis lumina ſera quies.
Hic juvenis caſta redimitus tempora lauru
Eſt viſus noſtra ponere ſede pedem.

hinc recte ibidem in initio Elegiae *extrema nocte* vindicavit Broukhuſius pro *heſterna*, quod in aliis:

Di meliora ferant, nec ſint inſomnia vera,
Quae tulit extrema peſſima nocte quies.

eo reſpexit etiam noſter infra ℣. 74 & 82. & Baſilius Zanchius lib. III. Poëm. pag. 83.

Et jam purpureo paullatim Lucifer ortu
Praevius Aurorae coeperat ire ſuae.
Quum Deus, adflictis requiem qui mentibus adfert,
Adfuit, utque reor, ſomnia vera tulit.

plura Cel. Drakenb. ad Silium Ital. lib. III. ℣. 200. & nonnulla de matutinis ſomniis ex Q. Calabro & Theocrito notavit Brodaeus ad Antholog. Gr. Epigr. lib. III. p. 378. 379.

Flumen erat, dubito fuerit num Rhenus, an Ister,
Spumifer aut Albis, sed reor Albis erat.
Stabat arenoso vetus urbs in margine ripae,
Omne cruentato milite cincta latus.
Castraque spectabat virgo de moenibus altis.
Fallor, an in laeva serta fuere manu?
Flebat, & invitis miscebat fletibus iram,
Turrigero longas vertice scissa comas.
Ergo fremens, quis me manet exitus, inquit, an ultra
Sors mea quo tandem progrediatur, habet?
En, ego quam sovi tot secula fortiter urbem,
Nobile cui de me nomen habere dedi;
Efferus ex imis evertere sedibus hostis
Nititur, & veniae jus superesse negat.
Hic pietatis honos? ea libertatis amatae
Gratia? quid fieret, si scelus ausa forem?
Prosit, & excuset, quod sum mihi conscia recti,
Et caput in patriae nulla quod arma tuli:

Sed

9. *Dubito fuerit num Rhenus, an Ister &c.*] Similis coloris sunt illa Ovidii Rem. Am. 555.
Is mibi sic dixit: dubito, verusne Cupido
An somnus fuerit; sed puto somnus erat.

22. *Veniae jus superesse negat*] Deprehendere hic licet imitationem Albinovani Eleg. ad Liv. ℣. 271.
At tibi jus veniae superest, Germania, nullum,
Postmodo tu poenas, barbare, morte dabis.
& sequens forte versus eumdem sapit Albinovanum ℣. 133.
Hic pietatis bonos? artus amplector inanes.

25. *Prosit & excuset &c.*] a veteribus mutuatur usum elegantem formulae hujus, qua utuntur in calamitate, ut quasi provocent ad merita, quae avertere debuissent clades & Deorum iram. Ovid. IV. ex P. Ep. 8. ℣. 81.
Prosit, opemque ferat, communia sacra tueri.

noster

Sed prodeſſe parum eſt: labes hinc prima malorum.
Hoc miſerae (verum ſi profitemur) obeſt.
Moenia debueram natalia prodere, texi:
Fida nec innocuis civibus eſſe, fui.
At decus hinc noſtrae quondam meruere puellae,
Ad quas & populi ſumma relata fui.
Gratia vindicibus jam nulla rependitur armis.
Cum tulerint aliae praemia, plector ego.
Quid faciam? qua ſpe nitar? quo lumina flectam?
Unde petam feſſis perdita rebus opem?
Non mea connubiis operatur in urbe juventus.
Pace bona caſti gaudet Amoris opus.
Squalida vaſtatis adparent frugibus arva:
Hoſtis ab agricola non ſinit arva coli.

Noc

noſter ſupra El. I. hujus libri, in fine:

O ſaltem pietas haec proſit, & ultima paſſim
Deſerat in portus me Cytherea ſuos.

quod adhaeret rurſus Ovidio, eodem libro Epiſt. 6. 19.

Quae proſit pietas utinam mihi, ſitque malorum
Jam modus, & ſacrae mitior ira domus.

quod imitatus etiam eſt N. Heinſius in Pauſilypo ad Casp. Kinſchotium:

Quae pietas, opto, proſit mihi: proſit ab ungue
Jam tenero Clariam ſollicitaſſe chelyn.

Joh. Poſthius, Lotichium paſſim imitatus, Lib. I. Eleg. I.

Proſit, Apollineas animum erudiiſſe per artes,
Proſit & Aonias non temeraſſe Deas.

27. *Labes hinc*] Virgilius 2. Aeneid. *Hinc mihi prima mali labes.* HOOGSTR.

35. *Quid faciam? qua ſpe nitar?*] Ovid. Ep. X. 59.

Quid faciam? quo ſola ferar? vacat inſula cultu.

reliqua etiam hujus diſtichi Naſonianum illud ſapiunt Epiſt. XVII. ℣. 228.

Quis mihi, ſi laedar, Phrygiis ſuccurrat in oris?
Unde petam fratris, unde parentis opem?

& Lib. V. Triſt. El. II. 41.

Quo ferar? unde petam feſſis ſolatia rebus.

ſic enim praetuliſſe illic Lotichium, ex hoc loco poſſet colligi. in aliis *lapſis*, vel *laſſis*, vel *laeſis.* quae paſſim mutantur. vide ad lib. I. Triſt. 5. 25. ſic in Elegia de Spe apud Pithoeum lib. I. Epig. vet. pag. 31.

Improba, mentis inops, rebus gratiſſima laeſis.

ubi codex Voſſianus a manu prima *leſſis.* unde Heinſius *laſſis.* Sed puto ita ſcriptum fuiſſe pro *feſſis.* ut apud Virg. XI. Aen. 335. *rebus ſuccurrite feſſis.* vide illic plura.

Nec lego purpureos in ſerta recentia flores:
  Non mihi flos pratis mollibus ullus hiat.
Funera bis vidi campis indigna meorum:
  Damna bis adverſo triſtia Marte tuli.
Hei mihi, qualis erit (quod abominor) exitus urbis,
  Concidet hoſtili ſi reſerata manu?
Quis tenerum pavidae latus hauriet enſe puellae?
  Virginitas cujus praeda latronis erit?
Haec, oculi quaecumque vident, cinis omnia fient.
  Utraque dicetur flebile ripa ſolum.
Ergo dies veniet, qua moenia nulla tuebor,
  Parvaque reſtabit nominis umbra mei.
Quaque fuit murus, terram proſcindet arator,
  Uɪbsque ſub his, dicet, collibus alta fuit.

O

Quid

42. *Non mibi flos pratis mollibus ullus biat*] aperta ımitatio eſt Propertii lib. ɪv. El. 2. 45.

Nec flos ullus biat pratis, quin ille decenter
Inpoſitus fronti langueat ante meae.

biare autem de floribus paſſim apud poëtas, ut egregie Heinſius ad Ovid. ɪɪ. A. A. 115. ubi emendat:

Nec violae ſemper, nec biantia lilia florent,
Et riget amiſſa ſpina relicta roſa.

48. *Virginitas cujus praeda latronis erit*] pariter Medea apud Ovid. Ep. xɪɪ. 111.

Virginitas facta eſt peregrini praeda latronis.

49. *Haec, oculi quaecumque vident*, &c.] Propertiani genii eſt lib. ɪv. El. 1.

Hoc quodcumque vides, boſpes, qua maxima Roma eſt.

in ceteris reſpexit forſan illud Sabini Epiſt. Reſp. 1. ỳ. 14.

Jam cinis, & tantum flebile Troja ſolum.

53. *Quaque fuit murus, terram proſcindet arrator,*
Urbsque ſub bis, dicet, collibus alta fuit.] Locus hic adumbratus eſt totus ex illis Ovidii de Trojae ruinis Epiſt. 1. ỳ. 48.

Sed mibi quid prodeſt veſtris disjecta lacertis
Ilios, &, murus quod fuit ante, ſolum?
Diruta ſunt aliis, uni mibi Pergama reſtant,
Incola captivo quae bove victor arat.
Jam ſeges eſt, ubi Troja fuit, reſecandaque falce
Luxuriat Pbrygio ſanguine pinguis bumus.

ubi recte emendare videtur Heinſius, &, *murus qua fuit ante, ſolum.* ut hic etiam Lotichius, *Quaque fuit murus.* pro qua parte. ſic apud Propert. lib. ɪv. El. 1. init:

Hoc quodcumque vides, boſpes, qua maxima Roma eſt,
Ante Pbrygem Aeneam collis & berba fuit.

ut recte Douza. Gronovius, & alii. id quod bene etiam probavit Broukhuſius, cum in aliis editionibus legeretur, *quam maxima.* Sic *qua* pro ubi, quod ab aliis, tamquam barbare dictum, damnabatur, multis exemplis probat Cioſanus ad Ovid. 1. ex P. 1. 12.

Quid gravius, victore Geta, miseranda tulissem,
Caesare quam magno bella gerente fero?
Atque utinam saevi potius mea viscera Thraces,
Persaque & extremus dilaceraret Arabs!
Hoc tamen infelix casus solarer acerbos:
Vulnera cognatae sunt graviora manus.
Majorum tumulos, sacrasque Tuistonis umbras
Testor, & haec tacito sidera fixa polo.
Me servasse fidem! Si mentior, ultima numquam,
Quae patior, tantis hora sit ulla malis.

Et

55. *Quid gravius, victore Geta, miseranda tulissem*] imitatio Ovidiana lib. IV. Fast. 593.

Quid gravius, victore Gyge, captiva tulissem?
Quam nunc, te coeli sceptra tenente, tuli.

Hermione apud eumdem Epist. VIII. 11.

Quid gravius, capta Lacedaemone, serva tulissem,
Si raperet Grajas barbara turba nurus?

57. *Saevi potius mea viscera Thraces, Persaque & extremus dilaceraret Arabs*] vide quae notavi supra ad lib. I. El. 2. ℣. 15.

Nunc tua dilacerant inimicae viscera gentes.

60. *Vulnera cognatae sunt graviora manus*] & hoc loco & supra ℣. 27. sine dubio cogitabat Ovidium lib. II. Fast. 416.

Non nocuisse parum est: prodest quoque; quos lupa nutrit,
Prodere cognatae sustinuere manus.

61. *Majorum tumulos, sacrasque Tuistonis umbras Testor,*] Imitatio est illius Propertiani lib. IV. Eleg. ult. ℣. 37.

Testor Majorum cineres tibi, Roma, colendos,
Sub quorum titulis Africa tonsa jaces &c.
Me neque censurae legem mollisse, nec ulla
Labe mea vestros erubuisse focos.

Ceterum docte & oportune hic invocatur Tuisto Germanorum antiquissimus deus & primus originis auctor, quia hunc in carminibus suis, ut primum parentem ac generis sui conditorem invocabant: Tacitus de Mor. Germ. cap. 2. *Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriae & annalium genus est) Tuistonem Deum, terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditoresque.* alii *Tuitonem* vel *Teutonem* scribunt. Sed *Tuisconem* ad illum locum praefert Conringius: licet primum adprobet Cluverius lib. I. Germ. Antiq. cap. IX. vide etiam de *Tuistone* Schedium de Diis Germ. Syntag. I. cap. XI. sub finem. & Struvii Syntagm. Hist. Germ. Diss. I. §. 2. & seqq.

63. *Me servasse fidem. Si mentior* &c.] Et haec quoque expressa sunt ex Propertio lib. IV. El. 7. 53.

Juro ego fatorum nulli revolubile filamen,
Tergeminumque canem: sic mihi molle sonet.
Me servasse fidem. Si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis, & super ossa cubet.

Briseis apud Ovid. Ep. III. 310.

Nulla Mycenaeum sociasse cubilia mecum
Juro: fallentem deseruisse velis.

vide supra Eleg. I. hujus libri ℣. 67.

Et tamen ut furiis insurgit atrocibus hostis:
Si libet, in cineres saeviat ille meos.
Herbiferae valles, gelidique in vallibus amnes,
Quidquid & in terris dulce relinquo, vale.
Este mei memores ripae, Nymphaeque sorores,
Longa mea in vestris regna fuere locis.
Plura querebatur: nostro sed protinus omnis
Corpore defluxit somnus, & orta dies.
Moestus, & obscurae turbatus imagine noctis,
Sub matutini lumina Solis eram.

73. *Moestus, & obscurae turbatus imagine noctis*] Mallem hic *confusus* scripsisset, quia mox ✠. 83. sequitur denuo, *variis turbatus obambulo curis.* apud Ovid. Epist. XIX. 193.

— hesternae confundor imagine noctis.

confusus somnio proximae noctis apud Sueton. Caes. 7. licet in notis suis editionis Venetae lectionem *confisus* commode explicitam fere praetulerit Patruus meus. quamquam olim ad Valer. Fl. I. ✠. 79. ubi *confusa pectora* pro somnio perterrita exponit, priorem in eodem Suetonii loco probaverit lectionem. ubi plura. Sic *confusus* pro perturbato. de quo v. Drakenb. ad Silium XI. 101.

76. *Lucus, ubi variae consociantur aves. Est sacer arbusti* & seqq.] In his & sequentibus deprehendere licet colores nonnullos Propertianos Lib. IV. El. 4. 3.

Lucus erat felix hederoso consitus antro,
Multaque nativis obstrepit arbor aquis.
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
Fistula poturas ire jubebat oves.

vel potius Ovidianos ex initio lib. III. Amorum:

Stat vetus & multos incaedua silva per annos,
Credibile est illi numen inesse loco.
Fons sacer in medio, speluncaque pumice pendens,
Et latere ex omni dulce queruntur aves.
Hic ego dum spatior tectus nemoralibus undis
Quod mea, quaerebam, Musa moveret opus.

cujus loci imitatione noster ✠. 80. pro *Ergo quod ajebam*, scribere potuisset,

Ergone, quaerebam, somnia pondus habent?

vel *Ergo, quaerebam*, aut *Istane*; si quis *Ergone* vel *Ergo* secunda correpta apud Ovidium similesque e veteribus non occurrere contendat, in quo me facile adsentientem habebit, licet Lotichius ipse non semel ultimam in *ergo* corripiat, ut supra vidimus. Sed praecipue offendit me ingrata elegiacis versibus inserta vox *ajebam*, cujus exemplum apud Ovidium, Tibullum, similesque poëtas desidero. Novi apud Horatium plus semel *ajebam* & *ajebat* in Sermonibus & Epistolis orationi ita interpositum occurrere; sed alia res est in elegiaco carmine ad normam concinnitatis Ovidianae vel Tibullianae conposito: supra etiam noster lib. I. Eleg. 7. 7. ut in Parisina & Voegeliana editione olim legebatur:

Huc ades, ajebam, nostroque medere dolori.

Sed quod deinde auctor ipse delevit, & alia supposuit. Aliud certe e veteribus poëtis elegiacis exemplum nunc non succurrit.

Montis inacceſſi radicibus adjacet imis
Lucus, ubi variae conſociantur aves.
Eſt ſacer arbuſtis, vaſtisque receſſibus horror,
Per medium raucae volvitur amnis aquae.
Hic trepidae ſpeciem repetens in valle quietis,
Ergo quod (ajebam) ſomnia pondus habent?
Cur nimium memini? verisque ſimillima vidi?
Languidus aurora cur oriente fui?
Dum queror, & variis turbatus obambulo curis,
Mobilis arboreas inpulit aura comas.
Ecce quatit rapidis Jovis armiger aëra pennis,
Albus & incurvis unguibus haeret olor.
Nulla fuga eſt capto: ſpectantque ſilentque volucres,
Aſpera dum fulvae praepetis arma timent.
At vigil, auroram qui cantibus evocat, ales
Audet ab aëriis obvius ire jugis.
Tunc volucer ſaevas exercitus undique pugnas
Suſcitat: alarum plauſibus antra fremunt.

Interea

85. *Ecce quatit rapidis Jovis armiger* & ſeqq.] Explicatio horum & ſequentium verſuum petenda eſt e Georg. Zyrlino in Judicio de hoc Lotichii vaticinio, quod in T. II. hujus editionis inter Adoptiva exhibetur pag. 291. qui per *Jovis armigerum*, Caeſarem, per *olorem* Lutherum, per *volucres* Proteſtantium ordines, & per *vigilem alitem*, Ducem Hennebergium, postea Electorem Saxoniae, intelligit. Tales aves ſymbolicas, certas perſonas exprimentes, iſto ſeculo a poëtis Germanis ſaepius in carminibus ſuis inductas, quae ſine hiſtoria illorum temporum hodie vix bene exponi poſſunt, patebit praecipue ex Johannis Majoris Joachimi Synodo avium, quod carmen poëta ille conſcripſit de certaminibus Eccleſiaſticis inter Phil. Melanchthonem & Flacium Illyricum, eorumque adſeclas circa an. 1546. agitatis; quod nemo hodie fere intelligeret, niſi id notis ſuis expoſuiſſet Joachimus Fellerus, editis a Struvio in Actis Literariis Tom. I. Faſc. IV.

Interea removent ſubeuntia nubila Solem,
Praeſagique micat fulminis igne polus.
Terreor, & vanos reor haec quoque fingere ſomnos,
Sed patula vigilans ilice nixus eram.
Mox paucae redeunt, & ovantes ſole reducto,
Paullatim molli pace fruuntur aves.
Et nive candidior, veluti jam fata vocarent,
Fundit olor dulces ad vada nota ſonos.
Protinus exclamo, Superi mea viſa ſecundent,
Inque Notos, quidquid triſte minantur, eat.

93. *Interea removent ſubeuntia nubila Solem* &c.] Imitatur denuo Ovid. II. Faſt. 493.

Sol fugit, & removent ſubeuntia nubila coelum;
Et gravis effuſis decidit imber aquis.
Hinc tonat, hinc miſſis abrumpitur ignibus aether.

96. *Sed patula vigilans ilice nixus eram*] Similiter Paris apud Ovidium poſt narratum matris ſuae ſomnium addit Ep. XVI. 56.

Eſt locus in mediae nemoroſis vallibus Idae
Devius, & piceis ilicibusque frequens &c.
Hinc ego Dardaniae muros, excelſaque tecta,
Et freta proſpiciens arbore nixus eram.

& de ſomno Iliae lib. III. Faſt. 26.

Somnus abit: jacet illa gravis &c.
Languida conſurgit; nec ſcit cur languida ſurgat,
Et peragit tales arbore nixa ſonos.

99. *Veluti jam fata vocarent Fundit olor* &c.] Imitatio eſt Ovidiana initio Epiſtolae Didus ad Aeneam:

Sic ubi fata vocant, udis abjectus in herbis,
Ad vada Maeandri concinit albus olor.

nimis autem vulgo nota ſunt, quae de dulci oloris moribundi cantu fabulantur paſſim poëtae, quam ut notari aliquid ea de re mereatur. vide iſtic Cioſanum. Potter. ad Lycophr. ℣. 426. Mollium ad Longi Paſtoralia p. 42. Barlaeum ad Luciani Timon. p. 212. Delrium ad Senec. Hippol. ℣. 301. Struvii Acta Literar. T. I. Faſc. 6. pag. 62. & quos non?

101. — *Superi mea viſa ſecundent,*
Inque Notos, quidquid triſte minantur, eat.
Nec minus indigenis voveo ſua munera Nymphis,
Et palmis hauſtas &c]

Haec plena ſunt elegantiae & eruditionis priſcae. optime enim exprimit illa Tibulli Lib. III. El. IV. in fine:

Haec Deus in melius crudelia ſomnia vertat,
Et jubeat tepidos irrita ferre Notos.

deinde erudite poëta noſter agit e more veterum, qui ſi quid triſte in ſomniis vidiſſent, ἀποδιοπομπήσεως χάριν ſacra quaedam Diis faciebant, Jovi praeſertim prodigiali. qua de re vide Caſaubon. ad Theophraſt. Char. pag. m. 290. Vovet autem hic Nymphis ſua munera, ut Tarpeja apud Propertium Lib. IV. El. 4. 23.

Saepe illa immeritae cauſſata eſt omina Lunae,
Et ſibi tinguendas dixit in amne comas.
Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem laederet haſta Titi.

Nec minus indigenis voveo sua munera Nymphis,
  Et palmis haustas libo duabus aquas.
Haec tibi, cui fas est casus aperire futuros,
  Carminibus volui non reticere meis.
Plura quidem vidi, sed quae celanda putavi.
  Valle sub arcana cetera quercus habet.

In sequentibus respexit ad ritum antiquum, quo male ominata somniantes se in flumine abluebant aut aqua purgabant, idque primo statim diluculo. Merentur haec conferri cum Silii Italici loco, quia suspicor Lotichium ejus versus cogitasse, lib. VIII. 124. in Annae somnio de Sichaeo:

Quae dum agito menti, & sub lucem ut visa secundent
Oro coelicolas, ac vivo purgor in amni.

Sic enim egregie viri docti restituerunt pro *vivo purgor in antro*, & de hac somniorum expiatione docte illic agunt. Recte etiam ad hunc ritum refertur Valerii Flacci locus lib. V. 333. de somnio Medeae:

Senserat ut pulsas tandem Medea tenebras
Rapta Jovis primi jubar ad placabile Phoebi
Ibat, & horrendas lustrantia flumina noctes.

ubi vide notas. & adde Durantium Casellium lib. II. Var. Lect. cap. 2. & operosius Broukhusium ad Propert. IV. 4. 22. Ut tamen dicam, quod sentio, mallem ego Lotichium hic scripsisse,

Et manibus vivas libo duabus aquas.

vel *puras*. quia in ejusmodi procuratione somnii infausti semper *vivae aquae*, & *vivi amnis* mentio est apud veteres. ut optime ad Silii locum observavit Cel. Drakenborchius. Statius lib. IX. Th. 573.

Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas,
Purgatura malum fluvio vivente soporem.

ubi vide Barthium. *puram lympham* vocat Propertius lib. III. 8. 13.

Ac primum pura somnum tibi discute lympha,
Et nitidas presso pollice finge comas.

sed adhaesit noster versui Ovidiano lib. II. Fast. 294.

Nectar erat palmis hausta duabus aqua.

vel in animo habuit illud Maronis lib. VIII. Aen. 69.

— nox Aeneam somnusque reliquit,
Surgit, & aetherii spectans orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit.

105. *Cui fas est casus aperire futuros*] Non sine ratione Camerario somnii explicandi peritiam tribuit. Sive respexerit ad Camerarii Commentarium de Generibus Divinationum; sive ad ejus *Somnia*, cui tamen operi Georgius Fabricius, licet Camerario amicissimus, sed in dissidiis religionis istius aetatis diversas secutus partes, Eclogam *Corydonis* titulo insignitam opposuit, ut refert idem Joach. Fellerus pag. 65.

108. *Cetera quercus habet*] est pars pentametri Ovidiani lib. V. Fast. 382. similis fere coloris sunt ista Jacobi Wallii Lib. I. Eleg. 2. in fine:

Non aliena cano. Quaedam praesagia quercus,
Et vigil incumbens Montibus ignis habet.
Cetera Divorum tabulis incisa leguntur.
Felix, qui terris proferet illa, dies!

E L E-

ELEGIA V.

AD

JOANNEM SAMBUCUM PANNONIUM.

Ibimus aequoreas ſine te, Sambuce, per undas.
  Sit, precor, ad longas utilis aura vias.
Tu repetis primos Araris, quos vidimus, ortus,
  Et Rhodani liquidas, quas Arar auget, aquas.
Nam tecum montes ibi vult habitare ſalubres
  Noſter egens medicae nunc Apianus opis:
Tempore qui longo fervoribus uſtus anhelis,
  Mutato ſperat poſſe valere loco.

Vade,

ELEG. V. 1. *Ibimus aequoreas ſine te, Sambuce, per undas*] Imitatio Tibulliana eſt lib. I. El. 3. ỳ. 1.

Ibitis Aegeas ſine me, Meſſala, per undas.

cui adhaeret etiam Casp. Kinſchotius lib. I. Poëm. p. 43. ad R. Hofferum:

Ibis ad extremum ſine me, dilecte, Garumnam,
Jam patria durus navita ſolvit humo.

& Broukhuſius lib. III. El. 10.

Ibis ad aequoreos, ſollers Meurere, Britannos Viſere.

deſcripſit fere hos Lotichii verſus Dav. Sigismundus Caſſovius in Itin. Germ. & Sarmat. pag. 585.

Ibimus Albiacas, ad buſta Melanchthonis, oras:
Sit, precor, ad longas utilis aura vias.

& hunc Fratris ſui locum reſpexit Christianus Lotichius lib. II. Eleg. V. ad Dav. Chytraeum:

Ibis Hyperboreas, facunde Chytraee, per urbes,
Ipſe Deum, felix ſit, precor, illud iter.

4. *Et Rhodani liquidas*] *Liquidas* plane hic otioſum eſt. vid. lib. I. El. 8. 27. HOOGSTR. illic cenſuram hanc prolixe refutavimus.

6. *Noſter egens medicae nunc Apianus opis.*] Intelligi puto Petrum Apianum, eximium Mathematicum Ingolſtadienſem, eumdem, qui ſociata cum Barth. Amantio opera, & liberalitate ſummi literatorum Maecenatis Raymundi Fuggeri Inſcriptionum antiquarum Syntagma edidit Ingolſt. 1534. in fol. Vide Pantaleon. de viris Illuſtr. Germ. Part. III. p. 435. Gesner. Biblioth. T. I. p. 544. P. Lambecium lib. I. Comm. de Biblioth. Caeſ. pag. 69. & Patrui mei praefat. ante Gruteri Inſcript. pag. 5. ejus filium Philippum Apianum patri in Academiae Ingolſtadienſis Profeſſione Mathematica & Medica ſucceſſiſſe tradit Freher. in Theatr. Vir. Erud. P. IV. p. 1483. patet ex hoc loco Apianum Sambuci & Lotichii noſtri ſodalem fuiſſe, quod conſtat etiam ex Lib. I. Carmin. 18. ubi utriusque meminit:

Sambuco quoque dic, & Apiano
Huc ad me veniant, ſacras agamus
Et vino & fidibus Maronis Idus.

Vade, nec inmiti correptum febre ſodalem
Deſere: jucundum te duce fiet iter.
Felices creſcunt illis regionibus herbae:
Floridior nullis eſt Panacea jugis.
Mobilibusque leves ſpirant afflatibus aurae,
Nec canis aeſtivi tempora ſicca nocent.
Rura, quiesque animi diuturnos pellere morbos
Saepe Machaonia fortius arte ſolent.
Non ego vos animo properans gaudente relinquam,
* * * * * * * *
Sed prius hunc culto totum ducemus in horto
Luſibus, & cyathis, carminibusque diem.

Pam-

15. *Rura quiesque animi diuturnos pellere morbos Saepe Machaonia fortius arte ſolent*] elegantiſſimi hanc in rem verſus ſunt Virginii Caeſarini in ſeptem Illuſtr. Vir. Poëm. pag. 481. initio pulcherrimae Elegiae, qua poſt lenta morbi taedia rus ſecedere optat, quos temperare mihi non poſſum, quin adſcribam:

Egeriae valles, mitique habitata Dianae
Pura Thoantaei neſcia ſilva ſacri &c.
Confectum curis, & longa tabe dolorum
Accipite, & patriis ſiſtite me laribus.
Irrita Poeoniae poſt tentamenta medelae
Huc libet aegrotos nunc mihi ferre pedes.
Romuleae valeant arces, medicique valete,
Quorum ſaepe malo ſedula cura favet.
Deſinite herbarum tandem, triſtisque veneni,
Ferte procul dira pocula tincta manu.
Me nemora & ſaltus camporum auraeque patentes,
Et trepidans rivo garrula lympha manet.
Prata movent animum viridantia gramine laeto,
Et qui perſultant pinguia rura greges.
O mihi ſola quies, colles ſalvete Latini,
Salvete, o fratris regna vetuſta mei!

18. Deſideratur diſtichi hujus pentameter. Quia vero a Sambuco & Apiano ſe properato itinere non prius abiturum dicit, quam antea cum ſodalibus his laetum ac genialem diem in horto exegiſſet, forte ſenſus non male conſtaret, ſi addere liceret:

Non ego vos animo properans gaudente relinquam,
Nec meus a vobis tam celer ibit amor.

vel ſi quis praeferat hoc modo:

Nec rapient celeres puppis & aura vias.
Sed prius &c.

maritimo enim itinere ſe diſceſſurum indicat in initio hujus Elegiae. Sed ejusmodi hiatus, quos in ſchedis auctoris ſine dubio repererunt editores, divinando ſupplere non eſt noſtrum.

20. *Luſibus & cyathis, carminibusque diem*] hunc Patrui ſui locum fere totum ſuum fecit Joh. P. Lotichius lib. I. Poëm. El. 2. pag. 6.

Umbra ſimul reliquum Baccho traducit inempto
Luſibus & cyathis colloquiisque diem.

etiam cum errore typographico *ſcyathis*, ut hic in vulgatis legitur editionibus.

Pampinus aestivas mensae circumdabit umbras,
  Altaque vicinas integet ulmus aquas.
Naïs ubi virides & Hamadryas irrigat herbas,
  Utraque deliciis Nympha beata suis.
Illic unanimes convivabuntur amici,
  Verbaque de variis plurima rebus erunt.
Nec deerit fidibus teneras qui mulceat aures,
  Et citharae doctas adplicet arte manus.
Atque aliquis veteres apio praecinctus amores
  Concinet, ac largo proluet ora mero.
Ipse ego, florenti redimitus tempora myrto,
  Pocula pro vestra multa salute bibam.
Cunctaque praeteritae repetens solatia vitae,
  Conquerar absenti nil fore dulce mihi.
Gratus enim longae mihi consuetudinis usus,
  Quidquid in hoc nobis incidit orbe, fuit.
Scilicet in vestro geniales pectore Musae,
  Numinis effigiem constituere sui.

P Hinc

29. *Atque aliquis veteres apio praecinctus amores Concinet* &c.] Sapit illud Virgilianum Ecl. VI. 68.

Ut Linus haec illi divino carmine pastor,
Floribus atque apio crines ornatus amaro
Dixerit:

more autem veterum ex apio, herba ceteroquin lugubri & sepulcrali, coronas convivio aptat, quod Graecorum imitatione saepe apud Horatium occurrere constabit ex Mureti lib. XVI. Var. Lect. cap. 18. & Torrentio ad Horat. lib. II. od. 7. ✝. 23. ejusdemque & Lambini notis ad lib. IV. Od. XI. ✝. 3. *veteres amores*, ut lib. III. El. 8.

Interea veteres cantu solatur amores.

idque imitatione Tibulli lib. II. El. 4. 47.

Atque aliquis senior veteres veneratus amores.

Ovid. V. Met. 576.

Fluminis Elei veteres narravit amores.

Catullus Ep. 97.

Cum desiderio veteres renovamus amores.

Ceterum si quis adtente hunc locum conferat cum Tibullo lib. I. El. XI. ✝. 33. & seqq. colores nonnullos poëticos bono artificio inde adumbratos percipiet.

Hinc amor, & ſimplex probitas, hinc copia fandi,
  Tinctaque Cecropio carmina melle fluunt.
Non pariter latum ſulcabimus amplius aequor,
  Prora fatigatis non dabit una torum.
Nec ſimul a nautis portus ſcitabimur aptos,
  Quaeque regant tacitae ſidera noctis iter.
Vos quoque ſuprema nunc forſitan adloquor hora;
  O utinam memores ſitis uterque mei!
Ipſe pruinoſae juga ſeu calcabo Pyrenes,
  Sive tuo laſſus flumine, Vare, bibam.
Seu quocumque trucis caput hoc feret impetus undae,
  Semper inoblita vos pietate colam.
Felix qui ſolis, parvo contentus, in agris
  Degit, ubi proavis res fuit ante ſuis.

Et

41. *Non pariter latum ſulcabimus amplius aequor*] Inter amicitiae mutuae voluptatem id quoque refert Ovidius lib. II. ex Ponto Ep. 10. 30.

Et quota pars haec ſunt rerum, quas vidimus ambo,
Te mihi jucundas efficiente vias:
Seu rate coeruleas picta ſulcavimus undas,
Eſſeda nos agili ſive tulere rota &c.
Eſt aliquid caſus pariter tuliſſe marinos,
Junctaque ad aequoreos vota tuliſſe Deos.
Et modo res egiſſe ſimul, modo rurſus ab illis,
Quorum non pudeat, poſſe referre jocos.

ſimilia Joh. Poſthius lib. II. El. 5. ad Nath. Chytraeum, Lotichii veſtigiis paſſim inſiſtens.

46. *O utinam memores ſitis uterque mei*] adhaeret illis Tibulli lib. I. 2. 2.

O utinam memores ipſe cohorsque mei.

47. *Pyrenes*] corripit hic Lotichius primam in *Pyrene*, ad exemplum Tibulli lib. I. 8. 9.

— Tarbella Pyrene
Teſtis, & Oceani &c.

infra tamen Eleg. ſeq. ℣. 27. producit:

Solis ad occaſum Pyrene Solis ad ortum.

ut & Silius Italic. lib. III. ℣. 414 & 417.

Pyrene celſa nimboſi verticis arce.

qui corripiunt hanc vocem, deducunt a *pyra*, quia in acutum ſurgunt Pyrenaei montes. vid. Angel. Decembrium lib. VII. de Polit. Literar. pag. 583 & 616.

51. *Felix qui ſolis, parvo contentus, in agris Degit* &c.] illud *parvo contentus* locutio eſt Tibulliana, & ſimplicitatis ruſticae propria. noſter infra lib. II. El. XI.

At ſi quis Muſas, parvo contentus, amabit.

& lib. III. El. I.

Incola contentus parvo, nec fallere doctus,
Gaudet in herboſa paſcere valle pecus.

vide Broukhuſii notas ad illud Tibulli lib. I. El. I. 47.

Jam modo non poſſum contentus vivere parvo.

Con-

Nec pelagi fcopulos, nec acerba pericula novit,
Nec liquor aequoreae quam fit amarus aquae.
Certe ego, fi finerent mea fata, quiefcere vellem,
Tempus & arbitrio ponere dulce meo.
Certe ego fic agerem molles inglorius annos,
Nec mihi folftitium, nec gravis effet hiems.

Conferenda haec funt cum iftis Flaminii, pulcherrima Elegia feptima libri fecundi, ubi vitae rufticae commoda & voluptates egregie defcribit:

Quis furor eft nullis umquam requiefcere terris,
Atque alia ex aliis femper adire loca?
Nec vitare graves aeftus, nec frigora faeva,
Nec timuiffe vagae mille pericla viae?
Felix qui parvo contentus vivit agello,
Nec linquit patriae dulcia tecta domus.

& quae plura ibidem fequuntur. Uterque autem imitatus eft Claudianum Epigr. 2.

Felix, qui propriis aevum tranfegit in arvis,
Ipfa domus puerum quem videt, ipfa fenem &c.
Illum non vario traxit Fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hofpes aquas.
Non freta mercator tremuit, non claffica miles,
Non rauci lites pertulit ille fori.

ita olim legebatur, & produxit H. Stephanus in Encom. Virtut. inter vitae Rufticae laudes ab antiquis decantatas pag. 103. Sed recte Heinfius ex vetuftis Codd. emendavit:

Felix qui patriis aevum tranfegit in agris.

quod multis poëtarum locis egregie adftruxit: quae fi legiffet Lotichius, forfan hic quoque fcripfiffet,

Felix qui patriis, parvo contentus, in agris Degit, &c.

nifi id fequente verfu potius circumfcribere voluerit, ut lib. III. El. ult. in fine:

Flumina cum filvis, & quae pater ante folebat
Contentus cultu paupere rura colam.

five ut lib. IV. Eleg. 6.

— *natalia rura falutant,*
Rura olim proavi quae tenuere fenes.

deinde in loco Claudiani mallem ego, fi codices addicerent;

Una domus puerum quem videt, una fenem.

Hoc autem paffim inter felicitatis munera praecipua enumerant poëtae. apud Propertium lib. III. El. 5. 6. idem legebat Heinfius:

Quod fi contentus patrios bove verteret agros.

non *patrio bove*, ut in illo Horatii,

Paterna rura bubus exercet fuis.

Sic in Elegia Pfeudo-Galli in Catalectis Pithoei pag. 420. Ed. Parif. corrigendum arbitror:

Dives erat, fi quis patrii poffeffor agelli
Severat ille prius, deinde coquebat olus.

vulgo *parvi.* nam *agelli* vox tenuem fatis agrum indicat. *patrius fundus* apud Horat. lib. I. Sat. 2. 56. & lib. II. Epift. 2. 51. & *rus paternum* lib. I. Ep. 18. 60. & *fundus avitus* lib. I. od. 12. 44. eleganter Aufonius initio Villulae Eidyll. 3.

Salve haerediolum, majorum regna meorum,
Quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.
Quod mihi jam fenior, properata morte, reliquit,
Heu heu nolueram tam cito poffe frui.

fic *paternum* & *avitum agrum* conjunxit Seneca Epift. 88. *Paterno agro*, *inquit*, *& avito expellor.* Sidonius Apoll. lib. II. Epift 2. *Praedium, quia uxorium, patrio mihi dulcius. agros avitos* habes apud Tacitum XIV. Ann. 22. ubi plura Heinfius in notis hactenus ineditis, quem etiam vide ad Phaedrum lib. IV. fab. 4. 45. & ad Virg. XI. Aen. 269. *avitos lares & incunabula majorum* vocat Juftinus lib. XXXI. cap. 8.

Nunc miſeri virides errando perdimus annos:
  Nemo ſed (heu) curas effugit ipſe ſuas.
Adde tot exhauſtos multis, ſine honore, labores,
  Quorum culpata eſt (nec meruere) fides.
Interea ſubrepit iners & inutilis aetas,
  Inque alias certe mors vocat atra vias.
Sic vates umbris crudelibus occubat Altus,
  Sic Roſa, flos aevi nuper uterque ſui.
Alte, tuos cineres (quicumque eſt) adluit Arnus,
  Poeoniae celſis occidit ille jugis.
Nec juvit doctas mentem formaſſe per artes,
  Fonte nec Aonio depoſuiſſe ſitim.

Con-

67. *Alte, tuos cineres, quicumque eſt, adluit Arnus, Poeoniae celſis occidit ille jugis*] Johannem Altum in Italiam profectum, tunc cum Lotichius in Galliam ſeceſſerat, vix adpuliſſe Bononiam, cum procul a patria diem obiit ſupremum, ſcribit Johannes Fabricius in Epiſtola Nuncupatoria ad Altos Fratres, praefixa Epithalamio Joh. Alti in Fabricii Montani nuptias. hinc *Altum in Etruſcis jugis humatum* canit noſter lib. II. El. I. 3. mortem ejus idem Fabricius quoque memorat in Elegia ad Lotichium noſtrum pag. 30. Poëmatum, his verbis:

Altus amicitiae mihi ſancto foedere junctus,
  Nunc etiam umbrarum coecum iter ingreditur;
Quam nihil humanis fas quemquam fidere rebus,
  Altum Lethaeae ripa coercet aquae!

plura de Alto vide ſupra ad lib. I. El. 3. ſequenti verſu mortem Roſae innuit, quem in Poeoniae jugis occidiſſe ex his patet. Forte per Poeoniam intelligit Herbipolim, Germaniae urbem, (Artaunum veteribus) ſive Aurach non procul a Tubinga; antiquitus Marcopolim & Peapolim dictam, quam Wirtzburgum cenſent. vide Ortelii Theſaur. Geogr. in *Artaunum*. Quis Roſa hic ſit, qui eodem fere tempore, quo Joh. Altus, obiit non adeo mihi in conperto eſt. in lib. II. Carminum exſtant apud noſtrum verſus cum inſcriptione, *M. Roſa ad flores Meliſſae*. Dubius haereo, an intelligendus ſit Martinus Roſemannus, cui inſcripta aliquot poëtae noſtri carmina occurrunt inter ejus Juvenilia, in quibus Roſemannus & Altus plus ſemel ut ſodales junguntur. quam opinionem firmare videntur iidem verſus ſub perſona M. Roſae modo ex lib. II. Carminum indicati, qui ſub titulo *Querela Amatoris* denuo occurrunt inter decem illa carmina in Juvenilibus Roſemanno inſcripta. Ceteroquin *Roſarum* familia inter Germanos illius aevi eruditos non penitus ignota: de Johanne Roſa Philoſopho & Theologo Jenenſi vide Freheri Theatr. Viror. Erud. P. I. Sect. III. p. 227. & de medico Joh. Roſa in P. III. p. 137. ſed qui nihil ad Roſam iſtum a Lotichio hic laudatum faciunt.

Concordes animae, regeret dum ſpiritus artus,
Natalis cuperem vos tenuiſſet humus.
Quis dedit ignotis tumulos? quis lumina texit?
Quis ſcit an haec fati nos quoque jura manent?
Quandocumque volent, Superis parere neceſſe eſt.
Terra ſepulturae quaelibet apta meae.
Nulla mihi eſt, noſtro quae ploret funere conjux:
Et pia, ſi moriar, non erit orba parens.
* * * * * * * *
* * * * * * * *

77. *Nulla mibi eſt, noſtro quae ploret funere conjux*
Et pia, ſi moriar, non erit orba parens.
* * * * * * *
* * * * * * *]
Hiatus hic adparet unius diſtichi, quod in vulgatis deſideratur editionibus. Non dubito Lotichium ea, quae praeceſſerant, amplius augere voluiſſe his vel ſimilibus verſibus:
Nec ſoror in partem veniet cum fratre doloris,
Ut ferat arſuro dona ſuprema rogo.
vel hoc modo:
Nec ſoror huc veniet, fratris comitata dolore,
Quae det in ardentem dona ſuprema rogum.
vel ſi *veniet* inconcinnum videatur, quia mox ſequitur *venietis*, ſuppleri poſſet:
Nec ſoror, aut primo frater mihi raptus in aevo,
Inferiis mittent ultima dona meis.
ut fratrem Georgium ac ſororem Elizabetham innuat, de quibus v. ſupra ad lib. I. El. 4. ỷ. 67. ita certe hariolari liceret ex more poëtarum veterum, qui in hac re paſſim queruntur non tantum de amica, conjuge, ac matre abſente vel jam mortua, ſed & de ſorore, fratribus, ceteriſque conſanguineis, quos juſta ſupreſma facere decebat; ad exemplum Tibulli ſui, quem imitatur, lib. I. El. 3. ỷ. 5.
Abſtineas mors atra, precor, non hic mihi mater,
Quae legat in maeſtos oſſa peruſta ſinus.
Non ſoror, Aſſyrios cineri quae dedat odores,
Et fleat effuſis ante ſepulcra comis.
& lib. III. El. 2. ỷ. 11. ſeqq.
Ante meum veniat longos incomta capillos,
Et fleat ante meum moeſta Neaera rogum.
Sed veniat carae matris comitata dolore,
Maereat haec genero, maereat illa viro.
hujus etiam voti compos factus eſt Tibullus, & mortis illud ſolatium habuit, teſte Ovidio in ejus Epicedio lib. III. Am. El. 9.
Hic certe manibus fugientes preſſit ocellos
Mater, & in cineres ultima dona tulit.
Hic ſoror in partem miſera cum matre doloris
Venit, inornatas dilaniata comas.
Cumque tuis ſua junxerunt Nemeſiſque priorque
Oſcula, nec ſolos deſtituere rogos.
veteres enim grave admodum & infelix putabant a cognatis & conſanguineis funera ſua non defleri. Ovid. III. Triſt. El. 3. ỷ. 40. & ſeq.
Nec mea conſueto langueſcent corpora lecto,
Depoſitum nec me qui fleat, ullus erit?

Ad mea ſi quando venietis buſta ſodales,
  Qua procul occiduo litora ſole tepent:
Eſte mei longum memores, requiemque precati,
  Spargite pallentes ante ſepulcra roſas.
Et facite ut cineri Lotos mea praebeat umbram,
  Carmen & in viridi cortice tale gerat:
ANTE DIEM VATES CONSUMTUS MORTE SECUNDUS
  HIC SITUS EST: DICTA PACE VIATOR ABI.

EL E-

Nec, dominae lacrimis in noſtra cadentibus ora,
  Accedent animae tempora parva meae.
Nec mandata dabo, nec cum clamore ſupremo
  Labentes oculos condet amica manus.

& hae perpetuae etiam apud recentiores poëtas querelae ſunt. eleganter Franc. Marius Molſa in Elegia ad ſodales in morbo gravi ſcripta T. I. Poët. Ital. Toſcani p. 47.

Vobiscum labor hic fuerit, quando bis procul oris
  Ignota heu noſtri funeris uxor abeſt.
Uxor abeſt, noſtrique diu ſtudioſa videndi
  Pro reditu patriis dona vovet laribus.

Paulus Panſa in Epicedio Molſae, ibid. p. 57.

Uxor abeſt miſera, infelix, quae juſta parentet
  Ingrata, & peragat funeris exſequias.
Uxor abeſt miſeranda, licet nec figere labris
  Oſcula, nec fugientem excipere ore animam.

Flaminius lib. II. Carm. VII. pag. 66.

At me, dum terras & vaſta per aequora curro,
  Si vocet in Stygiam pallidus Orcus aquam,
Quis tumulum faciet? tumulo quis triſtia libans
  Dona, peregrinas flebit ad inferias?

quae adhaerent illis Tibulli lib. II. El. 4. ỷ. 43.

Seu tibi mors veniat, neque ſit qui lugeat ullus,
  Nec qui det moeſtas munus in exſequias.
At bona quae nec avara fuit, centum licet annos
  Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.
Atque aliquis ſenior, veteres veneratus amores,
  Annua conſtructo ſerta dabit tumulo.

Baſilius Zanchius lib. VI. Poëm. p. 160.

Non tibi quae claudat morientia lumina mater,
  Nullus adeſt lacrimis qui riget ora piis.
Nec patriae comites fuſo per colla capillo
  Ultima funeribus dona dedere tuis.

Janus Secundus lib. I. Funer. pag. 189.

Nec frater muto perſolvit juſta ſepulcro,
  Nec ſoror, effuſas praeſecuitque comas.
Nec longe ante alios infeliciſſima mater,
  Lenivit morbi taedia longa tui.
Et cum ſupremae tetigit confinia metae,
  Ore ſuo vitam carpſit ab ore tuo.
Luminaque occluſit longo damnata ſopore,
  Et dixit Morti, cur mihi tarda venis?

alia vide his ſimilia e veteribus apud Ciofan. & Salvagn. ad Ovidii Ibin ỷ. 165.

Elegia VI.

AD MONTEM PESSULANUM.

Cum eam urbem ſtudiorum gratia cum Stibaris inviſeret.

Hoſpes in hanc venio, Muſis comitantibus, urbem.
  Eſte ſalutati Dîque Deaeque loci.
Vos mihi foecundi montes, agrique ſalubres,
  Utiliter viſae vos mihi ſitis aquae.
Si quis & hic novit nomen patriaeque meumque,
  Manſuetam feſſo porrigat ille manum.
Tarda quod inſolito moveo veſtigia paſſu,
  Huc procul a Ligeris fecimus amne viam.
Quod niger in facie color eſt, ſol ora peruſſit.
  Quod ſedet in reliquo corpore pallor, amo.
Cincta quod Aonia non ſunt mea tempora lauro,
  Non ego Caſtalio fonte poëta bibi.

Sit

* Eleg. VI. Habetur haec Elegia in Ed. Voegeliana pag. 194. praefixa ſimplici inſcriptione Ad Montem pessulanum.

ỳ. 1. *Muſis comitantibus*] *paucis comitantibus* Ed. Voeg.

2. *Eſte ſalutati*] vide ſupra lib. 1. El. XI.9.

7. *Tarda quod*] Audi Ovidium 3. Triſt. El. 1. 11.

Clauda quod alterno ſubſidunt carmina verſu,
Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit &c. Hoogstr.

10. *Quod ſedet*] Ex praeceptis Ovidii 1. de Arte 729.

Palleat omnis amans: hic eſt color aptus amanti.

Jacobus Wallius elegantiſſimus poëta, nec ipſis antiquis minor, in Elegia quadam ad Aloyſium Lauenbach: lib. II. El. 6.

Nec modo tam palles, quod ſint ſine ſanguine venae,
Quam quod, ut eſt proprius pallor amantis, ames. Hoogstr.

Sit mihi fas celebres ab Apolline ſcandere colles,
Sit mihi fas ſacro ponere monte pedem.
O, mihi qui monſtret cultus, habitusque locorum,..
Atque aliquid miri ſi novus orbis habet.
Sic ego: ſic unus veteris non inſcius aevi,
Certior hinc, nam te novimus (inquit) eris.
Hic tenet a Volcis nomen lacus, herbifer illic
Setius aëriis mons petit aſtra jugis.
Hic coetus hominum Delphines adire ſolebant,
Inter & errantes ludere ſaepe rates:

Hic

14. *Sit mihi fas ſacro ponere monte pedem*] ex hoc verſu & initio Elegiae ſua deſumſit David Sigism. Caſſovius Itin. Germ. & Sarm. p. 587.

Eſte ſalutati colles, Muſaeque, Deaeque,
Sit mihi fas veſtra ponere in urbe pedem.

15. *Cultus habitusque*] *cultusque habitusque* Ed. Voeg.

19. — *herbifer illic Setius aëriis mons petit aſtra jugis*] *herbiferum Setium* cur adpellet noſter hunc montem, optime docemur ab Hagio in vita Lotichii pag. 102. huj. Edit. ubi itinera ejus Gallica deſcribens narrat quomodo vetuſtum hunc montem herbis plantisque memorabilem conſcenderit, ac rariora plantarum genera comitibus Carolo Cluſio, Iſaco Cellario, Georg. Scheto, aliisque, in eo conquiſiverit. *pinifer* Setius dicitur Avieno in Ora Maritima ℣. 595. pag. 307. Ed. Pith.

— *Setius inde mons tumet*
Procerus arcem, & pinifer. Setii jugum
Radice fuſa inusque Taurum pertinet.

ita diſtinguendum & legendum. *Fecyi jugum* vitioſe in editione Pithoeana; aliter hos verſus emendat Iſ. Voſſius ad Melam lib. II. cap. 5. ubi tamen *Taſrum* pro *Taurum* quod exhibeat, neſcio an ex antiquo codice an ex ejus conjectura ſit. Sed id nunc non agimus. *piniferum* quod vocet Avienus Setium, & arce *procerum*, egregie illuſtrat Petrus de Marca lib. I. Marcae Hispan. cap. 10. ubi docet arcis iſtius rudera adhuc exſtare, ſuper quibus deinde caſtrum exſtructum fuit, ſed hodie ruinoſum. *piniferum* denique fuiſſe usque ad an. 1622. quando milites Henrici Montmoranciorum Ducum ultimi omnes montis hujus arbores piniferas exſciderunt. Ceterum quod addit hic Lotichius de luſu Delphinum circa hunc montem, idem quoque memorat Joh. Iſacius Pontanus in Itinerario Galliae Narbonenſis lib. I. Poëmat. pag. 12. nam haec in prima Itinerarii illius editione non leguntur:

Quid memorem hic variis qui vernat Setius herbis,
Setius aërio ſurgens ad ſidera colle?
Cujus & Auſonia litus contunditur unda;
Illic ſaepe licet, juvat & vidiſſe frequentes
Ludere Delphines ſquamoſaque ſecla ferarum.

non aliter certe, ac ſi hunc Lotichii locum ſibi imitandum propoſuiſſet.

20. *Setius*] *Meſua* dicitur Pomponio Melae l. 2. 5. 34. ubi vide Voſſium p. 180.
Hoogstr.

Hic egere vagos nautis in retia pisces,
  Ad vada cum lato prosiluere mari.
Inde petens laevam, fuit haec solidissima tellus,
  Nunc sinus, haec Marius litora fodit, ait.
Solis ad occasum Pyrene, Solis ad ortum
  Spumifer Alpinas Isara volvit aquas.
Arverni Boream spectant, septemque Triones,
  Imbriferum litus Massiliense Notum.
Talia, me ducens per singula, rettulit unus:
  Rettulit & mores gentis, & urbis opes.
Grande viae pretium: nec poenitet aëris aestus,
  Nec toties mistos imbre tulisse Notos.

23. *Hic egere*] Plinius lib. IX. cap. 8. *Est provinciae Narbonensis & in Nemausiensi agro stagnum Laterra appellatum, ubi cum homine delphini societate piscantur.* HOOGST. illustrabunt hos versus, quae ad rem ipsam, & loci hujus Pliniani emendationem scripsit Rondeletius lib. XVI. de Piscib. 8. pag. 470.

25. *Inde petens*] In oculis habuit Elegiam I. lib. 3. Tristium Ovidii, e qua jam produxi aliqua, quae noster imitatus est. Sic rursus Naso ✝. 31.

Inde petens dextram, Porta est, ait, ista Palati. HOOGSTR.

Ibid. *Fuit haec solidissima tellus, Nunc sinus, haec Marius litora fodit*] Est haec descriptio Fossarum Marianarum, quae quia ductae fuisse dicuntur per campos lapideos, inde hic addit, *fuit haec solidissima tellus.* Hoc enim illud ostium est, in quod Marius maximam Rhodani partem derivavit, ut Massiliensibus gratificaretur: describit Plinius lib. III. cap. 4. *ultra fossa ex Rhodano C. Marii opere & nomine insigne stagnum Astromela, oppidum Maritima Avaticorum.* & Pomponius Mela lib. II. cap. 5. *Inter eam* (Massiliam) *& Rhodanum Maritima Avaticorum stagno assidet. Fossa Mariana partem ejus amnis navigabili alveo effundit. alioquin litus ignobile, & Lapideus, ut vocant, campus.* sic enim locum utrumque constituit Casaubonus in notis ad Strabon. lib. IV. pag. 86. b. Ed. Par. longe etiam eruditiora sunt quae de his fossis Marianis ad Melam observavit Isacus Vossius, quam quae ante illum Joach. Vadianus: & recte refutat illos, qui fossas has ad Camaricam vel Camargam (quasi Caji Marii agrum) fuisse existimant, quod jam inprobavit Ortelius in Thesauro Geographico in *Fossa Mariana.* Vide Menag. Dictionair. Etymolog. pag. 152. & adde de his Celeb. Wesseling. ad Antonin. Itiner. p. 299. describit etiam Jacobus Sannazarius lib. III. El. I. ✝. 173.

Denique Phocaicosque sinus, Marioque refossum
Litus, & antiquae moenia Massiliae.

ubi miror Broukhusio in curis secundis idem placuisse de Camargua.

27. *Solis ad occasum* &c.] hoc & sequens distichon desideratur in Ed. Voeg.

28. *Isara volvit*] Lucanus corripit primam hujus vocis syllabam lib. I, 399.

Hi vada liquerunt Isarae, qui gurgite ductus
Per tam multa suo &c. HOOGSTR.

Ipſe recedentes (quis poſſet credere?) Phoebus
  Jam caput Haemonii per ſenis urget equos.
Arva tamen placidi fovet indulgentia coeli,
  Blandaque ceu primi tempora veris eunt.
Gramina nec campis deſunt, nec montibus umbrae,
  Eſtque ferax herbis, arboribusque ſolum.
Hic oleae pingues, & amoenis citrus in hortis
  Surgit, & Idaliae myrtus amata Deae.
Et pretium doctis, quorum meruere labores,
  Vatibus, eſt baccis laurus amicta ſuis.
Albaque morus adeſt, nec habet monumenta cruoris
  Sive tui, Thysbe, Pyrame, ſive tui.
Malaque proveniunt bene olentibus aurea ramis,
  Mala vel hibernis menſibus apta legi.
Quaeque maris rubri puras imitantia gemmas,
  Lucida pallenti cortice grana tegunt.

Nec

37. *Indulgentia*] *Clementia* Ed. Voeg. male, & contra metrum.

39. *Gramina nec campis deſunt* &c.] Confer cum his & ſequentibus Joh. Iſaaci Pontani Itinerar. Galliae Narbonenſ. pag. II. & ſeqq. ubi Monpelii laudes, & eorum, quae ibidem tam promiſcue quam in horto Regio naſcuntur: tum Append. Notar. pag. 78. vide & Hagium in vita Lotichii pag. 95.

49. *Quaeque maris rubri puras imitantia gemmas,*
Lucida pallenti cortice grana tegunt]
Mala Punica, Granata vulgo dicta, circumſcribit his verſibus, in quibus adparet imitatio Ovidiana lib. v. Met. ℣. 537.

Puniceum curva decerpſerat arbore pomum
Sumtaque pallenti ſeptem de cortice grana
Preſſerat ore ſuo.

& Faſt. IV. 603.

Rapta tribus, dixit, ſolvit jejunia granis,
Punica quae lento cortice poma tegunt.

qui verſus etiam occurrit lib. IV. ex P. El. I. 58. mala Punica deſcribuntur in carmine Avieni, quod habetur in Catalect. Pithoei lib. IV. p. 157. Sed omnium elegantiſſime Jac. Sannazarius lib. II. Eleg. X. cujus iſta comparanda ſunt cum hac deſcriptione Lotichiana: v. 37. & ſeqq.

Ergo Puniciae laus haec & gloria ſilvae,
Vincere gemmiferi lucida dona maris:

Pallen-

Nec virides desunt, victorum praemia, palmae,
  Nec tiliae molles, Heliadumque nemus.
Te tamen in primis referam, dulcissima Lotos.
  Carmina tu succis inbue nostra tuis.
Quam juvat hos circum frondoso vertice colles
  Visere, & intacto cingere flore comam!
Ros maris, & nardi passim redolentis aristae,
  Et thyma, junipero cum bicolore, virent.
Grataque se vertens ad euntis lumina Solis,
  Unde sui caussam nominis herba tulit.
Quaeque licet rivis gaudens, adspergine nulla
  Uda fit, aut pluviis tacta madescit aquis.

Pallentique graves depellere corpore morbos,
Aegraque Poeoniis ora levare modis.
Quod nec Erythraei praestabunt litora ponti,
Non opibus pollens Indica terra suis.

operose autem de malis Punicis agit Bodaeus a Stapel in Comm. ad Theophrast. Hist. Plant. pag. 390. & seqq. & Lud. Nonnus lib. I. de Re Cibar. cap. 37.

53. — *dulcissima Lotos,*
Carmina tu succis inbue nostra tuis] ad hos versus respicit Paulus Melissus in Epigrammate ad Lotichium nostrum, quod legitur in ejus Schediasm. Poët. pag. 256.

Alloqueris Veneri Loton quid, Petre, sacratam,
Succis ut imbuat suis
Versus tuos suavissimos.
Quin tua sunt dulci mage dulcia carmina Loto:
Nemo negaverit, nisi
Gustata cui non Lotos est.

& passim *loton* in carminibus suis adlusione nominis ductus, ut opinor, celebrat Lotichius. & hinc sibi defuncto loton optat cineri suo umbram daturam supra El. 5. prope fin:

Et facite, ut cineri Lotos mea praebeat umbram,
Carmen & in viridi cortice tale gerat.

de duabus loti speciebus v. Is. Vossii notas ad Scylacem p. 114. Ed. Gron.

59. *Grataque se vertens ad euntis lumina solis*] Est descriptio heliotropii, de quo vid. ad lib I. Carm. VI. sequenti disticho Adiantum, seu Veneris capillum, intellige. vid. G. Fabricii Supplem. Chron. Misnens. pag. 352. ubi hos versus profert. nominis rationem, quia nulla aquae adspergine madesiat adianthum, optime exponit Scholiastes Theocriti ad Idyll. XIII. ỷ. 41. licet id tantum de imbre coelesti tradat Nicander in Theriac. ỷ. 845. ubi vide Scholiasten p. 39. in caussam hujus rei naturalem, Plinio praetermissam, inquirit Cael. Calcagninus lib. II. Epistolic. Quaest. XI.

Nec minus, in medio quam Stoechades aequore gignunt,
Et quae juncofum plurima litus amant.
Nec ferrugineus, Tyriove fimillimus oftro
Flos tener, Oebalio fanguine tinctus, abeft.
Nec croceum cingens Narciffus floribus albis,
Atque fuo pulcher natus Adonis avo.
Quaeque aliae (nec enim cunctas nunc perfequar) herbae
Nomina non Elegis mollibus apta gerunt.
Quid varios pifces, & nata corallia ponto
Eloquar, & conchis oftrea tecta fuis?
Ille fed aequoreae numerum fubducat arenae,
Qui volet undivagos enumerare greges.
Adde facros fontes, & quo vos carmine dicam,
Aemula Gnofiaco dulcia vina mero?
Te quoque, Laede, canam, tacitis qui leniter undis
Dividis hanc, nullo vertice tortus, humum.
Te Dryades, Nymphaeque colunt, adfuetaque ripis
Multa fuo fluvium gutture mulcet avis.

Hic

63. *Nec minus in medio quam Stoechades aequore gignunt*] Innuit herbam Stoechadem, cui nomen dederunt infulae Stoechades e regione Maffiliae. Forte Plinium refpexit nofter lib. XXVII. cap. 12. fub finem. *Stoechas in infulis tantum ejusdem nominis gignitur, odorata herba, coma hyffopi, amara guftu.* erudite de herba Stoechade, & infulis hujus nominis agit Bodaeus a Stapel ad Theophraft. Hift. Plant. lib. VI. pag. 670 & 671.

71. *Quid varios pifces* &c.] diftichon hoc cum fequenti non legitur in Ed. Voeg.

75. *Sacros fontes*] *maris pifces* Ed. Voeg.

77. *Te quoque, Laede, canam* &c.] Ex Tibullo lib. I. El. 8. 13.

Ante, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Caeruleis placidus per vada ferpis aquis.

ut notavit Richterus in Specim. Obferv. Critic. pag. 49.

Hic igitur ſuaves captare juvabit odores,
  Purpureo flores hic ego vere legam.
His ego vitabo rapidos in vallibus aeſtus,
  Terra ſub aeſtivum dum ſitit uſta Canem.
Salve dives opum regio, tibi Delphica tellus
  Cedat, & in mediis candida Delos aquis.
Urbs ſalve, cujus nomen ſinus ultimus orbis
  Audit, & exoriens occiduusque dies.
Te propter tantos libuit perferre labores.
  Tu requies Muſis, tu decus omne, meis.

82. *Flores*] *violas* Ed. Voeg.

83. *His ego vitabo rapidos in vallibus aeſtus* &c.] *collibus* Ed. Voeg. eſt imitatio illius Tibulliani lib. 1. El. 1. 49.

Jam modo non poſſum contentus vivere parvo,
Nec ſemper longae deditus eſſe viae:
Sed Canis aeſtivos ortus vitare ſub umbra
Arboris, ad rivos praetereuntis aquae.

infra noſter El. ſeq. ℣. 21.

Nec calidos vitans aeſtivi ſideris ortus
Conſcia deliciis incolet antra ſuis.

84. *Dum ſitit*] *ſinit* vitioſe in vulgatis.

85. *Tibi Delphica tellus Cedat*] *cui D. t. Cedit* Ed. Voeg.

89. *Te propter tantos libuit perferre labores*] hunc quoque locum imitatus eſt Dav. Sigismundus Caſſovius in Itin. Germ. & Sarm. p. 587.

90. *Requies Muſis, tu decus omne, meis*] *Requies curis una futura meis* Ed. Voeg.

ELEGIA VII.

AD DEOS MARIS.

In funere Delphini.

DI maris, & virides, quas ſunt penes aequora, Nymphae,
Ad bibulum madidis litus adeſte genis.
Ille decus pelagi, veſtro ſub numine Delphin
Coeruleas, ſubita morte, reliquit aquas.
Et nunc, ecce, jacet refluis inhumatus arenis.
Vix dedit ejecto funeris alga locum.
Quid benefacta juvant? quid non rationis egentem
Eſſe? quid aequoreos non violare Deos?

Num

ELEG. VII. *In funere Delphini*] Confer cum tota hac Elegia Naſonis carmen in mortem Pſittaci, quod habetur lib. II. Am. El. 6. unde utriusque poëtae elegans artificium admirari licebit. Lucem praeterea accipiet haec Elegia, ſi legantur, quae de Delphinis notarunt e veteribus Plinius lib. IX. cap. 8. & Plinius Junior lib. IX. Epiſt. 32. Gellius lib. VII. cap. 8. ad quem vide Ph. Caroli notas p. 364. Tzetzes Chiliad. IV. p. 58. & e recentioribus Rondeletius lib. XVI. de Piſcibus cap. 8. Schefferus in notis ad Aelianum pag. 393. Camerarius in Medit. Hiſt. Cent. 2. cap. 83. Joh. Capacius in Hiſtor. Puteolana cap. XVIII. pag. 87. & multa egregia de Delphino Broukhuſ. ad Tibull. lib. I. El. 6. ✝. 10.

1. *Quas ſunt penes aequora*] Eſt ex Propertio lib. III. El. 5. II.

Di maris, Aegei quos ſunt penes aequora, venti.

unde patet male hic in vulgatis edd. legi, *quae ſunt penes aequora.* & hinc etiam deceptus fuit Joh. P. Lotichius lib. II. El. I. p. 42. ubi hunc locum ita imitatur:

Vos ego, quae virides eſtis penes aequora, nymphae,
Et maris occultas ſemper amatis aquas.

6. *Subita morte reliquit aquas* &c. *Vix dedit ejecto funeris alga locum*] Haec reſpiciunt opinionem veterum, qui credebant Delphinos in litus ejectos ſubita morte extingui. Ovid. Epiſt. XIX. 199. & ſeqq.

Hic ego ventoſas nantem Delphina ſub undas
Cernere non dubia ſum mibi viſa fide.
Quem poſtquam bibulis illiſit fluctus arenis,
Unda ſimul miſerum vitaque deſtituit.

Plinius lib. IX. cap. 8. *Solent in terram erumpere incerta de cauſſa, & ſtatim tellure tacta moriuntur.* ubi Pintianus legit, *Nec ſtatim. tellure tacta moriuntur.* ideſt *nec ſtato tempore, ordinario:* quam emendationem probat, veterumque diverſa teſtimonia adfert Barthius in notis ad Statium lib. I. Achil. 227. vulgatam tamen probaſſe videtur Rondeletius d. l. p. 469. qui rem ipſam ab experientia refutari, & falſam eſſe docet.

Num minus exanimem verſant in litore fluctus?
  Saevaque turbati verberat unda maris?
Non ſenior potuit Nereus, non optima Tethys
  Ferre, nec Oceanus, quam meruiſſet, opem?
Vivit atrox Xiphias, ducitque per aequora ſulcos.
  Ille tamen curvas mergit in ima rates.
Vivit & Echneïs, medio quam navita ponto
  Saepe ſtupet totis claſſibus eſſe moram.
Occidit innocuus tumidarum rector aquarum:
  Optima cum pereant, deteriora manent.
Non iterum, vitreas exercens luſibus undas,
  Tranſiliet rapido carbaſa tenſa Noto.

Nec

9. *Num minus exanimem* &c.] vide ad lib. v. El. 19. ℣. 127.

11. *Non ſenior potuit Nereus* &c.] Deos maris ſimili colore incuſat Ovid. II. Am. XI. 35.

Veſtrum crimen erit talis jactura puellae,
Nereïdesque Deae, Nereïdumque pater.

13. *Vivit atrox Xiphias* & ſeqq.] bono cum judicio totus hic locus aemulatione feliciſſima adumbratus eſt ex illis Ovidii in mortem Pſittaci lib. II. Am. El. 6. ℣. 33.

Vivit edax vultur, ducensque per aëra gyros
Miluus, & pluviae graculus auctor aquae.
Vivit & armiferae cornix inviſa Minervae,
Illa quidem ſeclis vix moritura novem.
Occidit ille loquax, humanae vocis imago,
Pſittacus, extremo munus ab orbe datum.
Optima prima fere manibus rapiuntur avaris;
Implentur numeris deteriora ſuis.

atrocem Xiphiam vocat, quem *durum* Ovidius in Halieut. ℣. 97. ubi & de Echeneide:

Parva Echeneïs adeſt, (mirum) mora puppibus ingens.

utrumque ita deſcribit Sannazarius in Eclog. V. ℣. 56.

Huc huc, qui rigida meditaris vulnera cauda
Sive trigon, & tu, proprium cui ſiſtere naves
Veliferas, echeneïs, adeſte: & Maeonis acres
Tu retinere pedes, tu figere corda labora.

trigon enim Xiphias eſt, ut ex Plinio ad Ovidium notavit Ciofanus. de xiphia legi meretur Rondeletius lib. VIII. cap. 15. & de echeneïde lib. XV. cap. 18. *Vipera parva* echeneis vocatur Balthaſari Caſtilioneo Elegia illa praeclara, qua monſtra marina deſcribit ad puellam in litore ambulantem, inter Carm. quinque Illuſtr. Poëtar. pag. 82. b. Ed. Florent.

Saepe etiam fundo morſu ſubfixa tenaci
Detinet invitam vipera parva ratem.
Illa inmota manet, medio licet incita curſu,
Intendantque leves lintea plena Noti.

19. *Non iterum, vitreas exercens luſibus undas,*
Tranſiliet rapido carbaſa tenſa Noto.] Eleganter deſcribit Seneca in Agamemn. ℣. 449. & ſeqq.

Tunc

Nec calidos vitans aeſtivi ſideris ortus,
Conſcia deliciis incolet antra ſuis.
Nec dulces natos, veteresque reviſet amores:
Flebile nempe jaces, magne natator, onus.
Hoc tamen infelix mortem ſolabere, quod te
In ſolida poſitum vita reliquit humo.
Non tua diripient ſub gurgite viſcera piſces,
Haerentem ſcopulis non fera tundet hiems.
Te quoque credibile eſt auſum ſperare ſepulcrum,
Liqueris aequoreas cum moriturus aquas.
Sit, quodcumque volet: ſub adeſi vertice montis
Hic ego te manibus contumulabo meis.
Proſit adhuc, vaſtas olim Delphina per undas
Lesbida cum ſacro vate tuliſſe lyram.

Saepe

Tunc qui jacent · r c·proxcus ludit ſalo,
Tumidumque pando tranſilit dorſo mare
Tyrrbenus omni piſcis exſultat freto,
Agitatque gyros, & comes lateri adnatat,
Anteire naves laetus & rurſus ſequi:
Nunc prima tangens roſtra laſcivit chorus
Milleſimam nunc ambit & luſtrat ratem.

ubi *piſcis* per excellentiam vocatur Del-
phin. de quo v. Broukh. ad Tibull. d. l.
hinc de Delphino Plinius lib. IX. cap. 8.
obviam navigiis venit, alludit exultans, cer-
tat etiam, & quamvis plena praeterit vela.
ſupra noſter El. VI. ✝. 21.

Hic coetus hominum Delphines adire ſolebant,
Inter & errantes ludere ſaepe rates.

Marius Molſa in Carm. Poët. Ital. Toſcani T. I. pag. 42. b.

Quos circum exciti ludant delphines in orbem,
Et Pœrci aſſultet curva per antra chorus.

tales Delphinum ludentes choros oculatus teſtis magna cum voluptate aliquando vidit Illuſtris Aug. Busbequius in litore Selimbriae inter Conſtantinopolim & Hadrianopolim, ut ſcribit in Epiſt. 1. Legationis Turcicae pag. 49.

23. *Nec dulces natos* &c.] de Delphinorum amore erga catulos ſuos praeter Aelian. lib. X. de Anim. cap. 8. ita Plinius lib. IX. cap. 8. *Agunt vera conjugia, pariunt catulos decimo menſe, nutriunt uberibus, atque etiam geſtant foetus infantia infirmos. Quin & adultos diu comitantur, magna erga partum charitate.* ſic recte Pintianus, non *agunt vere conjugia.* & ita Rondeletius lib. XVI. de Piſcibus cap. 8. pag. 462. quamquam aliter Salmaſius ad Solinum T. I. pag. 130.

33. *Proſit adhuc*] vid. ſupra ad El. IV. 25.

34. *Lesbida cum ſacro vate tuliſſe lyram*] ex Ovidio lib. II. Faſt. ✝. 82. de Delphine.

Quem modo coelatum ſtellis Delphina videbas,
Is fugiet viſus nocte ſequente tuos.

Seu

Saepe dabunt gemitus volucres ad busta marinae,
Et tibi serta Thetis Nereïdesque ferent.
Quique rigat juxta factum de cautibus antrum,
Grata quies umbrae fons erit iste tuae.
Saepius ingrediens antiquos navita portus
Hauriet hic dulces, te veneratus, aquas.
Sive tamen gelidae mulcent te litoris aurae,
Atque sub his gaudes nunc habitare jugis:
Seu colis Eridani ripas, sine vortice cujus
Lenta per Elysium volvitur unda nemus:
In gremio, Delphin, recuba telluris amatae
Molliter, & cineres saepe revise tuos.

Seu fuit occultis felix in amoribus index:
Lesbida cum domino seu tulit ille lyram.

Propertius lib. II. El. 20. 17.

Sed tibi subsidium Delphinum currere vidi,
Qui puto Arioniam vexerat ante lyram.

noster supra lib. I. El. 5. ℣. 53.

Culmen & adscendit, qui vexit Ariona, Delphin.

illustrabit haec achates antiquus, in quo Arion delphino insidens & citharam tangens, adjuncto tridente, conspicitur apud Gorlaeum in Dactylioth. Ann. 53.

36. *Et tibi serta Thetis*] in vulgatis vitiose *Tethys*: quod carminis legibus adversatur, quippe cujus prima producitur. id certe non monerem, nisi recentiores poëtas scirem utramque vocem male saepe confudisse, & in metrum peccasse: distinctionem utriusque bene notavit Barthius ad Stat. I. Achill. ℣. 29. apud Virg. Ecl. IV. ℣. 32. male nonnullae editiones antiquae habent: *Quae tentare Tethyn ratibus.* cum *Thetin* in Mediceo codice legatur. recte igitur Vossius lib. II. Art. Gram. cap. 33. monuit in versibus illis, qui leguntur apud Hyginum Fab. 177. scribendum esse:

Oceano prohibet semper se tinguere Tethys.

non *Thetis*. neque audiendi sunt libri veteres apud Ovid. V. Fast. 22.

Et Thetys extremo saepe recepta loco est.

recte enim ediderunt viri docti *Tethys &* *extremo* &c. apud Pindarum Thebanum Epitome Iliados ℣. 82. legitur in illis, quas vidi, editionibus; ubi de Achille;

Invocat aequoreae Pelides numina matris,
Ne se plus Thetis contra patiatur inultum:
At Thetis, audita nati prece, deserit undas.

metro bis male variato in duobus versibus: emendandum igitur est,

Ne se plus Tethys contra patiatur inultum.
Tethys at audita nati prece &c.

neque hic opem ferunt duo Leidenses codices, quos aliquando conparavi, neque Vossianus ab Heinsio collatus; at in codice meo satis antiqua manu exarato, quem nuper nactus sum, versus hi literis fere evanescentibus legebantur, quantum adsequi potui:

Evocat aequoreae Pelides numina matris,
N̄ se pl' peus p̄cem paciat ī ultum.

unde feliciter emaculare licet,

Ne se plus Peleusque pater patiantur inultum.
At Thetis audita &c.

ELEGIA VIII.

AD

GREGORIUM SCHETUM.

De Natali suo.

Schete, meus natalis adest: felicibus, opto,
  Auspiciis servent hunc mihi fata diem.
Hoc ego vitales hausi vagitibus auras,
  Primaque stirps sexu de meliore fui.
Nec tantum rosei pulchras in luminis oras
  Contigit hac primum tollere luce caput:

Abluere

37. *Factum de cautibus antrum*] Cogitabat, ni fallor, illud Ovidii lib. I. Met. 575.

— haec sunt penetralia magni
Amnis, in hoc, residens facto de cautibus antro,
Undis jura dabat, Nymphisque colentibus undas.

43. *Sine vortice cujus*] Ita rectius quam *vertice*. utrumque enim differre, & tam de ventorum quam undarum impetu dici videbis in notis Bonav. Vulcanii ad Aristotel. de Mundo p. 104 & 105.

46. *Et cineres*] sic fere elegantissimus Wallius lib. I. El. 6. ✝. 10.

Huc ades, & cineres laeta revise tuos..

HOOGSTR.

ELEG. VIII. AD GREGORIUM SCHETUM *de Natali suo*] Conferenda est haec Elegia cum alia ejusdem argumenti ad Georg. Cracovium, quae in sola editione Voegeliana legitur, sed in aliis omissa est; in qua multa leguntur eadem; sed haec lima mordaciori castigata est; ad eumdem hunc Schetum habemus infra lib. I. Carm. XIX. & lib. II. Carm. 5. Ceterum aliter & brevius natalis sui signa describit noster lib. I. El. I. ✝. 45. ubi vide notas. Adscribenda enim est haec poëtica schematis sui Genethliaci descriptio mori ac superstitioni istius temporis, quo praesertim in Germania plurimum adhuc tribuebant Astrologiae, ut vocant, judiciariae, quae de fatis hominum ex positu astrorum circa eorum natales augurabatur. Artem hanc Genethliacam irridet Claudianus Epigr. XXV. & XXVI. in Curetium; ad quem legi merentur quae animadvertit Galeottus Martius de Doctrin. Promisc. cap. XXXII. his similia sunt quae de signis natalitiis Melanchthonis canit in Elegia in ejus obitum lib. IV. El. 4. ✝. 79. & seqq. & cum hoc Lotichii carmine comparanda est ejusdem argumenti Elegia Georgii Sabini ad P. Bembum scripta, quae exstat in ejus Poëmatibus lib. III. Eleg. I. & vide quae notavit Th. Crusius ad P. Albini vitam G. Sabini pag. 20. & seqq.

3. *Hoc ego vitales hausi vagitibus auras*] similiter Sannazarius lib. II. El. 2. de suo natali:

Haec me vitales genitum produxit in auras,
  Jussit & erectum tollere ad astra caput.

& Johannes Bocerus prooemio Sacrorum Carminum:

Jam mihi labuntur septeni tempora lustri,
  Et duplex iterum ducta recurrit hiems;
Ex quo vitales hausi puer editus auras,
  Non procul a ripis, flave Visurgi, tuis.

Abluere antiquae mala ſed contagia culpae,
Inque ſalutiferis ſumere nomen aquis.
Cingite, Pierides, viridi mea tempora myrto,
Aut maris ornatas rore ligate comas.
Lapſaque ſub terras (nam vos meminiſtis) & orta,
Tempore natalis ſigna referte mei.
Flava pruinoſas Aurora fugaverat umbras,
Enixa eſt utero cum pia mater onus.
Scorpios Eoo ducebat ab orbe recentes,
Purpureum ſcandens aethera, Solis equos.
Et matutinos Cyllenius ante jugales
Utile carpebat, Pleïade natus, iter.
His comes, e pelagi ſurgens natalibus undis,
Alma capiſtratas Cypris agebat aves.

9. *Cingite*] Sic El. XII. hujus libri ℣. 1. *quid vir di cingis mea tempora lauro?* HOOGST.

11. *Lapſaque ſub* &c.] Ovid. 1. Faſtor. 2. *Lapſaque ſub terras, ortaque ſigna, canam.* HOOGSTR.

15. *Scorpios Eoo ducebat ab orbe recentes* &c.] Ita edidi, non *Scorpius*; quia ſic in veterum auctorum codicibus manu exaratis, iisque antiquiſſimis, ubique haberi teſtantur viri docti. Similis fere locus eſt ille Ovidii lib. III. Faſt. 712.

Poſtera cum teneras Aurora refecerit herbas,
Scorpios a prima parte videndus erit.

ubi vide Heinſium, qui tam iſtic, quam lib. IV. 164. & lib. V. 417. veterum librorum auctoritate *Scorpios* reſcribi juſſit. adi Patrui mei notas ad lib. II. Met. 196. & Cel. Oudendorpii ad Lucan. IX. 533. ita in Mediceo codice apud Virg. 1. Georg. 35. ubi vide. & ſic codex Voſſianus in Epigrammatibus antiquis de Signis coeleſtibus, quae habentur apud Pithoeum lib. IV. Epigrammat. Veter. neque aliter in vetuſtiſſimo Petaviano & Scaligerano codice Arateorum Germanici plus ſemel ſcribitur: quorum collationes a Nicolao Heinſio factas nuper benigne mecum communicavit Vir Ampliſſimus & literatiſſimus Joh. van Harn, Ducatus Gelriae & Comitatus Zutphaniae Conſiliarius.

19. — *e pelagi ſurgens natalibus undis, Alma capiſtratas* &c.] forte innuit Venerem Ἀναδυομένην veteribus dictam, quam & Πόντιαν & Πελάγιαν dixerunt, qualem, Mediceam nunc dictam, in perfectiſſimae pulchritudinis inimitabili ſtatua valde celebrata exhibet & illuſtrat Celeb. Gorius in Muſeo Florentino Vol. III. Tab. XXVI. & ſeqq.

Post hanc Phillyrides, jaculis armatus, & arcu,
  Et coeli Aegoceros qui jacet ante fores:
Et puer Iliades, & amantes flumina Pisces,
  E quibus hic Boreae proximus, ille Noto.

Fulva

& seqq. *Capistratas* autem *aves* vocat cycnos vel columbas Veneris currui junctas. ut *tigres capistratas* Ovid. Ep. II. ℣. 80.

Inque capistratis tigribus alta sedet.

adjunctas aves vocat lib. I. Am. 2. 26. illustrabit haec optime monumentum antiquum in Begeri Thesaur. Brandenb. Tom. I. pag. 202. ubi ad Adonin ab apro interfectum e coelo descendens Venus currui insidet, freno agens duas columbas junctas, licet hac in re olores Veneris currui tribuat Ovid. x. Met. 718. idem illud e Begero exhibuit Montfaucon T. I. Antiq. lib. III. cap. 20.

21. *Post hanc Phillyrides, jaculis armatus, & arcu*] Sic in Epigrammate Juliani apud Pithoeum lib. IV. Epigr. vet. de Signis Coelestibus:

Armatusque arcu Chiron, & corniger Hircus.

& in carmine Euphorbi:

Centaurusque minax arcu, & Neptunia proles.

de Chirone ita Germanicus in Arateis ℣. 425.

Hic erit ille pius Chiron (sic vett. codd.) *justissimus omnes*
Inter nubigenas, & magni doctor Achillis.

quem locum vel ideo profero, ut optimam Grotii emendationem *Chiron justissimus* probemus; pro quo in vulgatis, etiam in Morelliana, male legitur *tutissimus.* Firmat hoc Theon in Scholiis ad Aratum ℣. 436. ubi Chironem vocat πάντων κενταύρων λογιώτατον καὶ δικαιότατον. & Scholiastes Germanici ad hunc locum notat: *habitasse Chironem in Pelio monte, inter homines aequissimum.* Ovid. v. Fast. 413.

Nona dies aderat, qua tu, justissime Chiron,
  Bis septem stellis corpora cinctus eras.

alia vide in Comment. Delrii ad Senecae Troades p. 467. itaque correctionem hanc recte in contextu suae editionis expressit Schwartius. unde autem *Phillyrides* dicatur Chiron, patebit ex Servio & Philargyrio ad Virg. III. Georg. 93.

23. *Et puer Iliades, & amantes flumina Pisces,*
E quibus hic Boreae proximus &c.]

Similiter fere apud Germanicum in Arateis ℣. 241.

Hinc ultra gemini Pisces, quorum alter in Austrum
Tendit: Threicium Boream petit alter.

sic scribe ex Petaviano codice. Avienus in Phaenomenis ℣. 550.

— hinc medio signantur sidere Pisces,
Quorum alius rigida consurgit in aëra forma
Celsior, & Boream propior subit alter aquarum,
Troicus haurit aquas funditque uti Ephebus ab urna.

sic locum hunc emendavit Grotius in notis ad Imagines pag. 57. quamquam tertio versu mendum latere arbitror; & forte ex Germanico corrigendum:

— & Boream propior subit, alter in Austrum.

nempe consurgit. & tum versu proximo legendum cum Heinsio:

Troicus haurit aquas quas fundit ephebus ab urna.

ut alter piscis dicatur haurire aquas, quas Aquarius fundit. ut in loco Hygini a Grotio producto: *ore excipiens aquam, quae funditur ab Aquario. Troicus ephebus* illic dicitur, quem *Phrygium ephebum* vocat idem Avienus ℣. 838. *Trojanus puer* in carmine Eusthenii apud Pithoeum in Catalectis lib. IV. p. 141.

Trojanusque puer, geminique sub aethere Pisces.

ubi Pithoeus in margine ex v. c. notat *Troïadesque puer.* quod firmatur a cod. Vossiano, & praetulit Heinsius ad Ovid. Epist. I. 28. & hinc *puer Iliades* Lotichio dicitur.

Fulva ſequebatur, Phrixum, Phrixique ſororem
Per mare quae nitido vellere vexit, ovis.
Torva laboriferi gradiens per cornua Tauri,
Falcifer occiduo ſtabat in orbe ſenex.
Hinc cum fratre pio, felix concordia, Pollux
Ibat, ubi ſedes mors habet atra ſuas.

25. *Fulva ſequebatur, Phrixum, Phrixique ſororem*
Per mare quae nitido vellere vexit, ovis] Illuſtrabit haec locus Epigrammatis antiqui, quod Hilaſio adſcribitur apud Pithoeum, a viris doctis varie agitatus, ubi de ſignorum principe ariete:

Proditor eſt Helles & proditor Europaeus.

pro quo in codd. antiq. bis *portitor* legitur. vide Scriver. ad Martial. lib. IX. Ep. 71. & ſic apud Columellam lib. IX. ✻. 155.

Mox ubi nubigenae Phrixi nec portitor Helles.

ut in vetuſtiſſimo S. Germani codice legitur. Sed rectius forſan Gronovius lib. III. Obſerv. cap. 20. legit:

Proditor eſt Helles, & portitor Europaï.

quod firmari poſſet e Germanico in Arateis ✻. 540.

Nobilis hic aries aurato vellere quondam
Qui tulit in tauros Phrixum, qui prodidit Hellen.

ubi fuit cum caſtigandum putarem,

Qui tulit in Colchos Phrixum &c.

ut apud Manilium lib. IV. 515.

— teſtis tibi Laniger ipſe,
Cum vitreum findens aurato vellere Pontum
Orbatumque ſua Phrixum per fata ſorore
Phaſidos ad ripas & Colchida tergore vexit.

& ſic Germanici verſus adfert Heinſius ad Ovid. V. Faſt. 715. ubi plura de *proditor* an *portitor Helles.* de quo nos operoſius ad Catalecta videbimus. Sed nunc tamen vulgatam apud Germanicum retineo, modo ſcribatur litera majore, *Qui tulit in Tauros Phrixum:* & Colchos intellige. & ita profert Scriverius ad Martialem; & ipſe Heinſius ad Ovid. Ep. XII. 101. Locum vero Manilii ita produximus, ut eum conſtituit Scaliger, pro *Colchida regna* vel *terga revexit.* quod recte quidem recepit editor baccalaureus Delphinicus M. Fayus, ſed cujus ſtupor ludibrium tamen pueris ipſis debet, cum metri ſecurus edidit:

Orbatumque ſua Phryxum per freta ſorore.

quale vitium ſi commiſiſſet novitius artis proſodicae tyro, remittendus eſſet ad Ovid. Ep. XVIII. 143. quem Lotichius noſter videtur reſpexiſſe:

Invidio Phrixo, quem per freta triſtia tutum
Aurea lanigero vellere vexit ovis.

ubi Francius *tergore vexit*, ut in Propertii loco, quem adfert Patruus meus, lib. II. El. 20. 6.

Aurea quam molli tergore vexit ovis.

quibus egregie firmatur Scaligeri apud Manilium emendatio; in cujus verſibus vulgatam *aurato vellere* vel unus ille Germanici locus praeter innumeros alios vindicare poteſt a Cel. Bentleji conjectura *tranavit pectore.*

28. *Falcifer occiduo ſtabat in orbe ſenex*] Ovidius in Ibid. ✻. 220.

Te fera, nec quicquam placidum ſpirantia, Martis
Sidera preſſerunt, falciferique ſenis.

Propertius lib. IV. El. I. 105.

Felicesque Jovis ſtellae, Martisque rapacis,
Et grave Saturni ſidus in omne caput.

vide ſupra ad lib. I. El. I. 45. *Stabat* autem hic more veterum eleganter dixit pro *erat.* quam loquendi formam plurimis antiquorum poëtarum exemplis probat Huetius in notis ad Manilium lib. IV. 547.

29. *Hinc cum fratre pio, felix concordia, Pollux*] Adhaeret Ovidio VIII. Met. 303.

Et cum Pirithoo felix concordia Theſeus.

Jupiter Herculei lustrabat terga Leonis,
Jupiter in medio laetus honore polo.
Saevaque ne rigidus tentaret praelia Mavors,
Ultimus, & duro carcere clausus erat.
Sic vaga per coelum Dîs astra volentibus ibant,
Dulcia qua vitae munera luce tuli.
Protinus infantem mansuetis Phoebus in ulnis
Fovit, & Aonidum, dixit, alumnus eris.
Frondentique torum cinxerunt baccare Musae,
Cederet ut cunis noxa repulsa meis.
Ipsa sed arcani scrutata volumina coeli
Uranie, tales edidit ore sonos:
Salve, parve puer, minus infelicibus annis
Digne puer nasci, non meliore die;

Non

37. *Mansuetus*] Sic vulgatae edd. sed puto *mansuetis* rectius esse.

39. *Torum cinxerunt baccare Musae,*
Cederet ut cunis noxa &c.]

Respexit, ni fallor, Virgilium Ecl. VII. 27.
— *baccare frontem*
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.
de *baccare* herba ad depellendum, ut volunt, fascinum, vide Nannium & Cerdam. ad Virg. Ecl. IV. 19.

41. *Ipsa sed arcani scrutata volumina coeli Uranie*] an forte respexit illud ex carmine Poëtae antiqui de Musis, quod in Catalectis Virgilianis & apud Pithoeum habetur initio lib. II. Epigr. vet.

Uranie numeris scrutatur munera mundi.

ubi ex Petaviano codice *sidera mundi* praetuli in Specim. Catalect. Vet. Poët. p 5. Sed forte vulgatae lectioni propius insisteret *scrutatur moenia mundi.* nam *munia* antiquitus fuit scriptum pro *moenia.* ut *moenire* & *munire.* Sic apud Catullum initio carminis de coma Berenices:

Omnia qui magni despexit moenia mundi,
Qui stellarum ortus comperit, atque obitus.

ubi simili variatione in aliis codicibus *munera mundi*, in aliis *lumina*, ut & in meo cod. Ms. sed recte If. Vossius restituit *moenia mundi*, quem vide. *scrutari* etiam in altero illo Catalectorum carmine, quod Ausonio vulgo tribuitur:

Uranie coeli motus scrutatur & astra.

& saepe hoc verbo utitur Manilius de astrologiae studio, lib. I. ỳ. II.

Jam propiusque favet mundus scrutantibus ipsum.

& lib. IV. 907.

— *propiusque adspectat Olympum*
Inquiritque Jovem, nec sola fronte Deorum
Contentus manet, at coelum scrutatur in alvo,

Non tibi felicem vitam, non fata negarent
Pocula Castaliae (sidera testor) aquae.
Sed male tunc sacros tractabunt secula vates,
Vatibus ereptas miles habebit opes.
Tuque peregrini longis in tractibus orbis,
Multa feres belli taedia, multa viae.
Ingratosque hominum mores, casusque tuorum,
Et sterilem frustra saepe querere fidem.
Non tamen ambitio, nec amor te franget habendi,
Una sed inponet dulce puella jugum.
Nec tibi difficilis Saturni stella nocebit:
Ipse, minax quamvis, Mars quoque mitis erit.
Parce queri, vinces: sed erit mora longa laboris:
Moribus, & fatis cetera mando tuis.
Hactenus, & pura matrem circumtulit unda,
Plausit & argutum candidus omen Amor.

Dica-

59. *Et pura matrem circumtulit unda*] optime expressit illud Virgilii vi. Aen. 229.

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo felicis olivae
Lustravitque viros.

ita recte vindicant viri docti, quos Patruus meus in notis suis laudat, non *circumluit*. *Circumferre* enim hic idem, quod Tibullo *circumlustrare* lib. i. El. 5. ℣. 11.

Ipseque ter circum lustravi sulfure puro,
Carmine cum magico praecinuisset anus.

quod non animadversum Scaligero fraudi fuit, qui legebat *te circum*; sed merito refutatus Joh. Meursio in Exerc. Crit. P. ii. lib. ii. c. 17. qui id bene adserit & hoc Virgilii loco illustrat: ad quem Servius profert e Plauto: *Pro larvato te circumferam*: quae verba cum hodie apud Plautum, ita ut ea laudat, non reperiantur, hinc inter fragmenta Plauti relata sunt. vid. pag. 1139. ed. Gronov. Sed forte contraxit Grammaticus, vel ejus interpolator, locum ex Amphitr. 2. 2. 144. *Quaeso quin tu istanc jubes pro cerrita circumferri*: & librarius adscripsit postea *pro larvato*, vel *larvata*, tamquam glossema *cerritae*, quod idem ac larvatae, ut Menaecchm. v. 4. 2.

Num larvatus aut cerritus? fac sciam.

hanc autem conjecturam vel ideo adposui, quia video verba illa Servii, addito Plauti loco, ita etiam proferri a Casaubono ad Theophrast. p. 293. ubi significationem verbi

Dicamus bona verba, Deus regit aſtra, feruntur
Illius arbitrio ſidera, terra, fretum.
Illum ſupplicibus verbis venerabor, ab illo
Et decus, & probitas, & bona fama venit.
Vivamus dum fata ſinunt, & amemus amici.
Quis ſcit an haec umquam ſit reditura dies?

Ipſe

verbi *circumferre* pro luſtrare ac purgare, ritumque ipſum erudite exponit. cujus tamen notam nimis aperte deſcripſit Lomeierus de Luſtrat. Gentil. cap. xxxv. init.

60. *Plauſit & argutum candidus omen Amor*] ex Propertio lib. II. El. 2. 34.

Num tibi naſcenti primis, mea vita, diebus
Aureus argutum ſternuit omen Amor.

quo in loco *Candidus*, ut a Macrobio profertur, pro *Aridus*, quod olim in vulgatis inepte legebatur, hic probaſſe videri poſſit Lotichius, quamquam *Aureus* ſatis commode adſtruxerit Broukhuſius, cui miror in adſerenda lectione *argutum* contra Joh. Iſ. Pontanum & Paſſeratium *auguſtum* praeferentes, non ſuccurriſſe verſum hunc Lotichianum, cujus ceteroquin imitatione ejusmodi lectiones tam in Tibullo quam Propertio haud raro vindicat.

61. *Dicamus bona verba*] Ex Tibullo 2. 2. 1.

Dicamus bona verba, venit Natalis, ad aras.
Quisquis ades, lingua vir mulierque fave.

Ovidius lib. I. Faſt. 72.

— linguisque animisque favete,
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.

Sannazarius lib. II. El. 8. ✝. 15. eadem in re:

Quisquis ades, bona verba, & laetos edite cantus,
Libaque de Siculo dulcia melle date.

cujus imitatione firmatur in Tibullo ſcriptura, quam recte recepit Broukhuſius, lib. I. El. 8. 54.

Sic venias hodierne. tibi dem turis honores,
Libaque Mopſopio dulcia melle feram.

& hoc idem ac Graecorum εὐφημεῖν, in ſilentii indictione ſacrorum faciundorum cauſſa. de quo vide Caſaub. ad Theophraſt. pag. 310. & Herald. ad Arnob. lib. v. p. 221. & hinc notum illud Terentii *bona verba quaeſo* eodem hoc ſenſu, aliter ac vulgo fit, explicant Nannius lib. I Miſcell. cap. 8. & Ferrarius ad Cic. Philip. VIII. cap. 3.

65. *Vivamus dum fata ſinunt, & amemus amici* &c.] Optima variatione expreſſit illud Propertii lib. II. El. 12. 23.

Dum nos fata ſinunt, oculos ſatiemus amore,
Nox tibi longa venit, nec reditura dies.

Tibullus lib. I. E. I. 83.

Interea dum fata ſinunt, jungamus amores,
Jam veniet tenebris Mors adoperta caput.

& haec exhortatio ad mutuos amores poëtis frequentiſſima. notum illud Catulli ad Lesbiam Epigr. 5.

Vivamus mea Lesbia, atque amemus &c.
Nobis, cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

vide Gebhardi notas ad Tibullum pag. 12. & ſic imitatione veterum etiam recentiores. Joh. Jovianus Pontanus lib. II. Amor. El. XII. p. 32. b. Ed. Ald.

Ille ſuae potet dilectae baſia nymphae,
Et laeto abſentis nomen in ore ſonet.
Luſibus bis nam gaudet biems: bis laeta terenda eſt
Bruma: venit rapido mors inopina pede.

Fr. Marius Molſa Eleg. 3. in fine:

Nos viridem interea juvet exercere juventam,
Non intellecto dum fugit bora pede.

& in alia Elegia ad Venerem, apud Toſcanam T. II. Poët. Ital. p. 274.

Quare age tu, mea lux, Veneris mibi gaudia junge,
Dum properat tacito curva ſenecta pede.

Ipse novos Genius ludens ad pocula cantus
Audiat: & multo nox eat acta mero.
His Genius contentus erit, non hic mihi frater,
Non foror eft, feftas quae paret ipfa dapes.
Nec genetrix, nato quae fofpite munera folvat.
Dî faciant reditu gaudeat illa meo!
Da mihi vina, puer, lenes facientia fomnos,
Donec in Oceanum fidera prona cadant.
Optime Natalis falve, multosque per annos
Luce bona felix, & venerandus eas.

67. *Ipfe novos Genius* &c.] fic Tibullus lib. II. El. 2. 7.
Ipfe fuos Genius adfit vifurus honores,
Cui decorent fanctas florea ferta comas.

69. *Non hic mihi frater, Non foror eft* &c.] Firmat optime hic locus conjecturam noftram, qua lacunam difttichi, quod exciderat, fupplere tentavimus fupra Eleg. v. ℣. 77.

73. *Da mihi vina, puer*] Pulcre Ovidium imitatur fic canentem Trift. 5. 5. 11.
Da mihi thura, puer, pingues facientia flammas. Hoogstr.

74. *Donec in Oceanum fidera prona cadant*] Propertium denuo imitatur lib. IV. El. 4. 62.
Ipfaque in Oceanum fidera lapfa cadunt.
ubi *laffa* Broukh.

75. *Optime natalis falve* &c.] Sequitur Tibullum lib. I. El. 7. in fine:
At tu, natalis, multos celebrande per annos,
Candidior femper, candidiorque veni.
fimile Ovidii votum in natalem uxoris lib. V. Trift. El. 5. 14.
Optime natalis, quamvis procul abfumus, opto
Candidus huc venias, diffimilisque meo.
& fic Sannazarius lib. II. El. 8. quae in dominae natalem eft:
At tu, natalis, multos non faufte per annos,
Semper honorata luce ferenus eas.

ELEGIA IX.

AD

*RENATUM HENERUM MEDICUM.

De puella formosissima ex Celtiberis, quae Claudiam diu a se adamatam facie repraesentabat.

Quid mihi vobiscum est, inconstans turba, puellae?
Improbe, jam fesso quid mihi fiet, Amor?
Scilicet aeternum si non ego vulnus haberem,
Imperii fierent jura minora tui?
Parce, precor, saevo resolutis igne medullis.
Nuda quid inmitis condis in ossa faces?
Sic ego saepe leves infelix adloquor auras,
Irrita sed nubes verba, Renate, ferunt.
Parrhasiae (memini) sub sidere virginis arsi,
Multaque, quod vellem posse negare, tuli.
Forsan & hiberno cinis ater in orbe jacerem:
At cito sum longas jussus inire vias.

Litus

ELEG. IX. * AD RENATUM HENERUM] praefixam fuisse hanc Elegiam Bucolicis R. Heneri editis Paris. 1551. in 8o. scribit Niceron Memoir. des Hommes Illustr. T. XXVI. pag. 36. ad Henerum hunc infra scriptum etiam legitur Phaleucium elegans, lib. 1. Carm. 21. Fuit Lindoensis, & pro Vesalio Apologiam scripsit adversus Jac. Sylvium, quam memorat Lipenius in Biblioth. Med. pag. 42. & Simlerus ac Frisius in Biblioth. Gesner. aucta pag. 722.

1. *Quid mihi vobiscum* &c.] Ex Ovidio, initio lib. 2. Tristium:

Quid mihi vobiscum est, infelix cura, libelli?
HOOGSTR.

3. *Scilicet aeternum si non ego vulnus haberem,*
Imperii fierent jura minora tui?] pulchre aemulatur illa Albinovani ad Liviam ✻. 55.

Scilicet immunis si luctus una fuisset
Livia, Fortunae regna minora forent?

Ovidius VI. Fast. 758.

At Clymenus, Clothoque dolent; haec fila teneri,
His fieri regni jura minora sui.

Litus ad Hesperium veni, dominamque reliqui:
Dum feror huc illuc, ſexta recurrit hiems.
Omnia, quae poſſent flammas extinguere, feci.
Quaeris profuerit quid mihi? pejus amo.
Illa meis oculis, quamvis procul abſit, inhaeret,
Nec memorem Phoebi, nec ſinit eſſe mei.
Jamque ſub hoc ipſo terrarum fine reperta eſt
Una, recens nobis ecce puella malum.
Haec eſt, quam toties laudare ſoletis amici,
Dum niveum choreis fert tunicata pedem.
Nec, quia formoſa eſt, capior, ſed imagine tangor,
Nec quod amo, video, cogor amare tamen.
Namque (fatebor enim) gelida, mea vita, ſub Arcto
Huic ſimiles vultus, ſi modo vivit, habet.

15. *Omnia, quae poſſent flammas extinguere, feci*] Similiter Byblis apud Ovid. IX. Met. 540.

Ipſa tamen quamvis animo grave vulnus habebam,
Quamvis intus erat furor igneus, omnia feci,
(Sunt mihi Di teſtes) ut tandem ſanior eſſem.

pejus amare hic eſt violentius, ardentius, ut apud Naſonem Ep. IV. 26.

Quae venit exacto tempore, pejus amat.

& Ep. VII. 30.

Sed queror infidum, queſtaque pejus amo.

17. *Illa meis*] Ex eodem Triſt. 4. 3. 19.

Vultibus illa tuis tanquam praeſentis inhaeret.
HOOGSTR.

22. *Dum niveum choreis fert tunicata pedem*] Hunc locum ante oculos, ni fallor, habuit Dan. Heinſius lib. II. Eleg. 8. ad Taubmannum, praeclaro illo Lotichii noſtri elogio, ubi de caſtis ejus amoribus:

Hic ſedet, & priſcos Lotichius ardet amores,
Hoc nullum majus gens tua nomen habet.
Non negat hoc Naſo, lateri cui proximus haeret,
Non negat hoc Nemeſi nunc quoque junctus amans.
Non negat hoc Veneris puer, & Cytherea mater,
In terris alium vix habitura parem.
Adſidet, & totis indulget baſia labris,
Aut junctum in chorea fert tunicata pedem.
Claudia quam ſequitur, rivalibus aemula curis,
Primus amor vatis, primaque cura ſui.

& hujus puellae tunicatae, ſub Callirhoës nomine à ſe adamatae in Montepeſſulano, obitum deflet noſter lib. III. Eleg. 3. ad Rondeletium, quae Elegia, haud paucis variatis, denuo in Juvenilibus occurrit.

Sic formosa genis, sic est adstricta papillis,
Sic pede, sic oculis, sic operosa comis.
Utraque blaesa fere est, annis crescentibus ambae,
Nec magis haec longa est, nec magis illa fuit.
Nec pudor, aut casti faciunt discrimina mores,
Ut credas partus unius esse duas.
Quid mihi nunc prodest, quod nos mare separat ingens?
Mens bona quod tantis exagitata malis?
Quid juvat effigiem tenerae conflasse puellae,
Quam manus in digito laeva minore tulit?
Num minus haec praebet tellus, quod amare necesse est?
Num minus haec cogunt me simulacra mori?
Colle sub herboso (nil te celabimus) ibam,
Unde maris virides conspiciuntur aquae.
Laurus, & umbrosae salices, & Lotos, & ulmi,
Praecipue Baccho Lotos amica, virent.

Illic,

27. *Sic formosa genis, sic est adstricta papillis*, vide supra ad Eleg. 3. hujus libri v. 53.

Sic gemuit, sic culta fuit, sic oscula junxit.

ceterum colorem poëticum hujus loci forte desumsit ex Ovid. II. Amor. El. 10. 5.

Utraque formosa est, operosae cultibus ambae,
Artibus, in dubio est, haec sit an illa prior.
Pulchrior hac illa est, haec est quoque pulchrior illa,
Et magis haec nobis & magis illa placet.

35. *Quid juvat effigiem tenerae conflasse puellae,*
Quam manus in digito laeva minore tulit] Respicit ad morem veterum, quo absentium amicorum & amicarum effigies in annulis digito insertis gerebant. de quo ritu multa vid. apud Meurs. in Exercit. Crit. p. II. lib. II. cap. 9. quod totum caput inpudenti satis plagio fere ad verbum descripsit Kirchmannus de Annulis cap. XII. quod non mirabitur, qui inspexerit notas Heraldi ad Arnob. p. 201. Ex usu etiam antiquorum est in sinistrae manus digito minore, vel qui minimo proximus est, gestare annulos. de quo prolixe disputat Attejus Capito apud Macrob. lib. VII. Sat. 13. & vide notas Gonsalii ad Petron. cap. 32.

Illic, ficut erat, viridantibus abdita ramis,
In gelida violas mane legebat humo.
Ut vidi, obftupui, faxoque fimillimus haefi,
Et dominam vere fum ratus effe meam.
Hunc etiam geftum flores carpentis habebat,
Sic etiam cafu candida veftis erat.
Non virides referunt magis uda fifymbria menthas:
Non magis in fpeculo fe videt ulla parem.
Sed tamen extremas cur illa veniret in oras?
Unde pedem ferret? quove teneret iter?
Quin etiam timui, miferam fi fata tuliffent,
Mortua ne fenfus luderet umbra meos.
Mox patuit dubiae jucundus imaginis error,
Vocis ut argutae detulit aura fonum.
Forte fedens patula fua verba canebat in umbra.
Haec mihi fecerunt auribus haufta fidem.

 Cum-

49. *Non virides referunt magis uda fifymbria menthas*] *Uda* hic dicit *fifymbria*, quae *aquofa* vocat lib. v. Eleg. xii. 69.
Ceu thyma faepe fimul, vel aquofa fifymbria florent.
cum mentha etiam conjungit in carmine de Ruta:
Gramineas decorant madefacta fifymbria ripas,
Eftque fuum menthae marrubioque decus.
illuftrabunt haec quae de fifymbrio menthae agrefti fimili congeffit Bodaeus a Stapel in Comm. ad Theophraft. Hift. Plant. lib. vi. p. 690 & 691.

51. — *extremas cur illa veniret in oras?*
Unde pedem ferret? quove teneret iter?] Non dubito effe imitationem Virgilii lib. i. Aen. 369.
Sed vos qui tandem? quibus aut veniftis ab oris?
Quove tenetis iter?
tales autem abruptae & cumulatae interrogationes eleganter animi concitati imaginem exhibent, & adventantibus ingeruntur. ut apud Statium lib. i. Theb. 444.
— *fed prodite tandem,*
Unde orti? quo fertis iter? quae jurgia?
vide Patrui mei notas ad Ovid. Epift. 2. *. 106. & ad Valer. Fl. vii. 40.

Cumque meos horror subito percurreret artus,
  Frigidus in toto corpore sudor erat.
Ex illo flammis semper discordibus uror,
  Excruciatque recens, & redivivus amor.
Ergo fere portum cum jam mea vela tenerent,
  In scopulos facies haec mihi fecit iter.
Luna quater plenis reparavit cornibus orbem,
  Cura nec ex animo defluit illa meo.
Nec libet in patriam, facta jam pace, reverti,
  Puppe nec in Latium per freta longa vehi.
Durus, & ingenii vafer experientis, Ulixes
  Audaci has quondam remige torsit aquas.
Non Ithace tanti, non Neritos ardua tanti,
  Penelope tanti sed tamen una fuit.
Sit mihi spes dominae, mediis vel Syrtibus ausim,
  Vel Scyllae scopulis adplicuisse ratem.

Ipse

65. *Luna quater*] Ovidius 2. Metamorph. 344.
Luna quater junctis impleverat cornibus orbem. Hoogstr.

71. *Non Neritos ardua tanti*] respicit Virgil. III. Aen. 271.
Dulichiumque, Sameque, & Neritos ardua saxis.
copiose & docte de Nerito agit N. Heins. ad Ovid. Remed. Am. v. 264. de *Ithace* lege Broukhusii notas ad Tibull. IV. 1. 48. deinde locutio *tanti esse* elegans & Ovidio in primis amata est. ut Epist. 1. 4. Ep. VII. 45. & XIX. 97. Lib. II. Met. 424. & lib. VI. 386. vide Broukhus. ad Propert. III. 18. 4.
Tantine in lucris Africa tota fuit?
ut illic Joh. Fr. Gronovium secutus legit & commode exponit; cujus interpretatio certe non merebatur tam acriter traduci a Cel. Perizonio in notis ad Sanctii Minerv. p. 572.

73. *Sit mihi spes Dominae, mediis vel Syrtibus ausim,*
Vel Scyllae scopulis adplicuisse ratem]
Quam eleganter haec conveniunt cum illis Ovidianis lib. II. Amor. 16. 21.
Tum mihi, si premerem ventosas horridus Alpes,
Dum modo cum domina, molle fuisset iter.
Cum domina Libycas ausim perrumpere Syrtes,
Et dare non aequis vela ferenda Notis.

Non

Ipse traham fortes innixus in ordine remos,
 Vinctaque navali compede crura geram.
Lentus es? an sentis, nec adhuc misereris amici?
 Et mea litoribus verba, Renate, cadunt?

Adfer

Non quae virgineo portenta sub inguine latrant,
 Nec timeam vestros, curva Malea, sinus.
Non qua submersis ratibus saturata, Charybdis
 Fundit, & effusas ore resorbet aquas.

quem locum quasi compendiosa aemulatione expressit. eodem fere colore ad tenerrimi amoris fidem & constantiam amicis probandam utuntur poëtae. Propertius lib. 1. El. 6. ℣. 3.

Non ego nunc Hadriae vereor mare noscere tecum,
 Tulle, neque Aegeo ducere vela salo.
Cum quo Riphaeos ausim conscendere montes,
 Ulteriusque domos vadere Memnonias.

sic enim forte legendum, non *possim*. ut innuat se non detractaturum ultra mundi terminos ire. plura illic Broukhusius. & ita Propertii vestigiis insistens noster lib. 1. El. 3. 41. ut in Ed. Par. & Voeg. legitur:

Cum quo vel Scythicas ausim lustrare paludes,
 Ire pharetratos ulteriusque Getas.

Martialis lib. x. Ep. 20.

Tecum ego vel sicci Gaetula mapalia Poeni,
 Et poteram Scythicas hospes amare casas.
Si tibi mens eadem, si nostri mutua cura est,
 In quocumque loco Roma duobus erit.

cui loco restitues suum acumen, si cum Heinsio in notis ad Ovid. vi. Fast. 594. legas:

I quocumque loci. Roma duobus erit.

luculenter Dan. Heinsius in Monobiblo Eleg. vi. ad Rutgersium:

Rutgersi, cui junctus amem, ni fata morentur,
 Ire per & terras, ire per & maria.
Seu fugitive paras extremum visere Celtam,
 Seu dominos rerum visere ad Aeneadas.
Non ego dedigner tecum, juvenesque marinos
 Et quidquid toto nascitur Oceano,
Dorida cum natis, versaeque Palaemona formae,
 Et lustrare tuos, Cymodocea, choros.
Nec nos Aeoliae terrerent ire procellae,
 Aut infesta vagis aequora sideribus.

& quae plura illic sequuntur: cum quibus conferant poëticarum elegantiarum studiosi Janum Secundum lib. 1. Epist. vi. ad Car. Sucquetum:

Carole, quo nullos duce & auspice ferre labores,
 Nec renuam durae mortis inire vias.
Alpinas quicum libeat contemnere valles,
 Quas nivis aeternae cana tegunt maria.
Cum quo vicino peragrem loca torrida sole,
 Quaeque rigent longo non habitata gelu.
Qua deserta manent nullis freta nota carinis
 Terraque non ullo vomere secta jacet.

ita diverso quisque artificio tritam veteribus viam insistunt optimi e recentioribus.

75. *Ipse traham fortes innixus in ordine remos* &c.] ad praeceptum Tibulli sui haec effinxit, Lib. 1. El. 4. 40.

Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur,
 Et Canis arenti torreat arva siti &c.
Vel si caeruleas puppi volet ire per undas,
 Ipse levem remo per freta pelle ratem;
Nec te poeniteat duros subiisse labores,
 Aut opere insuetas adteruisse manus.

similis coloris votum Sulpiciae ad Cerinthum apud eumdem lib. iv. El. 3. 11.

Sed tamen ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
 Ipsa ego per montes retia torta feram.
Ipsa ego velocis quaeram vestigia cervae,
 Et demam celeri ferrea vincla cani.

& illud Propertii Lib. ii. El. xv. 17.

Ipse ego venator, jam nunc me sacra Dianae
 Suscipere, & Veneri ponere vota juvat.
Incipiam captare feras, & reddere pinu
 Cornua, & audaces ipse monere canes &c.

Sequens

Adfer opem, quoniam medicas tibi tradidit artes
  Phoebus, & Aonidum te chorus omnis amat.
Non tamen hic ullas morbus desiderat herbas:
  Est opus eloquio, dulcis amice, tuo.
Tu potes ingenuam verbis mollire puellam,
  * * * * * * *
Nec precor, ut contra solum me diligat illa:
  Dum modo sit penitus non aliena, sat est.

Ipse

Sequens versus adhaeret ejusdem Albii loco, ut Lotichii edebatur tempore, Lib. I. El. 8. 42.

Bacchus & adflictis requiem mortalibus adfert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.

sic enim legisse videtur noster, & forsan etiam *compede vincta*, ut in simili loco Lib. II. El. 7. 7.

Spes etiam valida solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

83. *Tu potes ingenuam verbis mollire puellam,*
* * * * * *] hiatus hic conspicitur in vulgatis, ut asterisci indicant: cujus defectus caussam mihi deprehendisse visus sum, quod in Juvenilibus Carm. I. idem fere locus occurrat in carmine ad M. Rosemannum.

Tu poteris verbis duras mollire puellas,
Ut pateat nulla janua clausa sera.
Tu poteris rigidas blandae dulcedine linguae
Flectere, tu castis exhilarare jocis.

eorum enim memor videtur pentametrum reliquisse vacuum, ut alia dein supponeret, ne eadem hic repeteret. Sed post mortem auctoris inter ejus schedas non suppletum, ut alia nonnulla, invenisse editores fit verosimile. Non male forsan haec ita supplere potuisset:

Tu potes ingenuam verbis mollire puellam,
Tu mulcere aliqua callidus arte potes.

ut pro more imitetur illa Ovidii lib. XIII. Met. v. 322.

Eloquioque virum morbis iraque furentem
Molliet, aut aliqua producet callidus arte.

& certe repetitio illa *tu potes* in fine pentametri efficax nec invenusta est, si praecesserit in initio hexametri; ut apud Propertium lib. I. El. 8. ✝. 5.

Tune audire potes vesani murmura ponti
Fortis, & in dura nave jacere potes?

eodem modo *putes* repetitur in illo Ovidii Epist. XIX. 41.

Jamne putes exisse domo mea gaudia, nutrix,
Pallade jam pingui fingere membra putes?

elegans praeterea usus est formulae illius *tu potes* in precibus & obtestationibus. idem Ovidius Epist. V. 154.

— *auxilium tu mihi ferre potes.*
Et potes, & merui. dignae miserere puellae.

Virg. VI. Aen. 117.

— *gnatique patrisque*
Alma, precor, miserere, potes namque omnia.

& lib. X. 632.

— *& in melius tua, qui potes, orsa reflectas.*

solent enim quasi ex formula precationibus inserere *namque potes.* vid. N. Heins. ad Valer. Fl. I. ✝. 12. & lib. II. Adversf. cap. 3. vel *quod potes.* ut Albinov. ad Liv. v. 354. ubi vide Patrui mei notas.

85. *Nec precor, ut contra solum me diligat illa*] Catullum imitatur Ep. LXXVII.

Nec jam illud quaero, contra ut me diligat illa.

Ipse velim patrios tantum comes ire per hortos,
Ludere & in viridi, si patiatur, humo.
Solarique meos, quos illa resuscitat, ignes,
Et gerere in casto regna pudica sinu:
Illius & niveis conponere carmen in ulnis:
Hic ego sum vates, hic mea Musa valet.
Quod si pauca mihi dederit semel oscula, vivet,
Dum notum terris nomen Amoris erit.

93. *Quod si pauca mihi dederit semel oscula, vivet,*
Dum notum terris nomen Amoris erit] Adludere videtur ad illud Propertii Lib. I. El. 5. 25.
Quod si parva tuae dederis vestigia culpae,
Quam cito de tanto nomine rumor eris?
ultimo versu mallem ego *in terris*. Sed secutus est Lotichius vulgatas Ovidii editiones Lib. III. Amor. El. 10. 8.
Nec notum terris area nomen erat.
ubi tamen in duobus codicibus, notante Patruo meo, *Nec notum in terris*. ut *in* revocetur ex ultima litera vocis *notum*: ut passim in libris antiquis. alio colore, sed non dissimili, id exprimit idem Naso Lib. I. Am. El. 15. 27.
Donec erunt ignes arcusque, Cupidinis arma,
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.
& e recentioribus Janus Secundus Lib. I. Ep. VII. in fine:
Julia quae nostris vivet celebrata Camenis,
Donec Amor gemitus nesciet, & lacrimas.
& in fine primi Basiorum Epigrammatis:
En ego sum vestri quo vate canentur honores,
Nota Medusaei dum juga montis erunt.
descripsit hos Patrui sui versus Joh. Petr. Lotichius Lib. I. Poëm. El. 4. in fine:
Quod si pauca mihi dederis semel oscula, vives,
Dum notum terris stabit Amoris opus.
Ceterum ut hic amicae ex una osculatione perennitatem famae spondet poëta, ita non dissimili elegantia vitam sibi eodem munere revocatum iri promittit Joh. Jovianus Pontanus Lib. I. Amor. pag. 18. ed. Ald.
Oscula si summis saltem mihi pacta labellis,
Concessum ambrosio si semel ore frui.
Languidulis animam poteras tum reddere membris,
Et nudum inferno me revocare lacu.
de quo plura ad Lib. IV. El. 10. ℣. 11.

ELEGIA X.
AD
JOANNEM STIGELIUM.
De monumentis in agro Nemausensi.

Sidera convexo dum tu labentia coelo
Scribis, & alternis sacra diesque modis:
Nos procul ignotis, Stigeli, degimus oris,
Ad maris occiduas non refluentis aquas.

Et

* ELEG. X. *De monumentis* &c.] In editione Voegeliana pag. 191. titulus huic Elegiae praescribitur *de Monumentis prope Nemausum in Gallia Narbonensi.*

℣. 1. *Sidera*] Virg. 3. Aeneid. 515.
Sidera cuncta notat tacito labentia coelo.
HOOGSTR.

2. *Alternis sacra diesque modis*] *& in populo sacra diesque tuo.* ed. Voeg. videtur in animo habuisse illud Propertii Lib. IV. El. 1. 69. *Sacra diesque canam* &c. & forte innuit hic Stigelii librum quartum Oper. Poëticor. qui complectitur Periochas Euangeliorum Dominicalium per circuitum totius anni conscriptas. primo versu indicatur pars posterior lib. VIII. Elegiar. ubi Eclipses varias Solis & Lunae descripsit; Sed nescio an secundo versu non innuat Stigelii opus Fastorum, quod scribere aggressus tamen imperfectum ante mortem reliquit, ut patet ex illis Joh. Boceri versibus in Ecloga in obitum Sabini, Stigelii, & Lotichii scripta, quam dabimus in lib. III. Adoptivorum pag. 311.

Illius heu nobis de coeptis carmina fastis,
Imperfecta latere sibi quae saepe ferebat,
Quis dabit? ut patulis suspensa notescere fagis
Et poterint meritum super astra referre Menalcam.
Heu desiderii toties spes irrita nostri,
Carmina, quae laeti multis speravimus annis,
Abstulit, & secum splendentibus intulit astris,
Temporibusque suis invidit forte Menalcas.

honorifice ejus meminit etiam noster infra lib. IV. El. 2. ℣. 68. & lib. V El. 15. 12. & prolixe passim ab aliis facultas ejus poëtica celebratur. quin & a Julio Caesare Scaligero, severo ceteroquin judice, meruit inter nobiliora Germanorum ingenia numerari, in Hypercritico, seu lib. VI. Poëtices pag. 798. elogio etiam non vulgari eum ornat Camerarius in Epist. Dedicatoria ante Lotichii nostri Poëmata: & in vita Melanchth. p. 266. Eobanus Hessus in Poëm. lib. VIII. Sylvar. p. 586. Joh. P. Lotichius in Biblioth. Poët. Part. III. pag. 57. & in Promulf. Crit. cap. XV. pag. 73. seq. Burchard. de Fatis L. L in Germ. p. 389. Th. Crusius in notis ad Albin. vitam Sabini pag. 47. & Felix Fidlerus in Descript. Flum. Germ. in Sala pag. 303.

Hic ubi Stigelius Musas complexus ad Ilmum
Mulcet Arionia saxa ferasque lyra.

adde Joachimi Felleri notas ad J. Majoris Synodum Avium in actis Literariis Struvii T. I. Fasc. IV. pag. 66.

Et modo Massiliae portus miramur, & altas
  Puppibus antiquum Stoechadas hospitium.
Phocaïcosque sinus, & qui laetissima sulcat
  Arva, Pyrenaeis montibus ortus, Atax.
Quod mihi si faciles praeberet Cynthius aures,
  Ingenioque forent mollia fata meo:
Non ego sacrorum morem, caussasque referrem,
  Sidera nec Phoebi per duodena viam.
Nec canerem numeris civilia grandibus arma.
  Omnis in inbelli carmine nostra mora est:
Sed varias gentes, & nomina prisca locorum;
  Hoc aptum nostris viribus esset onus.
Non mihi Castalias Phoebi chorus exhibet undas:
  Finge sed antiquis vatibus esse parem.
Scilicet in tanto miserarum turbine rerum,
  Ille sacer vates ingeniosus ero?
Non tamen hic aevi penitus monumenta prioris
  Transierim, ripis, Garde, propinqua tuis.

6. *Puppibus antiquum*] Vid. Pomponius Mela l. 2. c. 7. HOOGSTR.

7. *Phocaïcosque sinus*] vid. Broukhus. ad Sannazar. lib. III. El. I. 173.

Denique Phocaïcosque sinus, Marioque refossum Litus &c.

Ibid. *Qui*] *quae* corrigit J. P. Lotichius in Promuss. Crit. cap. XIII. ut ad *arva* referatur.

8. *Pyrenaeis montibus ortus, Atax*] Pomponius Mela l. 2. c. 5. *Atax e Pyrenaeo monte degressus.* Vibius Sequester de Fluminib. pag. 13. *Atax e Pyrenaeo circa Narbonam decurrit in Tyrrhenum.* Vid. Cel. Oudendorp. ad Lucan. lib. I. 402.

15. *Et nomina prisca locorum*] *sed* Ed. Voeg. optime adludit ad illa Propertii lib. IV. El. I. ℣. 69.

Sacra diesque canam, & cognomina prisca locorum,
Has meus ad metas sudet oportet equus.

16. *Onus*] *opus* Ed. Voeg.

Garde pater, bibulae ſtagnans ſulcator arenae,
  Qui tacite peragis lene vadoſus iter.

Cui

23. *Garde pater, bibulae* & ſeqq.] Eſt haec egregia deſcriptio mirabilis illius triplicis pontis in flumine Gardo ſeu Vardo inter Uzetiam & Nemauſum; quem *Wardum* fluvium eſſe a Sidonio Apollinari memoratum lib. II. Epiſt. 9. videbis in notis Savaronis pag. 150. & apud Paul. Merulam P. II. Cosmograph. lib. III. cap. 37. p. 441. eumdemque eſſe a Plinio *Lirium*, a Pomponio Mela *Ledum* appellatum exiſtimat Naugerius in Italico Itinerario in Gallias inter ejus Opera pag. 422. Ed. Vulp. ubi praeter Amphitheatrum & Templum etiam meminit pontis iſtius, quem tam bene hic depingit Lotichius, ut ambigi jure poſſit, an opus ipſum inter praeclariſſima Antiquitatum Nemauſenſium monumenta, an vero Lotichiana haec deſcriptio majori admiratione digna ſit: ut nihil addam de Aquaeductu, Amphitheatro, templo Dianae & Virginitatis fonte lucum Laurorum adluente, quae ſequentibus celebrantur verſibus. Illuſtrabunt haec, quae a Carolo Cluſio ſecum communicata exhibet Hagius in vita Lotichii pag. 106–108. hujus edit. pluribusque haec exponit Joh. Graſſerus in libello Antiquit. Nemauſenſium, poſt ejus Poëmata edito, pag. 202—209. Neque pigebit cum hac pulcherrima antiquitatum illarum, quae Nemauſi exſtant, deſcriptione Lotichiana conferre Batavi olim poëtae laudatiſſimi, ſed inmaturo nimis fato extincti, Caſparis Kinſchotii carmina, quibus Amphitheatrum illud Nemauſenſe, Fontem prope templum Dianae, pontemque illum Gardonium praedicavit Lib. III. Poëm. pag. 102. & ſeqq. e quibus illud de ſtupendo hoc ponte adſcribere operae erit pretium:

Haec quoque Romanos dicent monumenta labores.
  Terrarum dominis convenit iſtud opus.
Majeſtas tanti imperii ſub imagine tali
  Nobilius nusquam tota videnda venit.
Aëra ut arctantes coeunt in foedera rupes!
  Ut triplici geminus mole jugatur apex!
Ut ſuperinpoſitos tollunt fulcimina pontes!
  Ut mediis fornix ardua ſurgit aquis!
Pontibus ut ſummis ſuperincubat alveus, in quo
  Aëra per medium ducta cucurrit aqua!
Ille quidem ſicca viduatus origine fontis
  Illa ſui tantum ſigna ſuperſtes habet:
Arte tamen victam ſeſe Natura fatetur,
  Et ſtupet humanas talia poſſe manus.

Certe judicio Petri Francii adeo placuit hoc carmen, ut exemplari ſuo poëmatum Kinſchotii, notatis ſuis referto, adſcripſerit, pulcherrimum eſſe hoc Epigramma. Sed jam diu ante triplicis hujus pontis Aquaeductum Gardo inter duos montes inpoſitum, celebravit Theodorus Beza in Epigrammate, quod exſtat in ejus Poëmatibus pag. 180. Ed. Stephan. Adſcribam & illud, ut cum Lotichii ac Kinſchotii verſibus conferatur:

Montibus inpoſitos cantavit Graecia montes,
  Pyramidum oſtentat barbara Memphis opus.
Plus eſt quod cernis, triplicis conjungere pontis
  Fornicibus montes ſic potuiſſe duos.
Et plus eſt (victam quo ſe Natura fatetur)
  Inpoſuiſſe ipſis flumina fluminibus.
Et rurſum hoc plus eſt, contemto laudis honore
  Artificem nomen ſubticuiſſe ſuum.
Mire opifex, quod tu feciſti, ſit licet ingens,
  Quod non feciſti, plus ego miror opus.

ubi quod Beza praecipue admiratur Artificis modeſtiam, qui nomen ſuum poſteritati tacuerit, idem quoque Michaël Hospitalius indicat hoc Epigrammate lib. VII. Epiſt. pag. 377. Ed. Vlamingii:

De ponte Gardonis.

Admirandi antiqua operis monumenta, Viator,
  Suſpicis, auctorem preſſit iniqua dies.
At tu dignus eras ultra producere famam,
  Dignus eras operi vel ſupereſſe tuo.

His

Cui licuit coelo tantas educere moles?
Et triplices uno ſternere ponte vias?

His addendus eſt Johannes Iſacius Pontanus, qui in Itinerario ſuo Galliae Narbonenſis pag. 7. pontem atque aquaeductum Gardi his verſibus deſcripſit:

Atque bis luſtratis illuſtri excedimus urbe
Spectatum Gardi molem, quo flumine quondam
Stravit aquae ductum, & pontem Romana Nemauſus:
Adjacet excelſum proſpectans aethera rupes,
Huc opus evectum, & geminatis arcubus ipſe
Ductus aquae pontem excedit, mirabile viſu.
Quid memorem ſtructuram operis? quid marmora, & illam
Compagem lapidum, qualem Natura dediſſet!
Hic Anio vetus atque ſuos ſubmittat honores
Tepula, non ipſos opponat Virginis arcus,
Quos Lucullanis Roma olim duxit ab hortis.

ubi in ſequentibus ceteras etiam Nemauſi antiquitates, Amphitheatrum, aedem Dianae, & fontem celebrat, & in notarum Appendice pag. 53. illud Bezae Epigramma proferre non oblitus eſt, monetque illuſtrem Thuanum etiam quodam carmine pontem hunc laudaſſe, ſed propter ejus poëmata fruſtra ſibi conquiſita non producit. Id Thuani carmen me quoque latere confiteor. Sed Dianae templum Nemauſenſe collapſum ac dirutum ſuo tempore queritur in Lib. III. de Re Accipitr. non procul a fine:

Et quae Romana nunc majeſtate Nemauſus
Spirat adhuc veteres animos & priſtina jura:
Major & ipſa ſuis creſcit per damna ruinis.
Quas ego miratus cumulatas clade recenti
Pollutosque lacus, & diruta templa Dianae
Ingemui &c.

In Celeb. J. P. Dorvillii, nuper noſtri, Diariis Itinerum Gallicorum pauca haec de ponte Gardi offendimus. *Avenione profecti venimus ad vicum Remoulin quatuor & ſemiſtatione Avenione diſſitum. Hinc diſtat celebris ille pons ſupra fluvium Gardon una ſtatione. Eum luſtravimus magna cum admiratione. Monumentum Majeſtatis Romanae pulcherrimum & integerrimum. duae ſtationes hinc ad Nemauſum. via optima.* Sed ut lucem majorem pulcherrimae deſcriptiones iſtae poëticae accipiant, oculis intueri, & ad admirandum opus ſtupeſcere poterit harum antiquitatum ſtudioſus lector, ſi Itineraria Galliae excutiat, quae delineationem pontis hujus adeo celebrati exhibent; ut Henrici Roverii Itinerarium Francicum pag. 405. & Anonymi Auctoris Novum Itinerarium Galliae Geographicum & Hiſtoricum pag. 301. Sed praecipue in Montfauconii Antiquitatibus Tom. IV. P. II. Lib. I. cap. 5. qui tradunt Johannem Poldum Albenatem in Antiquitatibus Nemauſenſibus, libro hodie vix cognito, ſed ab Ortelio in Theſauro Geograph. paſſim laudato, primum operis hujus ectypum dediſſe. Differunt tamen valde inter ſe ſcriptores, licet omnes ſe oculatos teſtes jactent, in numero arcuum, qui in triplici hoc ponte conſpiciuntur. Plerique in inferiori camera ſeu fornice ſex arcus, duodecim in ſecunda, & triginta quinque in ſuperiori numerant: ut & apud Montfauconium videre licet. Tamen Freſchotius in nova Deſcriptione Venetiarum, Gallice edita, pag. 159. qui ſe oculis ſuis diligenter hunc pontem luſtraſſe ſcribit, unum tantum arcum in ima camera, tres in media, & vix viginti quinque in ſuperiori ſe vidiſſe adfirmat. Et quis dubitabit amplius majorem novis Itinerum, quam antiquis Fabularum admirabilium ſcriptoribus fidem habere, cum tamen haud melius ſibi conſtent, licet ad oculos fallere neſcios provocent. Certius forſan dijudicare id liceret, ſi ad manus eſſet Johannis Poldi opus, ad quem etiam remittit Guil. Catellius, Senatus Tholoſani quondam Judex, in Commentariis Gallicis Septimaniae ſeu Languedociae Lib. II. pag. 81. ubi etiam Bezae Epigramma adfert & de Amphitheatro ac Dianae templo agit p. 282. & 285. Eumdem quoque Johannem Poldum laudat Lipſius in Libello de

Ponte pruinosas aequante cacumine nubes,
Cujus ab adspectu lumina terror habet.
In medio latis (res mira) canalibus actae,
Scrupea per rigidi viscera montis, aquae.
Qui videt inmanes excisos rupibus arcus,
Artificum doctas aestimet ille manus.
Adde capax populi, & gradibus sublime theatrum,
Antraque secretas per latebrosa vias.
Nec jaculatricis templum nemorale Dianae,
Proxima nec vires lympha silebo tuas.
Fons sacer uberibus foecundus profluit undis,
Qualem Gargaphiae nomine vallis habet.
Populeae frondes, & Palladis arbor obumbrant,
Et tenero vernat gramine semper humus.

His

Amphith. extra Romam cap. 5. ubi Nemausense amphitheatrum describit, de quo etiam vide Montfaucon Tom. III. P. II. Lib. II. Cap. IX. Sed jam nimiae diligentiae censuram veremur.

24. *Qui tacite peragis lene vadosus iter*] versus Ovidianus est lib. IV. ex P. Ep. 10. 54

Cumque Borysthenio liquidissimus amne Dryaspes,
Et tacite peragens lene Melanthus iter.

25. *Cui licuit coelo tantas educere moles*] Sannazar. lib. II. Epigr. 41. de theatro Campano:

Cui licuit tantas saxorum evertere moles,
Quas jam disjectas vix nemora alta tegunt.

33. *Capax*] *sagax* Ed. Voeg. male.

36. *Proxima nec vires &c.*] *Nec saliens ortus lympha silebo tuos* ed. Voeg.

38. *Qualem Gargaphiae nomine vallis habet &c.*] Feliciter haec expressa sunt ex Ovidio lib. III. Met. 155 & seqq.

Vallis erat piceis, & acuta densa cupressu,
Nomine Gargaphiae, succinctae sacra Dianae &c.
Fons sonat a dextra tenui perlucidus unda,
Margine gramineo patulos incinctus hiatus.
Hic Dea silvarum, venatu fessa, solebat
Virgineos artus liquido perfundere rore.

ubi de valle Gargaphia eruditorum notas consule: quibus adde Hesselium ad Vibium Sequestr. pag. 100. & seq.

40. *Vernat gramine semper*] *semper gramine vernat*, Ed. Voeg.

His Dea fub ramis, venatu laffa, quievit,
Sedavitque fuo Delia fonte fitim.
Hic folitae comites, pofito velamine, nymphae
Molle fuperfufis tinguere corpus aquis.
Scilicet hic vires liquor infringebat Amoris.
Quae bibit, aeterna virginitate fuit.
O mihi fi veteres eadem vis diluat ignes,
Fama falutiferas quanta maneret aquas!
Felices, quibus indulget fortuna, poëtae,
Felix, qui regum cura ducumque fuit.
Illorum Deus ora movet, terrisque relictis
Per liquidum coeli nube vehuntur iter.
Nos dolor, inftabilesque vices, feriesque malorum,
Tantum opus aethereae laudis adire vetant.
Excidio egregias bis deformavimus urbes.
Servitum magnos vidimus ire duces.
Hic quoque, cui fuerat conmiffa potentia rerum,
O pudor! externas Rhenus adorat opes.

Nec

41. *His Dea fub ramis, venatu laffa* &c.] fimiliter fere, Ovidium quoque imitatus, Joh. Jovianus Pontanus lib. II. Amor. pag. 30. Ed. Ald.

Huc Dea poft aeftus, venandi feffa labore,
Venerat, & molli laffa quierat humo.
Cui labor & ftrepitus rivi falientis & unda
Optatos fomnos & levis aura facit.
Forte greges illuc, umbra ut viridante levaret,
Ducit, & ipfe cito Pan petit antra pede &c.

43. *Hic folitae comites* &c.] refpicit illa, quae fequuntur ibidem apud Ovid. v. 171.

Excipiunt laticem Nepheleque, Hyaleque, Rhanisque,
Et Pfecas, & Phiale, funduntque capacibus urnis,
Dumque ibi perluitur folita Titania lympha &c.

54. *Tantum opus aethereae* &c.] *Ingenium tenebris exonerare vetant*, ed. Voeg. fed vulgatum magis eft ad genium Propertianum lib. III. El. 2. 4.

Reges, Alba, tuos, & regum facta tuorum.
Tantum operis nervis hifcere poffe meis..

Nec dum finis adest: restant fera praelia, restant:
  Jam mihi cum Phoebo Calliopea vale.
Tempus in umbrosis tu, cui licet, exige silvis,
  Qua tibi Pelignas porrigit Ilmus aquas.
Inceptosque operis sacri decurre labores.
  Non erit ingenii fama sepulta tui.
Me fatis, quocumque trahant, parere necesse est,
  Arbitrio quoniam non licet esse meo.

59. *Nec dum finis adest* &c.] *Quanta securis tempestas imminet annis:* ed. Voeg.

64. *Non erit ingenii* &c.] *Non aetas laudes obruet ulla tuas*, Ed. Voeg. sed alterum illud melius adhaeret Ovidio iv. Trist. 10. 126.
Non fuit ingenio fama maligna meo.
fama sepulta eidem Epist. vii. 92. & i ex P. 5. 85.

65. *Me fatis, quocumque trahunt, parere necesse est*] Virgilianum illud in animo habuit: *quo fata trahunt, retrahuntque sequamur.* vid. Heins. ad Ovid. Epist. vi. ✠. 28.

66. *Arbitrio quoniam non licet esse meo*] mallem scripsisset,
Arbitrii quoniam non licet esse mei.
sic certe praetulit e codicibus Broukhusius apud Tibullum lib. iv. Carm. 8. fine, quem locum imitatur Lotichius:
Hic animum, sensusque meos abducta relinquo;
Arbitrii quoniam non finis esse mei.
ubi antea quoque *Arbitrio meo* legebatur in editionibus vulgatis, quas noster forte secutus est: rectius certe *arbitrii sui esse* dicitur, quam *arbitrio suo*, ut *juris sui* esse non *jure suo*. Sed *arbitrio suo vivere*, *arbitrio suo tempus agere* diversa locutio est. ut supra lib. ii. Eleg. 2. 8.
Quando erit, ut veterum liceat meminisse laborum,
Arbitrioque dies continuare meo.
& Eleg. 5. ✠. 56.
Certe ego si sinerent mea fata, quiescere vellem,
Tempus & arbitrio ponere dulce meo.
quo loco forsan respexit illud Virgilianum:
Quod si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis.

ELE-

ELEGIA XI.

AD ERHARDUM STIBARUM.

In peregrinatione in Hispaniam.

Sol abit e Tauro, jamque igneus aeſtuat aër,
Ut ſolet, aethereis dum Leo fervet equis.
Nam procul a gelida nos terra Lycaonis Arcto
Detinet: inpatiens ante caloris eram.
Vix ſata nunc humiles aequant lactentia ſulcos,
Qua dirimit patriae Cynthius arva meae.
At ſeges hic paſſim maturis flavet ariſtis,
Et prope falciferas poſcit adulta manus.
Frigida nec patulos humectant flumina campos,
Nec rigat effuſis humidus imber aquis.
Finitimos lauri montes, oleaeque coronant,
Nulla ſed e raris decidit umbra comis.
His quoque non ventis, non huic adſuevimus aurae,
Semper iners tepido ſpirat ab axe Notus.

V Vaſta-

1. *Sol abit e Tauro*] Ovid. VI. Faſt. 727.
Sol abit e Geminis, & Cancri ſigna tabeſcunt.

5. *Vix ſata nunc humiles aequant lactentia ſulcos*] Illuſtrabunt haec notata N. Heinſio ad Ovid. I. Faſt. 351.
Nam ſata, vere novo, teneris lactentia ſulcis, &c.
ut legendum operoſe contendit, non *ſuccis*. & videri poſſit Lotichius id apud Naſonem probaſſe: licet vulgatum recte ibidem praeferat Patruus meus; ſed quod hic locum habere nequit. Frequenter autem hae voces in veterum libris mutantur, quamquam ubique tamen *ſulci* non conveniant. Similis diverſitas apud Lucanum Lib. IX. 628. ubi *arva mollia ſucco*, ſeu *ſyco*, de humore terrae naturali explicant interpretes eruditi. alii *ſulco mollia* pro aratro verſa & mollita non minus apte exponunt. ſic apud Calpurnium Ecl. IV. 113.
Coepit & uberior, ſulcis fallentibus olim, Luxuriare ſeges.
ubi eadem varietas. ſed recte *ſulcis* praeferunt viri docti pro *ſuccis*. vide illic notas.

Vaſtaque percurrunt ſine nube tonitrua coelum,
Et rapido Titan excoquit igne fretum.
Haec mihi narrabant (memini) quae vera negabam.
Omnia nunc credo, poſtmodo cautus ero.
Nec mihi quis toties ſedem mutare, nec ultra
Suaſerit ignotis vivere litoribus.
Quaeque ſibi placeat regio: bis munera frugum
Fertilis hic magno foenore ſolvat humus.
Foetibus arboreis ſit nulla beatior ora:
Hos Pallas campos, haec juga Bacchus amet.
Iſta juvent alios: ego noſtro gratulor orbi,
Moenus ubi fluvio proluit arva ſuo.
Quaque venit, laeto veſtitos palmite colles
Separat, & liquida ſemper abundat aqua.
Moenus ab aurora per pinguia culta volutus:
Illic temperies viribus apta meis.
Sol licet aeſtivos propior ſuperingerat ortus,
Sicca vel Icarius torreat arva Canis:

Fron-

31. *Super ingerat ortus.*] Ita in vulgatis, ſed ubique ſcribendum *ſuperingerat* una voce; eſt autem imitatio Tibulli lib. IV. El. I. 157.

Quippe ubi non umquam Titan ſuperingerit ortus.

quod Lotichii auctoritate pro vulgato *ſuperegerit* vindicat Broukhuſius, ut ſupra vidimus ad Lib. I. El. I. ỿ. 11. & haec quoque lectio recte placuit Paulo Meliſſo in Elegiis pag. 121.

Neu rapidos nimium Titan ſuperingerit aeſtus.
Neu noceant biemis frigora, neue nives.

ſecutus Lotichium noſtrum in Ecl. VI. ỿ. 483.

Sed jam Sol rapidos ſuperingerit altior aeſtus.

imitatur quoque Johannes Adamus in Ecloga *Nicer* inſcripta, in initio:

Tempus erat, quo prima dies mortalibus aegris
Incipit, & roſeos Phoebus ſuperingerit ortus.

Frondea ſecretae praebent umbracula ſilvae,
  Prataque muſcoſis fontibus uda ſonant.
Parturit & flores tellus, feſſiſque per aeſtum
  Lenis ad irriguas aura medetur aquas.
O nemus! o valles gelidae! quater ille beatus,
  Quem ſopor argutas opprimit inter aves!
Non illi venis ardor ſitientibus haeret,
  Candida nec mutat fervidus ora calor.
Aſt ego, ſi quando patriam, ſi quando reviſam,
  Fuſcus, & ardenti ſole peruſtus ero.

V 2 Nec

37. *O nemus! o valles gelidae! quater ille beatus,*
Quem ſopor argutas opprimit inter aves!] frequens id apud poëtas, umbra arborum & cantu volucrum jucundiſſimum conciliari ſomnum. Ovid. III. Faſt. 17. de Ilia.
Dum ſedet, umbroſae ſalices, volucreſque canorae
Fecerunt ſomnos, & leve murmur aquae.
noſter Lib. II. Carm. 3. 9.
O ſopor, ô blandae volucres, ô gramen & herba,
Quam fuit hic animo vivere dulce meo!
idemque inter beatam vitae agreſtis tranquillitatem ponit Claudianus, loco egregio, Lib. I. in Rufin. ℣. 215.
— hic mollis panditur herba,
Sollicitum curis non abruptura ſoporem,
Turba ſalutantum latas ibi perſtrepit aedes,
Hic avium cantus, labentis murmura rivi.
vide Weitzium ad Horat. Epod. 2. pag. 68. & ſeqq. & hinc Ticino *lympham ſomniferam inter volucrum cantus* tribuit Silius Italic. Lib. IV. 86.
— ripis tam mitis opacis,
Argutos inter volucrum certamine cantus,
Somniferam ducit lucenti gurgite lympham.
ubi vide Cel. Drakenborch. *argutas* autem aves pro canoras dixit, ut Propertius Lib. I. El. 18. 29.
Et quodcumque meae poſſunt narrare querelae,
Cogor ad argutas dicere ſolus aves.
noſter ſupra Lib. I. El. 7. 55.
Argutaque piae volucres me voce ſalutant,
Gratarique vagae limpha videtur aquae.
deinde exclamatio illa *quater ille beatus* Tibulliana eſt Lib. I. El. X. 64.
— quater ille beatus,
Cui tenera irato flere puella poteſt.

41. *Si quando patriam, ſi quando reviſam*] Elegans repetitio formulae iſtius *ſi quando*, ut apud Calpurnium Ecl. IV. 153.
— ſi quando in montibus iſtis
Dicar habere larem, ſi quando noſtra videre
Paſcua contigerit.
eſt autem ſimilis Graecorum εἴποτε, idemque notat quod *ſi umquam*, ut in illo Virgilii III. Æn. 500.
Si quando Thybrim, vicinaque Thybridis arva
Intraro, gentique meae data moenia cernam,
&c.
ſaepe tamen in veterum locis corrupta aut a viris doctis perperam expoſita fuit. vide de

Nec tamen ulla movent mutati damna coloris.
  In terris nulla eſt, cui placuiſſe velim:
Dum modo ſuccenſos febris non occupet artus,
  Nec tener in flammas corporis humor eat.
Quam vellem colles tacitus reptare ſalubres,
  Et mea ſub viridi rura videre jugo!
Errat, divitias ſi quis miratur inanes:
  Jugera ſat culti pauca tenere ſoli.
Poſt obitus, miſeri cum lux brevis occidit aevi,
  Pondera nil auri divitis ampla juvant.

At

de vero ejus uſu Patrui mei notas ad Valer. Flac. lib. v. ✝. 474. Ceterum obſervat Erythraeus in Indice Virgiliano *ſi quando* ſemper a Marone ultima ſyllaba produci. Ita certe etiam apud Ovidium I Am. 13. 6. & lib. II. A. A. 15. & ſaepius apud Propertium Lib. I. El. 17. 27. Lib. II. 10. 39. & 18. 38. & Lib. III El. 6. 25. ac Tibullum Lib. IV. El. 4 20. apud Valerium Flaccum ſemel tantum corripitur, cum ceteroquin ſemper producat, Lib. VIII. 213.

— vix adlevat ora
Ad feras, ſi quando, dapes.

& ſic in loco Statii, a Patruo meo prolato, Lib. VIII. Th. 248 & apud alios, qui ancipitem in *quando* ſtatuunt ſyllabam ultimam, ut ex Servio docet Voſſius Lib. II. de Art. Gr. c. 27. p. 277. licet iſta Servii refutaverit Erythraeus.

42. *Fuſcus & ardenti ſole peruſtus ero* &c.] Eleganter coloris fuſci & a ſole exuſti damna deſpicit, nulli puellae placendi cupidus. Forte deſumſit a Tibullo ſuo, qui puellis praedae & opum avidis fuſcos Indos amatores adprecatur Lib. II. El. 3. ✝. 59.

Illi ſint comites fuſci, quos India torret,
Solis & admotis inficit ignis equis.

Ipſe vero cum amica ruſticante vivere optans a ſole exuri cutem non detractat eadem Elegia, circa initium:

O ego, cum dominam adſpicerem, quam fortiter illic
Verſarem valido pingue bidente ſolum!
Agricolaeque modo curvum ſectarer aratrum,
Dum ſubigunt ſteriles arva ſerenda boves.
Nec quererer quod Sol graciles exureret artus,
Laederet & teneras puſtula rupta manus.

& hinc apud eumdem Lib. I. El. 9. 15.

Jam mihi perſolvet poenas, pulviſque decorem
Detrahet, & ventis horrida facta coma.
Uretur facies, urentur ſole capilli,
Deteret invalidos & via longa pedes.

inde colorem poëticum hauſit Joannes Cotta, principibus Italorum poëtarum adnumerandus, niſi primo aetatis flore extinctus pauca nimis ingenii reliquiſſet monumenta, Carm. v. ubi Anyſium juvenem delicatum invitaverat extra urbem ad Caloris amnem, ut reverſum & a ſole exuſtum averſaretur puella:

Huc in exilium ad Caloris amnem
Traxi blanditiis boniſque verbis:
Hic hunc molliculum atque delicatum,
Probe teſtibus arbitriſque vobis,
Apici volo macerare in aeſtu,
Uſto ut ore, peraridoque vultu
Reverſum tenera horreat puella.

At si quis Musas, parvo contentus, amavit,
Ille vel invita morte superstes erit.
Tu quoque, quem veterum sanguis commendat avorum,
Despice magnificas, nos imitatus, opes.
Et mecum umbrosis, quoties finit aestus, in hortis
Incipe jam lauri fronde ligare comam.
Et rerum caussas, & finem quaere bonorum,
Labraque Castalio docta liquore riga.
Haec tibi sub myrto residens florente canebam,
Ut scires animi vota, Stibare, mei.
I pede felici, quo te vocat ardua virtus,
Naturae pereant ne bona tanta tuae.

ELE-

50. *Jugera sat culti pauca tenere soli*] Tibullianam atque Ovidianam imitationem esse videbis apud Richter. in Specim. Observ. Critic. pag. 45. recte autem *pauca* non *parva* jugera. vid. Broukh. ad Tibull. I. I. 2.

51. *Miseri cum lux*] Ex Catullo desumtum:
Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetuo una dormienda. HOOGST.

52. *Pondera nil auri divitis ampla juvant*] Ex Tibullo Lib. III. El. 3. 11.
Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri,
Arvaque si findant pinguia mille boves.
idem Lib. I. 10. ℣. 31.
Tunc mihi jurabas, nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem.
vide illic Broukhusium, qui cum istis Tibullianis hunc Lotichii locum contulit. imitatus etiam est Johannes Fabritius Montanus Elegia de vita beata, pag. 7. Poëmat.
Quod tibi non gemmae dederint, non divitis auri
Pondera, non culti jugera mille soli.
& Joh. Posthius in Parerg. Poët. P. I. pag. 49.
Nec magis optarit sibi pondera divitis auri,
Quae Tagus & rutilis quae vehit Hermus aquis.
& pag. 65.
Quid famuli prosunt, quid pondera divitis auri,
Quicquid & e rubris colligit Indus aquis.

53. *At si quis Musas, parvo contentus, amavit*] Imitatus est hunc locum idem Johannes Fabricius Montanus in Elegia, quae laudes paupertatis continet, pag. 14. Poëmat.
Nec quisquam Musas parvo contentus amaret,
Omnes unus amor sollicitaret opum.
parvo contentus e Tibullo supra illustravimus ad El. V. ℣. 51.

54. *Ille vel invita morte superstes erit*] Similis locus infra Lib. IV. El. 5. ℣. 19.
At si quem dulci celebrarunt carmine Musae,
Ille vel invita morte superstes erit.
ubi vide notas.

64. *Naturae pereant ne bona tanta tuae*] Sic infra Lib. IV. El. 5. 16.
Funeris extremum tamen hunc largimur honorem,
Virtutis pereant ne monumenta tuae.

ELEGIA XII.

AD

CAROLUM CLUSIUM.

Recusat lauream coronam sibi ab illo donatam ac transmissam.

Clusi, quid viridi cingis mea tempora lauro?
  Non sunt ingenio mollia fata meo.
Tu mihi vel myrti nectas e fronde coronam,
  Vel caput hoc circa moesta cupressus eat.
Non me Pierides, Clusi, fecere poëtam,
  Non Aganippeae lucidus humor aquae.
Sed dolor, & lacrimae, saevique Cupidinis ignes,
  Tristis & ad rigidas saepe querela fores.
Molle prius (memini) spernebam carmen, & umbram,
  Innocuisque diu vatibus hostis eram:
Ut facerem versus, dilectae cura puellae
  Inpulit, & studii praemia magna tuli:
Praemia, quae vincunt gemmas, & munera regum,
  Quidquid & in lato nascitur Oceano.

Nunc

1. *Quid viridi*] Vide Eleg. 8. 9. HOOGST.

5. *Non me Pierides, Clusi, fecere poëtam,*&c. & 11. *Ut facerem versus, dilectae curae puellae Inpulit*, &c.] locum hunc totum non male quis conparabit cum istis Propertianis Lib. II. El. I. initio:

Quaeritis unde mihi toties scribantur amores,
Unde meus veniat mollis in ora liber?
Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo,
Ingenium nobis ipsa puella facit.

7. *Sed dolor & lacrimae* &c.] Similiter Propertius Lib. I. El. 9. ✝. 7.

Me dolor & lacrimae merito fecere peritum.

Nunc procul a domina, miseri solatia luctus
  Moesta cano surdis carmina litoribus.
Desine velle meos lauro redimire capillos:
  Desine: temporibus convenit illa tuis.
Ast ego, quod teneros semper colo mitis amores,
  Serta coronata myrtea fronte geram.
Salve arbor, salve Hesperiis celeberrima silvis,
  Frigida quam patriae non habet ora meae.
Atque utinam velles nostris quoque crescere ripis,
  Qua secat obliquo Cynthius amne solum!

Non

13. *Praemia, quae vincunt gemmas, & munera regum,*
Quidquid & in lato nascitur Oceano] hunc quoque Lotichii sui locum imitatione ampliorem reddidit Johannes Fabricius Montanus, castissimae venae poëta, Eleg. 1. Sylvar. pag. 14.

Praeterea faciles Musae tibi carmina dictant,
Carmina Dis ipsis cognita coelitibus.
Carmina quae superant reges & munera regum,
Carius aut si quid maximus orbis habet.
Possideant alii quidquid felicibus arvis,
Quidquid & in toto nascitur Oceano.

cujus loci initio respexit forsan ista Flaminii Lib. III. Carm. 9.

Nos vero capiant Musarum gaudia sancta,
Gaudia Dis etiam cognita coelitibus.

cui simile illud Basilii Zanchii Lib. III. Eleg. 1.

Permistaeque choris animae felicibus ora
Conspiciunt solis cognita coelitibus.

& Angeli Politiani in Rustico, prope finem:

O vatum pretiosa quies, o gaudia solis
Nota piis, dulcis furor, incorrupta voluptas,
Ambrosiaeque deûm mensae, quis talia cernens
Regibus invideat?

gemmas & *regum munera* hac eadem in re jungit etiam aeternus ille Pindi nostri Batavici honor Janus Secundus Lib. 1. El. 2.

Haec tibi continget, thalamis quae digna deorum
Divum te nitidis anteferet thalamis.
Quae tibi postponet quidquid legit India rubro
Gurgite, felici gramine quidquid Arabs.
Quaeque tibi gemmis & regum carior auro
Ingenio vivax surget in astra tuo.

noster infra Lib. IV. Eleg. 3. ✠. 177.

Munus habes, regum gemmas quod vincit & aurum,
Et quidquid rubri volvit arena maris.

ad exemplum Tibulli Lib. III. El. 3. 29.

Sit mihi paupertas tecum jucunda, Neaera,
At sine te regum munera nulla volo.
Nec me regna juvant, nec Lydius aurifer amnis,
Nec quas terrarum sustinet orbis opes.
Haec alii cupiant: liceat mihi paupere cultu
Securo cara conjuge posse frui.

& Propertii Lib. 1. El. 14. ✠. 7. & seqq.

Non tamen ista meo valeant contendere amori.
Nescit amor magnis cedere divitiis.
Nam sive optatam mecum trahit illa quietem,
Seu facili totum ducit amore diem.

Tum

Non magis optarim ſacras mihi ſurgere citros,
  Grata nec arenti Punica mala ſiti.
Summa petant alii: myrtum veneramur amantes.
  Si mereor, crines ambiat illa meos.

Tum mihi Pactoli veniunt ſub tecta liquores,
Et legitur rubris gemma ſub aequoribus.
Tum mihi ceſſuros ſpondent ſua gaudia reges,
Quae maneant, dum me fata perire volent.

ſic enim forte corrigendum, non *mea gaudia.* ne in ſingulis iſtius loci verſibus eadem vox toties recurrat. Sed haec pluribus illuſtrabunt notata ad Lib. v. El. 17. 69. ubi vide.

21. *Salve arbor, ſalve Heſperiis celeberrima ſilvis*] Eodem fere colore Eridanum fluvium adloquitur Joh. Jovian. Pontanus Lib. I. Eridanor. Eleg. I.

Salve amnis, ſalve Heſperidum regnator aquarum,
Cujus & in coelo flumina nota micant.

25. *Non magis optarim ſacras mihi ſurgere citros,*
Grata nec arenti Punica mala ſiti] pariter haec jungit N. Heinſius in Pauſilypo Lib. I. El. 4. ℣. 19.

Sive ſitis torret, ſitienti grata palato
Praeda fluunt manibus citrea mala meis.
Nec mitem arboribus deſunt ſtillare liquorem
Punica demta ſuis, demtave Meda ſuis.

ita caſtigavit ipſe in exemplari poëmatum ſuorum poſtremae editionis.

27. — *myrtum veneramur amantes,*
Si mereor, crines ambiat illa meos] votum illud poëtis frequentiſſimum, qui paſſim myrti coronam ſibi optant. vid. Ciofan. ad Ovid. I. Amor. I. 29. & hinc noſter defuncto ſibi tumulum ex ſollemni amantium ritu myrto tegi deſiderat Lib. III. El. 9. in fine:

Jamque vale, & tenera buſtum ſuperintege myrto,
Non poterit cineres illa gravare meos.

ubi vide quae notabimus.

*Elegia XIII.

AD GEORGIUM CRACOVIUM.

De Natali suo.

Annua post sacras iterum lux ecce Calendas
Festa pruinosi, Craco, Novembris adest.
Qua prius ad tumulos animas placare solebant
Manibus & nostri solvere justa senes.
Hac ego vitales hausi puer editus auras,
Cum decimo genetrix mense tulisset onus.
Vagitusque dedi veniens in lumina vitae,
Primaque stirps sexu de meliore fui.
Ite procul tristes hodierna luce querelae,
Si potero, tempus per breve laetus ero.
Exsequar ut meritos cari natalis honores,
Flore mihi teneras circumeunte comas.
Ergo diu mecum nostros modulata dolores
Musa brevi spatio flebile differ opus.
Tu mihi Phoebeae positis resonantia curis
Fila move docto pollice, Craco, lyrae.

* Elegia XIII.] Haec Elegia, quae in aliis editionibus desideratur, in sola prima Voegeliana legitur pag. 199. ad pag. 203. forte fuit in ceteris omissa, quia plurima hic occurrunt eadem, quae in Elegia octava hujus libri ad Gregorium Schetum de Natali suo, sed quae inter se conferre ad artificii variationem juvat; quamquam comparatione instituta patebit hunc juvenis poëtae vernantem florem, alterum maturioris aetatis fructum solidiorem esse.

Et cane quid faustis mihi spondeat ignibus aether.
Abdita qui novit fata, cavere potest.
Jam vigil Oceani claram portarat ab undis
Mane pruinoso Lucifer axe diem.
Et genetrix nostros, & Solis viderat ortus,
Principium fuerat lucis idemque mei.
Scorpios Eoo ducebat ab orbe recentes,
Purpureum scandens aethera, Solis equos.
Et matutinos Cyllenius ante jugales
Utile carpebat, Pleiade natus, iter.
His comes e pelagi surgens natalibus undis
Alma capistratas Cypris agebat aves.
Terga sequens, illam jaculis terrebat & arcu
Aemonius, Phoebi clarus in arte, senex.
Cornibus armatus servabat limina fratrum
Aegoceros, coeli qui jacet ante fores.
Iliacusque puer liquidas fundebat in imo
Cardine, qui Superis pocula miscet, aquas.
Proxima ponebant gemini vestigia Pisces,
E quibus hic Boreae proximus, ille Noto.
Inde sequebatur, Phrixum, Phrixique sororem
Per mare quae nitido vellere gessit ovis.
Torva recensebat Saturnus cornua Tauri,
Qua solet emeritos solvere Phoebus equos.

Hinc

Hinc cum fratre pio felix concordia Pollux
  Ibat, ubi sedes mors habet atra suas.
Octipedis Phoebe peragrabat brachia Cancri,
  Et Dea praecipitis quae stat in orbe rotae.
Jupiter Herculei lustrabat terga Leonis,
  Jupiter in summo, clarus honore, polo.
Marte premebatur rigido, quae noctibus aequas
  Efficit, Autumni tempore, libra dies.
Sic vos siderei stellae micuistis, ab alvo
  Matris in hanc lucem me veniente, poli.
Tunc mihi fatorum triplices arcana sorores
  Abdita, fatidicis praecinuere modis.
Et Lachesis, nasci minus infelicibus annis
  Digne puer, dixit, non meliore die.
Non tibi Pierides citharam, nec Apollo negaret
  Pocula Castaliae (sidera testor) aquae.
Tempora sed dubii sortitus plena tumultus
  Fata juventutis flebis acerba tuae.
Inque peregrinis populis Helicone relicto
  Multa feres belli taedia, plura viae.
Non tamen aequoreas placeat tibi puppibus undas
  Carpere, nec dubio credere vela mari.
Atque utinam placidi faveat tibi mater Amoris,
  Incidat & votis nulla querela tuis.

Sed magis ignarum sortis juvet esse futurae,
  Quidquid erit, forti pectore disce pati.
Sic ait, & rutilis oculos avertit ab astris,
  Retulit & solitas ad sua pensa manus.
Dicamus bona verba, Deus regit astra, nec ullum
  Numine placato sidus obesse potest.
Te precor, ergo meis pater adnue maxime votis,
  Arbitrium vitae quem penes omne meae est.
Tu quodcumque mali est, & quidquid triste minantur
  Astra mihi, prohibe (nam potes) esse ratum.
Et quaecumque mihi felicia sidera spondent,
  Candida successu fata carere veta.
Da, genitor, mentem sanam, rectique tenacem,
  Et stabiles gressus in meliore via.
Ne ferar in praeceps ferventi concitus ira,
  Turbine me caeco nec malus ardor agat.
Sed placidus, metuensque tui, sine crimine turpi,
  Innocuae fingam carmina pacis opus.
Dum loquor, in rutilo spargit nox sidera coelo,
  Nunc decet adposito tangere plectra mero.
Nil valet ingenium, Bacchi sine munere, vatum,
  Cui gravis insurgit pectore cura, bibat.

Saevit

73. *Tu quodcumque mali est, & quidquid triste minantur*, &c.] Adhaeret Tibullo Lib. IV. El. 4. ℣. 7.
Et quodcumque mali est, & quidquid triste timemus,
In pelagus rapidis devehat amnis aquis.

Saevit hiems adoperta gelu, propioraque terris
Per loca declives Solis aguntur equi.
Spirat & hiberna Boreas violentus ab Arcto,
Adde, puer, calidis arida ligna focis.
Tot cyathos Craco ſumat quot Neſtoris anni,
Dumque bibit, linguis cetera turba ſave.
Fila canora tuae mihi Stoïus ebibat, Orpheu,
Barbara quae potuit corda movere, lyrae.
Lapſaque ſub terras dicat Lucanus, & orta
Sidera natalis tempore clara mei.
Sic mihi nox cithara, vinoque movente ſoporem
Dum levis inclinet lumina ſomnus, eat.
Optime Natalis ſalve, meliorque quotannis
Tempore tranquillae pacis eunte, redi.
Semper honoratas ut luce ſequente calendas
Carmine te laetus, ſed meliore, canam.
Dii modo concedant ſtudiis in dulcibus, aevi
Ponere quod ſupereſt molliter omne mei.

87. *Saevit hiems adoperta gelu*] vid. ad Lib. I. El. 6. 3.

91. *Tot cyathos Craco ſumat quot Neſtoris anni*] Elegans imitatio loci Ovidiani Lib. III. Faſt. 533.

Sole tamen vinoque calent: annoſque precantur,
Quot ſumant cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Neſtoris ebibat annos:
Quae ſit per calices facta Sibylla ſuos.

93. *mihi Stoïus ebibat*] Intelligit Matthiam Stoium Regiomontanum Boruſſum, cui inſcripta eſt Libri hujus Elegia prima. vide & Lib. V. El. 10. & Lib. II. Carm. 12. Lucanus ille ✝. 95. memoratus, idem eſt, cui ut & Georgio Cracovio inſcriptum eſt Phaleucium Lib. I. Carm. 15. atque imitatus eſt notum illud Ovidii I. Faſt. initio:

Lapſaque ſub terras ortaque ſigna canam.

Elegia XIV.

*Ad GULIELMUM,

Inclytum Hessorum Principis *Filium*, *patriae decus.*

Inclyte Semideûm de ſanguine nate parentum,
O decus, o patrii ſpes, Gulielme, ſoli.
Fortia cognatos aucture per arma leones,
Quem virtus annos jam tulit ante ſuos.
Qui Muſas veterum natalibus addis avorum,
Ut tibi conſpicuum nomen in aſtra ferant.
Macte animo juvenis, felicibus edite fatis,
O ſemper meritis non moriture tuis.
Macte iterum primo Phoebi nunc cultor ab aevo,
Hoc ita, non alio fama petenda modo!
Quae tibi perpetuos victura manebit in annos,
Aedera adhuc liquidas donec habebit aquas.
Donec erunt Veraris, Verarique potentior Albis,
Et qui nunc placidam Fulda pererrat humum.
Vivet, & extremi tuus ibit in ultima mundi
Nomina, terrarum qua patet orbis, honor.

Jam

* Ineditam hanc elegiam producimus ex Cod. MS. a Joh. P. Lotichio ad novam editionem adornato, qui notavit eam adjunctam fuiſſe Orationi Johannis Draconitis, Theologiae in Academia Marpurgenſi Profeſſoris, in lucem editae an. 1544. Recentem fuiſſe Lotichium a lectione Elegiae Ovidianae ad Regem Cotyn ſcriptae, quae exſtat Lib. II. ex P. Epiſt. 9. ex utriuſque conparatione patebit.

Jam tibi Pieriae texunt formoſa Camenae
  Serta, tuas, Princeps, implicitura comas.
Hic quoque Marticolae, Lano genitore, puellae
  Neſcio quam vitae ſpem melioris habent.
Texite Pierides, vernantes addite flores,
  Si liceat, veſtri dux erit ille chori.
Dicite Laniades, quas haec habet unda, Sorores,
  Qui novus hic veſtrae ſortis, & unde, decor?
Blanda quid inſolitos jam circum litora plauſus,
  Quid celebri raros editis ore ſonos?
Dicite, ſic fontes ſint vobis usque perennes,
  Ripaque venturos ſentiat illa Deos.
Sic ego, Naïadum ſic protinus una Dearum
  De grege, (vera cano) quae loqueretur, erat.
Nunc utinam, quamvis non ſunt ea ſecula nobis,
  Proveniant votis carmina digna meis!
Quaeris, ait, noſtri cauſſas, ſi forte notaſti,
  Qui merito dignus tempore, cultus adeſt.
Care mihi juvenis, noſtrarum cultor aquarum,
  Aoniis debes certior eſſe modis.
Eſt mihi, ſitque, precor, multos diuturnus in annos,
  Soſpite quo ſemper Principe ſoſpes ero.

Pro-

37. *Eſt mihi, ſitque, precor, multos diuturnus in annos*, &c.] Imitatio Ovidiana Lib. VI. Faſt. 219.

Eſt mihi, ſitque, precor, noſtris diuturnior annis
Filia, qua felix ſoſpite ſemper ero.

Albi-

Progenies magno non dissimulanda Philippo,
  Antiquum divi nomen adeptus avi.
Hinc veniunt pleni nobis in lintea venti,
  Haec inplet nostros utilis aura sinus.
Fortis ut est validam torquere viriliter hastam,
  Collaque magnanimi flectere doctus equi.
Sic didicit justis, quas tempus postulat, horis
  Carmina dulcisona ludere docta lyra.
Quam bene Maeandri moriturus suavia cycnus
  Concinit ad Phrygias, tempora laesus, aquas.
Forsan in hanc etiam, superis ducentibus, urbem
  Gaudia mutato transferet ille loco.
Quam genitor nostris, nec poenitet, adluit undis,
  Pallas ubi populi regnat in urbe sui.

Oita,

Albinovanus Eleg. ad Liv. 471.

Est tibi, sitque, precor, multorum filius instar,
Parsque tui partus sit tibi salva prior.

vide quae de hac bene precantium formula *est tibi sitque*, simili Graecorum ἐςί τε καὶ εἴη, notavi ad Vales. Lib. III. Emend. 13.

43. *Fortis ut est validam torquere viriliter hastam, Collaque magnanimi flectere doctus equi. Sic didicit justis*, &c.]
eleganter haec desumta sunt ex eodem Nasone Lib. II. ex P. Epist. 9. 57.

Atque ut es excusso jaculum torquere lacerto,
Collaque velocis flectere doctus equi.
Tempora sic data sunt studiis ubi justa paternis,
Utque suis humeris forte quievit opus.
Ne tua marcescant per inertes otia somnos,
Lucida Pieria tendis in astra via.

ita enim illic quoque legisse videtur Lotichius, non ut olim edebatur, *Utque est excusso* &c. idque praeferrem distinctioni *Atque, ut es, excusso* &c. pro statim, data occasione, non mutato habitu, ut *sicut erat* & sim. quod volebat Patruus meus. simul enim laudat studia armorum & Musarum, ut es doctus jaculum torquere, sic tempora studiis data sunt. quo sensu plano admodum & rotundo Ovidii locum etiam noster intellexit, ut ex ejus imitatione patet. Non dissimilia occurrunt Lib. II. Fast. v. 11. & seqq.

Si mihi non valido torquentur pila lacerto,
Nec bellatoris terga premuntur equi.
Nec galea tegimur, nec acuto cingimur ense,
His habilis telis quilibet esse potest.
At tua prosequimur studioso pectore, Caesar,
Nomina, per titulos ingredimurque tuos.

O ita, Phoebe, velis, pia quem ſine conjuge mater
Edidit intacto nympha pudica viro.
Lane pater gaude, natae gaudete paternae,
Nectite purpureas, quas ferat ille, roſas.
Sic mihi ſit facilis quocumque ſub aequore Tethys,
Sic urbs clara ſuo floreat illa duce.
Floret, & aetherium jam vertice pulſat Olympum,
Tangit & excelſis ſidera ſumma jugis.
Utque fovet reducem verae pietatis amorem,
Numina ſic veteris Martis & artis amat.
Hic ſuus eſt etiam Muſis favor, Helius olim
Huc traxit ſacras ex Helicone Deas.
Quid, quod habet Comites, quod nobilitate potentes?
Et qui fortunae cetera turba ſumus.
Salve cognato virtutibus aemula coelo,
Ignotas inter non habitura locum!
Inclyta vive, tuas quae ſurgis in aſtra per artes,
Diſce tamen propriis ipſa favere bonis.
Sic ait: & patrium, cum voce, receſſit in amnem,
Doctaque caeruleis obruit ora vadis.
Mollius inſonuit doctis concentibus aër,
Et Lanus ſubitis purior ibat aquis.
Accipe magnorum ſanguis generoſe Deorum,
Progenies factis digna parente tuis.

Sic tibi cum cithara certas det Apollo ſagittas,
Teque cadant multae percutiente ferae!
Sic tibi dent vates (quia non odiſſe poëtas
Diceris) ex opibus carmina multa ſuis.
Sic pater & longos vivat tibi mater in annos,
Nil potuit voto majus ineſſe meo.
Carmina Lanicolis dictantibus accine Nymphis,
Meque tui cupidum quemlibet inter habe.
Quod melius faciunt alii: quos inter in omni
Parte Draconites non renuendus erit.
Qua tamen & feſtas accedit egenus ad aras,
Eſſe tuum tali me patiare via.
Vel minor eſt tecum, vel par, mihi forſitan aetas,
Arbitrio dominae cetera Sortis erunt.
Quae mihi non duro veniet, te Principe, vultu,
Sat levis ambigua jam fuit illa rota.
Sufficit haec noſtrae jam vos ceciniſſe Camenae,
Hic properata ſuum dextera ſiſtat opus.
Poſtmodo, ſed melius, cum venerit ipſe, canemus,
Jam luſit numeris prima juventa ſuis.

Vive

77. *Sic tibi cum cithara certas det Apollo ſagittas*, & ſeqq.] Adhaeret optime illis Ovidianis Epiſt. IV. 169 & ſeqq.
Sic tibi ſecretis agilis Dea ſaltibus adſit,
Silvaque perdendas praebeat alta feras.
Sic faveant Satyri, montanaque numina Panes,
Et cadat adverſa cuſpide foſſus aper.
Sic tibi dent Nymphae (quamvis odiſſe puellas
Diceris) arentem quae levet unda ſitim.

95. *Poſtmodo, ſed melius, cum venerit ipſe, canemus*] Aperta imitatio Virgilii Ecl. IX. ℣. ult.
Carmina tum melius, quum venerit ipſe, canemus.

Vive tibi, faciles Christo Dux adsere Musas,
  Quod fieri per te possit ut omne, vale.

96. *Jam lusit numeris prima juventa suis.*] Est ejusdem Ovidii versus Lib. II. Fast. 6. simile illud Lib. III. Amor. I. 28.

Quod tenerae cantent, lusit tua Musa, puellae,
  Primaque per numeros acta juventa suos.
ut recte emendavit Marius, non *apta*.

*ELEGIA XV.

AD

JACOBUM MICYLLUM,

Poëtam, & Praeceptorem.

Vade tui pro me doctas hinc Vatis ad aures,
  Debitor est famae qui tibi, Musa, suae.
Qui primus teneris vestris e fontibus annis
  Parva mihi sacris ora rigavit aquis.
Cum venies celebrem, quam Moenus radit, in urbem,
  Hessiaca longe non ea distat humo.
Qua Franci quondam, sumtis in Saxones armis,
  Lintea spumosis adplicuere vadis.

* Hanc quoque Elegiam, quae in nullis hactenus conparuit editionibus, ex eodem codice MS. primi producimus. de Jac. Micyllo, Lotichii nostri praeceptore, vide notata ad Lib. I. Eleg. I. in initio.

2. *Debitor est famae qui tibi, Musa, suae.*] Respexit Ovidium Lib. IV. ex P. Epist. I. in initio.

Accipe, Pompeji, deductum carmen ab illo,
  Debitor est vitae qui tibi, Sexte, suae.

Ceterum Elegiae hujus argumentum quisque videt formatum esse partim ad normam Elegiae primae Tristium Nasonis, partim ex Elegia ad Perillam, quae Lib III. Trist. El. 7. legitur: neque dissimilia occurrunt apud nostrum in Lib. V. Eleg. XVII. ubi Librum Elegiarum pari colore adloquitur, quae in Parisina ac Voegeliana editione omnium agmen ducit. neque abludit Tibulli Elegia prima Libri tertii.

Protinus alta tibi quaeratur in urbe Micylli,
  Cujus eram quondam pars ego parva, domus.
Sit quamvis, ut erat, longo ſubmota receſſu,
  Ingenio tanti non latet illa viri.
Ante tamen, docti limen ſubitura poëtae,
  Pone ſua comtas in ſtatione comas.
Ante pedes, moneo, caute quoque ferre memento,
  Ne tibi ſit viſae diſplicuiſſe pudor.
Invenies illum, tua qui gerit arma, ſedentem,
  Mollia dum ſolito carmina more canit.
Qualia, trajectus non molli tempora penna,
  Canus in herboſo gramine cantat olor.
Si fuerit laetus, curaſque remiſerit omnes,
  Cum faciles aditus tempus habebit, adi.
Quid trepidas, & tuta paves? depone timorem:
  I, gravis officio non erit ille tuo.

Acci-

14. *Pone ſua comtas in ſtatione comas*] Ovid. I. Am. 8. ℣. ult.
Pone recompoſitas in ſtatione comas.

17. *Invenies illum, tua qui gerit arma, ſedentem,*
Mollia dum ſolito carmina more canit] pariter Ovidius ad Perillam ℣. 3.
Invenies illam dulci cum matre ſedentem,
Aut inter libros Pieridaſque ſuas. & ſeqq.
Tu quoque dic ſtudiis communibus ecquid inhaeres,
Doctaque non patrio carmina more canis?

23. *Quid trepidas, & tuta paves*] Elegantius eſſet, *Quid trepidas? quid tuta paves?* ita certe praeferunt ex codicibus vetuſtis viri docti apud Ovid. v. Triſt. 2. 37.
Quid dubitas? quid tuta times? accede, rogaque,
Caeſare nil ingens mitius orbis habet.
& Lib. III. ex P. Ep. I. 119. *Quid trepidas? quid adire times.* vide iſtic notas. Sed vulgatas ſui temporis editiones Ovidii ſecutus eſt Lotichius. idem Ovid. VII. Met. 47.
— quid tuta times? accingere, & omnem
Pelle moram.
eadem repetitione apud Lucanum Lib. V. ℣. 482.
Quid Superos, quid fata tenes?
ut ex cod. Hamburg. profert Patruus meus. vulgo *Quid Superos, & fata tenes?*

Accipiet placidus, nec multis ante moratus
  Dicet, in Hessiaco quid facit ille solo?
Talia cui (docto postquam requieverit ore)
  Pauca refer, numeris molliter usa tuis.
Vivit, & ex illis tibi mittit ad usque salutem,
  Quam mallet praesens ferre, Micylle, jugis.
Hic ubi furtivi semper fiducia belli
  Te duce suscepta non finit ire via.
Te tamen, & tecum quae plurima sentit abesse,
  Hic etiam memori pectore semper habet.
Interea gratam liquido testantia mentem
  Carmina, quae vati mittere posset, erunt.
Quidquid id est, vobis solum debere fatetur,
  Quidquid id est, meminit, muneris omne tui.
Tu nisi Pegasidas duxisses primus ad undas,
  Arida neglectae vena perisset aquae.
Te sibi tum frondens longe (solet ipse referre)
  In nemus hoc tutas exhibuisse vias.
Ergo prius duris carituros montibus Hessos,
  Antraque silvestres non habitura feras.

29. *tibi mittit ad usque salutem*] Ita edidi. male. *adusque* in MS. vide Patrui mei notas ad Virg. VII. Æn. ℣. 289.

39. *Tu nisi Pegasidas duxisses primus ad undas,*
Arida neglectae vena perisset aquae] totum hoc distichum effictum est ex illis Ovidii ad Perillam ℣. 15.
Hoc ego Pegasidas deduxi primus ad undas,
Ne male fecundae vena periret aquae.

Et Lanum, primos rediturum fontis ad amnes,
Irrita quam meriti pars eat ulla tui.
Languida quam memori ſubeant oblivia menti,
Hic quoque non dubia novit amare fide.
Haec ubi ſic fueris, vel non diverſa, locuta,
Illaque, qua miſi, cauſſa peracta, redi.

In-

45. *Et Lanum primos rediturum fontis ad amnes*] Forte melius ſcripſiſſet *primos rediturum fontis ad ortus.* licet alterum non damnem. *fontis caput* vocant alii poëtae. Propertius Lib. III. El. 17. 6.

Flamma per incenſas citius ſedarit ariſtas,
Fluminaque ad fontis ſint reditura caput.

& Ovidius Lib. I. Triſt. VIII. initio:

Incipit alta ſuum labentur ab aequore ſummo
Flumina, converſis Solque redibit equis.

ubi vide Ciofanum. notum illud Oenones Naſonianae Epiſt. V. 29.

Quum Paris Oenone poterit ſpirare relicta,
Ad fontem Xanthi verſa recurret aqua.
Xanthe retro propera, verſaeque recurrite lymphae;
Suſtinet Oenonen deſeruiſſe Paris.

quem locum vel ideo proferimus, ut pulcherrimum imitationis artificioſiſſimae ex duobus recentioribus poëtis exemplum juventuti Muſicarum deliciarum ſtudioſae ob oculos ponamus. Primus eſt Sidronius Hoſſchius, nullo veterum aut novorum poëtarum ingenii fertilitate ac venae dulcedine inferior, qui Ovidiana illa Oenones ita ad queribundum Petrum retulit, in Lacrimis Petri Eleg. VI. initio:

Dicebam, memini, geminos revolutus in ortus
Jordanes verſis ante recurret equis.
Quam violem te, ſancta fides, victusque timore
Signa ferar Domini deſeruiſſe mei.
Vertere Jordanes, flexoque relabere curſu,
Deſerui domini prodita ſigna mei.

altera imitatio eſt Johannis Sommeri, terſiſſimi inter Hungaros poëtae, & egregii Muſarum ac Martis ſimul alumni, in Delic. Poët. Hung. pag. 409.

Poſſe venire meae tam foeda pericula vitae,
Ut mibi ſint etiam proxima vota mori,
Euxinas potius converſo flumine, dixi,
Ad fontem rediens dejeret Iſter aquas.
Iſter aquas cobibe: poenas erroris babemus,
Saepe mibi miſero vota fuere mori.

huc refer locum Valerii Catonis in Diris ℣. 66.

Nil eſt quod perdam ulterius, merita omnia dixi.
Flectite currentes lymphas vaga flumina retro
Flectite & adverſis rurſum diffundite campis.

ſic ultimum verſum edidit Aldus. Scaliger autem ex veſtigiis antiquarum editionum, *averſi curſum diffundite.* Sed N. Heinſius in notis ad Catonis Diras hactenus ineditis conjiciebat:

Flectite, & everſis ſurſum diffundite campis.

lymphas ſcilicet, quod praeceſſit. ſed pluribus frequentiſſimum hoc poëticum ἀδύνατον illuſtrabunt obſervata Hadr. Relando Lib. I. Palaeſtin. Vet. pag. 275. & Drakenborchio ad Silium Ital. Lib. V. 253. Ceterum huic loco prorſus ſimile eſt illud Propertii Lib. I. El. XV. ℣. 29.

Muta prius vaſto labantur flumina ponto,
Annus & inverſas duxerit ante vices:
Quam tua ſub noſtro mutetur pectore cura.

49. *Haec ubi ſic fueris, vel non diverſa, locuta*] Leander apud Ovidium Epiſt. XVIII. 75.

Haec ego, vel certe non bis diverſa, locutus
Per mibi cedentes ſponte ferebar aquas.

Inclyta nam (memini) nisi tempora mercibus obstant,
  Hospitiis urbs est vix habitura locum.
Cernere jam videor rumpi prope moenia turba,
  Et populum laedi deficiente via.
Ante tamen dominam supplex reditura saluta,
  Et natos, castae pignora fida domus.
Plura tibi possem mandare: sed illa pudore
  Vix etiam poteris inpediente loqui.
Tu tamen o totum jam clare, Micylle, per orbem,
  Cujus ab officiis pars mihi nulla vacat.
Quidquid erit, timidae veniam concede Camenae,
  Si fuimus turbae pars quoque parva tuae.
Sic tuus in patrias exsurgat Julius artes,
  Sic minor in clari facta parentis eat.

Sic

63. *Sic tuus in patrias exsurgat Julius artes*] *Exsurgere in patrias artes* hic dixit Lotichius, quod *erudiri in patrias artes* Ovidius, cujus locum cogitabat, Epist. I. 112.

Est tibi, sitque precor, natus, qui mollibus annis
In patrias artes erudiendus erat.

ubi vide notas. ad hunc Julium Micyllum, Jacobi filium, quod adtinet, parentis vota inplevit, & in patrias artes eruditus, Ludovici Electoris Palatini postea Cancellarius fuit, & bene de patris sui manibus ac Musis meritus est, collectis atque editis ejus Poëmatibus, in quibus tamen discipulo suo Lotichio longe inferior est. Ovidio quidem similiorem fuisse Micyllum judicat Jul. Caes. Scaliger lib. VI. Poëtices pag. 788. sed quem recte refutat Joh. P. Lotichius in Censur. super Poët. Nov. Antiq. cap. XIV. ubi vitia nonnulla in carminibus Micylli notans magis se ad genium Propertianum conposuisse observat: quod verum, si genium istum Propertianum unice efficiant pentametri in polysyllaba desinentes. eidem Julio Micyllo duo sacri argumenti carmina inscripsit Lotichius, quae habentur Libro II. Carminum. Alter autem filius ille Micylli destituit paterni laris honorem, cum inter cives Heydelbergenses sartor fuerit, unde eruditionem non semper haereditariam, Deumque dona sua varie inter mortales distribuere, hoc Micyllorum exemplo notant J. P. Lotichius in Biblioth. Poët. P. III. pag. 50. & Melch. Adamus in vitis Germ. Philos. pag. 84. deinde ℣. 66. forsitan scripserit Lotichius:

Et meritis dicat quilibet esse tuum.

Sic geminet ſummum veſtri laris alter honorem,
  Et meritis dicat quilibet eſſe tuis.
Filia ſic longos ſimul utraque tranſigat annos,
  Sic poſſis conjux eſſe, Jacobe, diu.
Venit ab Heſſiacis, ignoſce, quod horrida terris,
  Nec notos mores forſitan urbis habet.
At tu, ſi mentem jam non graviora morantur,
  Et mea non omni vota pudore carent.
Dic, precor, incultae, ſi non grave, qua ſit eundum,
  Te duce quo poſſit cultior eſſe modo.
Qua deceat paſſos conponere lege capillos,
  Qua fiat melior factus ab arte decor.
Memnonis hanc primum mihi gaudia tanta ferentem
  Rorifero mater provehat axe diem!

Marpurgi VIII. *Idus Septembris*
Anno MDXLIV.

77. *Memnonis hanc primum mihi gaudia tanta ferentem*
Rorifero mater provehat axe diem] Ovidium rurſus ſequitur Lib. I. ex P. Epiſt. 4. 57.
Memnonis hanc utinam lenito Caeſare mater
Quamprimum roſeo provocet ore diem!
ubi in aliis codicibus *provehat*. unde legebat Heinſius *provehat axe*. quod hac poëtae noſtri imitatione poſſet firmari, niſi potius ipſe Lotichius ita quoque apud Ovidium maluerit. & ſic Lib. I. El. 2. ℣. ult.
Hunc celeri portet Lucifer axe diem.
ubi notata vide.

PETRI

PETRI LOTICHII SECUNDI
ELEGIARUM
LIBER TERTIUS.

*Elegia I.
AD
JOANNEM DE SILVA LUGDUNENSEM.

Sol iter emensus longum revolubilis anni,
  Aurea Phryxeae terga premebat ovis:
Jamque novis tepidas Zephyris mulcentibus auras,
  Cesserat adventu squalida veris hiems:
Cum fugiens duri, Silvane, pericula Martis,
  Linquebam patriae moenia celsa tuae:
Moenia, quae placidis Arar interlabitur undis,
  Et Rhodani magnas, non minor, auget aquas.

* Legitur haec Elegia in Itinerariis variorum poëtarum veterum & recentiorum, carmine scriptis, a N. Reusnero Basileae 1592. editis, Lib. VI. pag. 497. sub titulo *Petri Lotichii Secundi Iter Patavinum ad Johannem Sylvanum*. In Editione Voegeliana pag. 154. haec Elegia initium Libri secundi Carminum facit, cum hac inscriptione AD JOHANNEM DE SYLVA LUGDUNENSEM, *De infelici suo ex Gallia reditu, cum omnia arderent bello civili.* & sic in vulgatis Lipsienss. edd.

1. *Revolubilis*] *Remeabilis* apud Reusner. *emensum* vitio operarum in vulg. edd. Hos Lotichii versus non dubito quin ante oculos habuerit, & satis eleganter expresserit Dav. Sigismundus Cassovius initio Itiner. German. & Sarmatici:

Sol ovis emensus longum Nephelеidos astrum
  Proxima vicinis signa petebat equis.
Qua sub Agenorei celatus imagine Tauri
  Jupiter in coelo nomen amantis habet.
Jamque novis liquidas Zephyris mulcentibus auras,
  Mitia purpurei tempora veris erant.

5. *duri*] *diri* apud Reusner.

Arma prius tuleram, sed tunc pia caussa vetabat
  Regia, posthabito Caesare, castra sequi.
Et quaecumque foret belli fortuna, timebam,
  Nec dubiis poteram rebus habere fidem.
Temporis illius miseranda subibat imago,
  Aspera quo passus vincula nuper eram:
Martius occiduam qua spectat Narbo Pyrenen,
  Siccaque coeruleus litora findit Atax.

Adde

12 & 13.] Non leguntur apud Reusner.

12. *Nec dubiis poteram rebus habere fidem*] Ita recte Lotichius, non *adhibere fidem*, a qua locutione, merito viris doctis inprobata, diligenter sibi cavisse nostrum observare licet, quia aliis in locis, ubi *habere fidem* metrum non admittit, semper dicit *addere fidem*, quod Ovidio frequens. ut infra El. 2. 48.

Tu modo promissis adde, Cupido, fidem.

& Lib. II. El. 1. 23.

Pollicitisque fidem jubet addere Mater amoris.

ubi potuisset scripsisse,

Pollicitis adhibere fidem vult Mater amoris.

sic *adde fidem visis* apud Joseph. Iscan. III. 37. in hac phrasi dubia lectio est apud Ovid. XV. Met. 361.

Si qua fides rebus tamen est addenda probatis.

ubi perperam Heinsius ex nonnullis codicibus praetulit vitiosam lectionem *fides adhibenda*, ut notavit Patruus meus, qui recte docet *fidem adhibere* esse fideliter aliqua in re versari: sed pro *credere* apud Martialem, Ausonium, Sulpitium Severum, quidem occurrere, non vero apud probatae aetatis scriptores. defendere tamen alii eam conati sunt ex corruptis Ciceronis editionibus Lib. II. de Div. 59. *si insanorum visis fides non est adhibenda.* sed in codd. & edd. emendatis *fides habenda.* quomodo etiam recte edidit Davisius. apud Justinum quoque constanter habent codices & meliores editiones *fidem nuntio habere* Lib. XIII. cap. 1. recte igitur damnarunt hanc phrasin Scioppius de Stylo p. 71 Cellarius in Antib. p. 226. & Curis Post. p. 397. & Scaligero atque Antonio Schoro eam male excidisse notavit Vorstius de Latin. mer. Susp. cap. 17. neque ego id monuissem, nisi viris ceteroquin doctissimis eam adhuc hodie aliquando excidere observassem.

15. *Martius occiduam qua spectat Narbo Pyrenen,*
Siccaque coeruleus litora findit Atax.] Sequi videtur Lotichius opinionem illorum, qui fluvium Atacem olim Narbonam permeasse existimant, qua de re erudite disserit Petrus de Marca Lib. I. Marcae Hispan. cap. 7. & 8. Vibius Sequester de Fluminibus: *Atax e Pyrenaeo circa Narbonam decurrit in Tyrrhenum.* ubi pro *e Pyreneo* in codicibus nonnullis *Phitenorum* legitur, quomodo & in MS. Dorvilliano habetur. unde *Rhutenorum* emendat Cel. Oudendorp. ad Lucan. Lib. I. 402. ubi plura de hoc fluvio: quamquam pro vulgata lectione faciat Plinius lib. IV. cap. 4. *Flumen Atax e Pyrenaeo Rubrensem permeans lacum: Narbo Martius* &c. & Mela Lib. II. cap. 5. *Atax ex Pyrenaeo monte digressus* &c. idque etiam sequitur noster supra Lib. II. El. 10. 8.

Pha-

Adde quod & dulci patriae tangebar amore,
  Exſpectans ſtudiis otia parta meis.
* * * * * * * * * * * *
  * * * * * * * * *
Protinus Allobrogum celſas in finibus Alpes,
  Horridaque emenſi luſtra nivesque ſumus.
Contigimusque lacum, Rhodanus qua ſpumifer exit:
  Sed glacie tectis tunc piger ibat aquis.
Inde per intonſi nimboſa cacumina Jurae,
  Venimus ad ripas, Arela curve, tuas.
Omnibus inque locis, fulgentibus obvia ſignis,
  Vidimus Helvetiis agmina miſſa jugis.

Phocaicoſque ſinus, & qui latiſſima ſulcat
Arva, Pyrenaeis montibus ortus, Atax.

Atacem e Cemmeno in mare delabi ſcribit Strabo Lib. IV. G. pag. 182. *Edas* vocatur Ravennati Anonymo Lib. IV. Geogr. cap. 28. fine. *Per Septimaniam provinciam tranſeunt plurima flumina, inter caetera, quae dicuntur Orobs & Edas, qui ingreditur in mare Gallicum, lacus Narbonenſis.* ubi *Atacem* intelligi notat editor Porcheronius. Ceterum unde *Narbo Martius* dictus fuerit, diſquirunt Vinetus ad Auſon. Clar. Urb. XIII. *Nec tu Martie Narbo ſilebere* &c. & Joh. Iſacius Pontanus in Appendice, ſeu notis ad Itinerarium ſuum Galliae Narbonenſ. pag. 79. qui deducunt originem a decimae legionis Romanae, Martiae dictae, colonis Narbonam miſſis. vid. & Merulam in Cosmograph. P. II. Lib. III. cap. 37. ſed rectius Scaliger ad Euſeb. pag. 148. eumque ſecutus Savaro ad Sidon. Apoll. praef. carm. XXII. pag. 168. inde dictum exiſtimant, quod M. Porcio Catone & Q. Martio Coſſ. Narbonam colonia deducta ſit. vid. Voſſ. I. de Analog. cap. 12. & Sirmondum ad Sidonium pag. 154.

19. Nullus hiatus apud Reuſner. nec in Ed. Voegel.

25. *Inde per intonſi nimboſa cacumina Jurae*] Hunc Lotichii verſum, ut ſaepe, imitatus eſt Paulus Meliſſus in Elegiis pag. 117.

Inde per algentis metuenda cacumina Jurae
Tergore geſtavi non leve ſoſpes onus.

montis hujus *Jurae*, qui *Juraſſus* aliis dicitur, & Galliae Narbonenſis eſt, meminit etiam noſter ſupra lib. II. El. 3. 34.

Quid tamen hibernas pulſis Aquilonibus Alpes
Profuit, aut rupes ſcandere, Jura, tuas.

Rapinus Lib. I. Hortor. pag. 33.

Atque crocum aëriae ſuper alta cacumina Jurae
Creſcentem &c.

& Sannazarius Lib. III. El. I. 112.

Inde per inmenſum lati ſpatiabere campi,
Oſtendit ſacrum mons ubi Jura nemus.

ubi plura de hoc monte vide in notis Broukhuſii, & Cel. Oudendorpii ad Jul. Caeſar. Lib. I. de B. G. cap. 2.

Non illic colit arva Ceres, non confitor uvae,
  Nemo peregrinis mercibus auget opes.
Incola contentus parvo, nec fallere doctus,
  Gaudet in herbofa pafcere valle pecus.
Lacque novum femper, preffique coagula lactis,
  Dulcia foecundi munera ruris habet.
Jamque propinquabam Rheni fpumantibus undis.
  Ille fuo feffos amne lavabat equos.
Jam procul aërios montes, procul alta videbam
  Templa, Palatinis confpicienda jugis.
Ergo falutabam loca nota, Deosque locorum,
  Et Nicri colles, Pieriamque domum.
Mille pererrabant tacitam mihi gaudia mentem,
  Ante oculos patriae cum foret ora meae.

Et

30. *Nemo peregrinis mercibus auget opes*] *peregrinas* apud Reufner. male. *externam mercem* vocat Tibullus Lib. 1. El. 3. 40.

Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Prefferat externa navita merce ratem.

33. *Lacque novum femper, preffique coagula lactis*] *Prifcique* male apud Reufner. in animo habuit totum illud Virgilii Ecl. 1. 82.

Caftaneae molles & preffi copia lactis.

coactum lac vocant alii: unde *coagula.* hinc *vinum coactum* optime in Plauti loco adferit Gronovius Lib. 4. Obferv. cap. 3. pag. 33. & *cogere vindemiam*, *cogere oleas* pro vinum vel oleum ex lectis uvis vel olivis facere, explicat. Nemefianus Ecl. 11. 33.

— nec vimine lento
Perfeci calathos cogendi lactis in ufus.

ubi vide Patrui mei notas. ceterum initio hujus verfus refpexit Virg. Ecl. 2. 22.

Lac mihi non aeftate novum, non frigore defit.

ut olim diftinguebatur. Sed ex Patrui mei notis patebit rectius Heinfium emendaffe:

Lac mihi non aeftate, novum non frigore defit.

& fimilia in feculi aurei defcriptione apud Tibull. 1. El. 3. ꝟ. 40. & feqq. 46.

39. *Ergo falutabam loca nota, Deosque locorum*] Ovidium cogitabat Lib. 1. Trift. El. 1. 71.

Ignofcant augufta mihi loca, Dique locorum.

41. *Mille pererrabant tacitam mihi gaudia mentem*] Exemplum probati e vetuftis poëtae mihi non fuccurrere fateor, quo *gaudia mentem pererrare* dicantur: & licet occurrat, tamen verbo longe magis emphatico, nifi duo fpondaei initio verfus noftrum offenderint, fcribere potuiffet.

Quot pertentabant tacitam mihi gaudia mentem,
Ante oculos patriae cum foret ora meae!

ad

Et velut, Ioniis cum navita fessus ab undis
Post duo natalem lustra revisit humum,
Laetitia exsultat, caraeque dat oscula terrae,
Exilii recolens taedia longa sui:
Sic ego, fortunae tot tempestatibus actus,
Mollia concipiens otia, laetus eram.
Cum mihi fama volans inopinos retulit hostes
Castra super ripas, Moene, locasse tuas:
Deletasque acies, & totas funditus urbes
Ignibus eversas procubuisse solo.
Quid loquar ereptos profugis cultoribus agros?
Praediaque ad dominos non reditura suos?
I nunc, finge animo reditus, finemque malorum,
Teque puta casus exsuperasse tuos.

ad imitationem Virgilii lib. I. Æn. 502.

Latonae tacitum pertentant gaudia pectus.

quo tamen loco mirari licet acumen Grammatici Probi, verbum illud inprobantis apud Gellium Lib. IX. cap. 9. meliora certe te docebunt istic Servius, & e recentioribus interpretibus Pontanus, Cerda, ac Taubmannus. & qui optime verbi hujus elegantiam in loco Virgilii vindicavit, Mercerus in notis ad Nonium Marcellum p. 88. forte & *praetentabant* rectius foret, quia quasi mente praelibabat gaudia reditus in patriam. ita certe variant codices nonnulli apud Virgilium dicto loco, & Lib. V. Æn. 828.

Hic patris Aeneae suspensam blanda vicissim
Gaudia praetentant mentem.

vulgo *pertentant*. vim verbi *pertentare* cognoscere licet ex alio Maronis loco Lib. III. Georg. ỷ. 250.

Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantum notas odor adtulit auras.

ubi optime Servius: *Signatis sermonibus utitur ad vim amoris exaggerandam: dicens & tota corpora & pertentet, id est penitus tentet.* vide etiam de verbo *pertentare* notas Lambini ad Lucret. p. 768. & Patrui mei ad Petron. cap. 127.

45. *Laetitia exsultat, caraeque dat oscula terrae*] pariter de Cadmo Ovidius III. Metam. 24.

Cadmus agit grates, peregrinaeque oscula terrae
Figit, & ignotos montes agrosque salutat.

ubi de hoc more plura ex Mureto apud Ciofan. adde Meurs. ad Lycophron. pag. 105. & Sitzman. ad Rutil. I. ỷ. 43.

Exul, inops, erro; nec honore carentia mortis
Matris adhuc licuit busta videre meae.
Ah melius Rhodani submersus in amne fuissem,
Naufraga cum tumidis fluctibus hausta ratis.
Insonti melius caput a cervice recisum
Vidisset medio Narbo jacere foro.

Quot

56. *Teque puta casus exsuperasse tuos*] Sonorius forsan fuisset, si scripsisset Lotichius,

Et puta te casus exsuperasse tuos.

neque enim ultimam in imperativis istis correptam quemquam offendere debere docebit Servius ad Virg. II. Æn. 651. *praepositiones vel adverbia in* a *exeuntia modo producunt ultimam, excepto* puta, *&* ita, *quia apud Ennium & Pacuvium brevia sunt.* pari modo legendum apud Martialem lib. XI. Epigr. 44. ex codice Wittiano:

Et puta te cunnos uxor habere duos.

vulgo. *Teque puta.* sic ejusdem libri Ep. 96.

In solium puta te mergere Flacce caput.

vide Scriverium ad Martialem pag. 85 & 90. ubi recte cum Grutero praefert,

Omnia solus habes. hoc me, puta, velle negare.

& in Epigrammate Priapejorum, carm. XXXVIII. probat,

Ut Phoebo, puta, filioque Phoebi.

ubi Heinsius tamen malebat *ut Phoebo pote.* sed ita in iisdem Lusibus Epigr. XL. ut G. Fabricius exhibuit in Roma sua pag. 83.

Ut puta de questu libera facta suo.

ubi tamen vulgatum *puto* praeferrem. apud Persium Sat. IV. ℣. 9.

Hoc, puta, non justum est: illud male, rectius istud.

quomodo in Rob. Stephani editione habetur, & in Bongarsii membranis invenit Casaubonus, probante Vossio Lib. II. de Art. Gram. cap. 24. quem vide, & plura apud Is. Vossium ad Catull. pag. 26. & Pincierum Lib. III. Parerg. cap. 3.

57. *Exul, inops, erro*] Ex Ovid. Ibide ℣. 113.

Exul, inops, erres, alienaque limina lustres.

59. *Ah melius Rhodani submersus in amne* & seqq.] Indicat hic Lotichius pericula illa, quibus expositus fuit in peregrinatione Gallica, de quibus ad loci hujus intellectum lege Hagii vitam Lotich. pag. 106. huj. edit. Simili fere exclamatione utitur Ulixes apud A. Sabinum Epist. I. Respons. ad Penelop. ℣. 57.

Ah melius, Polypheme, tuo superatus in antro
Finissem ingratos ad mala tanta dies.
Threicio melius cecidissem milite victus,
Ismaron errantes cum tenuere rates.
Crudelemve illo satiassem tempore Ditem,
Quo redii Stygiis fata moratus aquis.

neque abludit illa Ovidii querela Lib. III. Trist. El. 2. 25.

Hei mihi, quod nostri toties pulsata sepulcri
Janua, sed nullo tempore aperta fuit.
Cur ego tot gladios fugi? totiesque minata
Obruit infelix nulla procella caput?

ceterum apud Sabinum in veteri codice *At melius* legi pro *Ah* testatur Eustath. Swarthius, ut notavit Heinsius. quod hic etiam mallem. elegantiam istius particulae initio orationis concitatae multis illustrant Muretus ad Catull. carm. 3. Heinsius ad Ovid. Epist. XII. init. & Lib. III. Am. 7. 1. & Gronov. ad Justin. XIV. 4. 10. & confusa cum *Ah* in multis aliis veterum locis, ut apud Propert. II. 13. 35. Ovid. Ep. II. 45. Catullum Ep. 81. ubi ex codd. ubique *At* legendum.

Quot mala finiſſem leto, ſi dura tuliſſent
  Aſtra feri Martis, falciferique Senis?
Ire per extremas gentes libet, ire per undas,
  Et patriam ignoto quaerere in orbe novam.
Non ego, Moene pater, quae te ſperare jubebam,
  Suſpendam ripis munera vota tuis.
Namque (recordor enim) cum bella peroſus abirem,
  Per tua cornipedi flumina vectus equo:
Moene vale, dixi, reducem ſi Numina ſiſtent
  Me tibi, ſi niveus fulſerit ille dies;

Hunc

61. *reciſum*] *revulſum* legitur apud Reuſn. ſed alterum praeſtat. ut apud Ovid. IX. Met. 71.

De centum numero caput eſt impune reciſum.

& ſic Lib. II. ex P. Ep. 8. ℣. 65. legebat Heinſius:

Nam caput e noſtra citius cervice recidi,
Et patiar foſſis lumen abire genis.

65. *Ire per extremas gentes libet, ire per undas*] Eſt imitatio Propertii Lib. I. El. I. 30.

Ferte per extremas gentes, & ferte per undas,
Qua non ulla meum femina norit iter.

ſimilla vide infra ad Eleg. III. ℣. 49.

67. *Non ego, Moene pater*, &c.] In Juvenilibus Lotichii pag. 304. Ed. Lipſ. an. 1586. carmen occurit ad Gulielmum Rondeletium, cujus initium convenit cum El. 3. Libri III. ſed altera parte carminis penitus inmutata, ut illic notabimus; in quo ſimilia occurrunt, quae cum hoc loco uſque ad ℣. 76. conferenda ſunt, ut adpareat, quomodo verſus ſuos caſtigarit, & variatis nonnullis pro argumenti ratione aliter formaverit poëta:

Non ego, Cynthi pater, quae te ſperare jubebam,
Suſpendam ripis munera vota tuis.
Nam bene ſi memini, cum non rediturus abirem,
Per tua cornipedi flumina vectus equo.
Cynthi vale, dixi, ſi me tibi fata remittent,
Eque tuo, patriae redditus, amne bibam.
Ex hedera voveo Nymphis viridante coronam,
Quam vetus ad liquidas Quercus habebit aquas.
Nunc inhonoratus nullis celebrabere donis,
Cynthi, reviſendi ſpes mihi nulla tui.

71. — *reducem ſi Numina ſiſtent*
Me tibi, ſi niveus fulſerit ille dies]

Forte colorem deſumſit ex Tibullo Lib. III. El. 3. 25.

O niveam, quae te poterit mihi reddere lucem!
O mihi felicem terque quaterque diem!
At ſi pro dulci reditu quaecumque voventur,
Audiat averſa non meus aure Deus &c.

cujus locum imitatus etiam eſt Naugerius carm. XXVI. ad Gelliam:

O niveam, ſi qua haec referet mihi gaudia, lucem,
Gratior optatis non erit ulla meis.
Semper Erythraeis ſignabitur illa lapillis,
Semper erit ſacros inter habenda dies.

Hunc tibi cum geminis voveo calcaribus enſem,
Quae vetus ad liquidas quercus habebit aquas.
Nunc inhonoratus nullis celebrabere donis.
Heu deſiderii ſomnia vana mei!
Sic etiam vobis olim, Spercheïdes undae,
Aeacidae Peleus voverat ipſe comam.

Vove-

73. *Hunc tibi cum geminis voveo calcaribus enſem*] Simile votum in illis Flaminii Lib. II. Carm. VII.

Si mihi poſt tantos terraeque mariſque labores
Contigerit veſtrae limina adire Deae,
Limina quae vates ſpecula fundavit in alta,
Actius Eois clarus & Heſperiis.
Hic ego pileolum figam, & calcaria & enſem,
Et quaecumque vagus arma viator habet.

neque abludit illud noſtri Lib. I. carm. 8.

Adnue, diva Venus, da longum ferre per aevum
Tot bona, da facta pace redire domum.
Ipſe tibi galeam ſuſpendam gratus & haſtam,
Lucidus irrigua qua ſtrepit Acis aqua.

77. *Sic etiam vobis olim, Sperchеïdes undae, Aeacidae Peleus voverat ipſe comam*] ita correxi, pro *Sperchiades*, quod male in Lotichii vulgatis editionibus & apud Reusnerum legitur, ut & in apographo Hoogſtratani: neque aliter in antiquis Ovidii codicibus olim edebatur. Sed in libris emendatioribus *Spercheïdes* legitur Lib. II. Met. 250. & Lib. VII. 230 quod confirmari video a codicibus Palatinis Gebhardo collatis. fluvius enim hic *Spercheus* vel *Sperchеos* rectius dicitur, quam *Sperchius*. Graecis Σπερχεῖος. & ſic ſcribitur in melioribus codicibus tam apud Vibium Sequeſtrem, quam apud Stat. IV. Th. 838. ubi in cod. MS. qui quondam Petri Vlamingii fuit, diſertim legitur *Sperchеusque minax*. ibi de hoc flumine Barthii notas conſule. ſcripturam hanc pluribus optime adſtruxit N. Heinſius ad Ovid. I. Met. 579. & Cel. Oudendorp. ad Lucan. VI. 367. Sequenti verſu *Aeacidae* recte apud Reusnerum. vitioſe *Aeacide* in vulgatis. Intelligit autem noſter votum illud Pelei, quo comam filii Achillis Spercheo flumini voverat, ſi ſalvus a bello Trojano in patriam rediret: neque dubito Lotichium, cum haec ſcriberet, in animo habuiſſe illa Homeri Iliad. Ψ. ✠. 144. ubi Achilles ipſe fluvium Spercheum ita adloquitur:

Σπερχεῖ', ἄλλως σοί γε πατὴρ ἠρήσατο Πηλεύς,
Κεῖσέ με νοστήσαντα φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν
Σοί τε κόμην κερέειν, ῥέξειν θ' ἱερὴν ἑκατόμβην,
&c.
Ὣς ἠρᾶθ' ὁ γέρων, σὺ δέ οἱ νόον ὐκ ἐτέλεσσας.
Νῦν δ' ἐπεὶ ὐ νέομαί γε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,
Πατρόκλῳ ἥρωϊ κόμην ὀπάσαιμι φέρεσθαι.

hoc eſt, ex interpretatione Eobani Heſſi:

Sperchee, hos alio crines tibi nomine Peleus
Sacrarat Pater, in patriam ſi forte rediſſem,
Hanc tibi diſſectam celſa de fronte dicarem,
Mactaremque agnos decies quinque albicomantes. &c.
Haec vovit Senior: cujus tu vota preceſque
Non exaudiſti. nunc cum mihi fata negarint
Ad patrios remeare lares, caroſque parentes,
Devoveo hanc, Patrocle, comam tibi.

ubi Scholiaſtae verba adnotari merentur: Ἔθος ἦν τοῖς ἀρχαίοις, μετὰ τὸ παρακμάσαι τῆς νεότητος, τὰς κόμας ἀποκείρειν τοῖς ποταμοῖς &c. διόπερ καὶ τὰς Ἀχιλλέως κόμας Πηλεὺς τύτῳ καθιέρωσεν. ad hunc Homeri locum reſpexit Pauſanias Lib. I. cap. 37.

his

Voverat ipſe quidem Peleus: at coerula mater
  Vidit in Iliaca funus Achillis humo.
Sed procul a nobis hic ſit timor, & mea ſaltem
  In patriis olim ſedibus oſſa cubent.
Quodque negant vivo ſuperi, poſt fata rependant.
  Sic o ſit cineri paxque quiesque meo.

his verbis: Καθεςάναι δὲ ἐκ παλαιῦ καὶ τοῖς πᾶσι τῦτο Ἕλλησι, τῇ Ὁμήρυ τις ἂν τεκμαίροιτο ποιήσει. ὃς τὸν Πηλέα εὔξασθαί φησι τῷ Σπερχείῳ κερεῖν ἀνασωθέντος ἐκ Τροίας Ἀχιλλέως τὴν κόμην. Scholiaſtes Statii ad Lib. II. Achil. ✠. 42. *Sperchcus fluvius cui ſuas comas* (ita legend.) *Achilles devoverat, ſi rediſſet.* & Lib. III. ✠. 232.

— cum ſolus ab agmine Achilles
Haec ſecum. Quonam timidae commenta parentis
Uſque feres? primumque inbelli carcere perdes
Fiorem animi? non tela licet Mavortia dextra
Non trepidas agitare feras? ubi campus, & amnes
Haemonii? quaeriſne meos, Sperchee, natatus
Promiſſaſque comas.

ubi idem Scholiaſtes: *Spercheus fluvius Theſſaliae, ubi Achilles apud Chironem nutritus eſt. Conſuetudo enim erat apud antiquos, ut quis, prout libitum erat, diverſis Deabus vel fluminibus crinem aut barbam ſuam voveret.* Morem iſtum, quem hic innuit Scholiaſtes, pluribus illuſtrant P. Victorius Lib. VI. Var. Lect. cap. 22. & Hadr. Junius Comm. de Coma pag. 509. ubi de Achillis coma Spercheo vota etiam agunt. adde Caſaub. ad Strabonem Lib. IX. Geogr. pag. 433. ubi de Achille: Ὅτι δὲ ὁ Σπερχειὸς ἐπιχώριος, ἔκ τε τῦ τρέφειν ἐκείνῳ τὴν κόμην φάσκειν. ubi dubium non eſt Strabonem reſpexiſſe verſum illum Homeri Il. Ψ. 142. de Achille:

— ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην,
Τήν ῥά Σπερχειῷ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν.

quem locum expreſſiſſe Statium Lib. III. Sylv. IV. ✠. 85.

Huic & purpurei cedat coma ſaucia Niſi,
Et quam Spercheo tumidus ſervabat Achilles.

notavit Barthius ad Nemeſian. Ecl. II. 78.

79. *— at coerula mater*
Vidit in Iliaca corpus Achillis humo] Pedo Albinovanus Eleg. ad Liviam ✠. 434.

Contigit hoc etiam Thetidi, populator Achilles
Iliaca ambuſtis oſſibus arva premit.
Illi coeruleum Panope matertera crinem
Solvit, & immenſis fletibus auxit aquas. &c.

* ELEGIA II.

AD
ERASMUM NEUSTETERUM,
Cognomento STURMER,
Equitem Fr.

De Rep. Aquarum & nova sua peregrinatione.

Dum te rura tenent densis circumdata silvis,
  Coccius herbosis qua fluit uber aquis.
Postque tot exhaustos bellique viaeque labores,
  In solis gaudes sic habitare locis:

Me

* ELEGIA II.] Legitur in editione Voegeliana pag. 157.

AD ERASMUM NEUSTETERUM] Hujus Viri egregii, & eruditorum sui temporis Maecenatis maximi, virtutes depraedicat Joh. Posthius in Praefat. suis poëmatibus praefixa, & Joh. Christoph. Neustettero inscripta. passim etiam & ubique in scriptis virorum istius aetatis celebrium, Camerarii praesertim, Melanchthonis, G. Fabricii, aliorumque perpetua ejus laus. & prolixe Franciscus Modius in praefatione Novantiquarum Lectionum: ubi ejus erga Lotichium nostrum favorem luculentis hic verbis effert pag. 10. & seq. *An non Petrum Lotichium Secundum, quo virum meliorem, medicum peritiorem, poëtam elegantiorem, & ad Tibulli virtutes propius accedentem, aut verius ut dicam, cum Tibulli (poëtarum in suo genere omnium judicio cultissimi & purissimi) virtutibus felicius certantem, contendentemque ne studiorum quidem liberalium illa mater Italia umquam tulit; an non hunc, dum vixit, ita provexisti, auxisti, ornasti, ut se dignitatem suam, honestissimo Heidelbergae stipendio in collegium artis medicae professorum cooptatus, uni tibi debere semper, quemadmodum non invitus sed ultro & sponte sua, ita vere, publice privatimque apud omnes omnium ordinum homines profitetur, te unum ut antiquorum morum, doctrinae & fidei ita admiraretur, ut quem tibi ex hujus nostri aevi heroibus compararet, vix unum, & item alterum commemoraret, quem vero anteponeret, haberet plane neminem.* quae verba hic adscribere non piguit, quia poëtae nostri elogium haud vulgare continent.

1. *Dum te rura tenent densis circumdata silvis*] Idem Elegiae initium est apud Naugerium carm. XXVI. ad Gelliam:

Dum te blanda tenent aestivas rura per umbras,
Deliciis nimium rura beata tuis.
Ecqua tui mea lux tangit te cura poëtae,
An meus e toto pectore cessit amor.

& Joh. Bapt. Amaltheum pag. 444. Ed. Broukh.

Dum te rura tenent cultis formosa viretis,
Sacra ubi nativas silva coronat aquas.

Tibullus Lib. II. El. 3. initio:

Rura meam, Cornute, tenent villaeque puellam,
Ferreus est eheu quisquis in urbe manet.

Me nemus Hercynium, fortunatique receſſus,
Humidaque oblectant ſtagna ſalubris aquae.
Hic domus, hic feſſo patria eſt, requiesque malorum,
Degere natali dum vetat hoſtis humo.
Non comites Muſae nobis, non carmina deſunt.
Ingenium ſupereſt, caetera victor habet.
Blandaque creſcentes ſolantur balnea curas,
Et ſopor, & calidi fontis amicus Amor.
Inſuper accedunt intereſque novique ſodales,
Una quibus concors & ſine labe fides.
Hic quoque dulce meae decus & ſpes una juventae
Laſſa fovet tepidis membra Stibarus aquis.
Mutua qui placidae conponens foedera pacis,
Dum ſtudet armatos conciliare duces,
Vectus equo, lateris reſoluti perdidit uſum,
Paeoniae nequeunt quem reparare manus.

15. *Hic quoque*] vid. infra lib. 1. Carmin. XI. *ad Nymphas*. Hoogst.

19. *Vectus equo lateris reſoluti perdidit uſum*, &c.] Ad hunc Lotichii locum reſpexit Melch. Adamus in deſcript. vitae Dan. Stibari in vitis Juriscons. & Politicor. German. pag. 48. cujus verba, quia haec unice nobis explicant, adſcribenda ſunt: *Domum reverſus Stibarus* (ex peregrinatione Italica, Gallica, & Belgica) *Wirceburgi ſuo loco ita Rempub. & commoda patriae curavit: ut non dubitarit objectu corporis ſui pro vita civium & ſalute ſuorum pugnare, id quod vel maxime apparuit tum, cum Albertus Marchio hoſtilibus armis omnia turbaret & vaſtaret. Ibi enim omnem movit lapidem, ut arma deponerentur, & pax firmaretur, & in itinere,*

Dum ſtudet armatos conciliare duces,
Vectus equo lateris reſoluti perdidit uſum.

beato fine vitam clauſit, pertaeſus vitae ac morum ſeculi ſui, & ante oculos verſarentur tum fatales inprobitate hominum acceleratae ruinae ac mutationes, &c. hinc noſter infra El. 7. ℣. 33. in obitum Stibari,

Invalidumque latus traheres moerore pereſus &c.

vide & Freherum Theatr. Vir. Erud. T. 1. P. 11. Sect. 4. p. 832. id indicant quoque verba Epitaphii Stibaro poſiti in templo Wircepurgenſi. *pro cujus* (patriae) *ſalute, bello, turbulentiſſimis temporibus, neceſſario legationis munere perſunctus, deficientibus in itinere viribus, brevi poſt tempore ſuccubuit*, &c. quae quidem lucem huic loco oportunam adferre arbitror.

Nunc colit ardenti fumantes ſulfure limphas,
Tabificum pellat ſi liquor ille malum.
Coeruleae ambuſtis erumpunt faucibus undae,
Corpora quae medico languida rore levant.
Sive laborantes quatit aeger anhelitus artus.
Sive tremit nervis pars labefacta ſuis.
Arida ſeu venas urit ſitis, horrida labes
Viſcera ſuffuſis cum tumefecit aquis:
Nympharum ſacro quaeras a fonte ſalutem,
Paeoniam ſimplex adferet humor opem.
Non tamen his me fata diu conſiſtere terris,
Optataque ſinent commoditate frui.
Nuper enim placida cum membra quiete levarem,
Fuſus in herboſa, ruris amator, humo.
Adſtitit in ſomnis (nec me ſopor altus habebat)
Et pede percuſſum ſurgere juſſit Amor.
Surge, quid in ſolis, inquit, teris otia ſilvis?
Te manet Euganei terra beata ſoli.

Major

25. *laborantes quatit*] Virgil. v. Aeneid. 432. *vastos quatit aeger anhelitus artus*. HOOGST.

34. *Fuſus in*] Idem verſus eſt in Juvenilibus carmine, cujus initium eſt, *Sic mihi triſtitiam video*, &c. ✝. 28. HOOGST.

31. *Non tamen his me fata diu conſiſtere terris,*
Optataque ſinent &c.]
Lotichiana haec imitatio vindicare poteſt vulgatam apud Ovid. XI. Met. 407.
Nec tamen hac profugum conſiſtere Pelea terra
Fata ſinunt.
ubi Heinſius *conſidere*, de quo verbo pluribus agit in notis ad Virg. VIII. Aen. 10. Cic. Philip. III. cap. 3. *atque ea legio conſedit Albae.* qui eadem in re *conſiſtere* dixit ibid. cap. 15. *Cumque legio Martia Albae conſtiterit* &c. ſic apud Valer. Fl. VII. 119.
— *ut Aeaeis hoſpes conſiderit oris.*

vel

Major ubi calidis Aponusque salubrior undis
Fumat, Hamadryadum Naïadumque domus.
Et pater Eridanus, Phoebo gratissimus amnis,
Adriacum liquidas in mare volvit aquas.
Unde pedem referens, Musarum dotibus auctus,
Cincta triumphali tempora fronde geres.
Haec Amor: & tenues cum somno fugit in auras,
Faustaque concentu signa dedistis aves.
Ibimus, & gelidas, duce te, superabimus Alpes:
Tu modo promissis adde, Cupido, fidem.
Vos patrii salvete Lares, salvete sodales,
Et soror & frater, tuque Dimare vale.
Vobis parta quies, de me Deus auctor amoris
Viderit, auspiciis mens favet ipsa suis.

vel *consederit*. vide illic notas. sic *insidere* & *insistere* mutata passim. v. Oudend. ad Lucan. III. 407. recte tamen apud Nasonem praetulit Patruus meus *consistere*, quod firmant codices Palatini Gebhardo collati. est enim *consistere* post varios errores itineribus vagis finem inponere. Virg. I. Aen. 629.

Me quoque per multos similis fortuna labores
Jactatam, hac demum voluit consistere terra.

ubi in aliis etiam *considere*. sed alterum agnoscit vetustus Bibliothecae nostrae Amstelaedamensis codex, tam illo in loco, quam ejusdem libri v. 572.

Vultis & his mecum pariter consistere terris.

vide Canneg. ad Avien. Fab. XLII. ℣. 4. & plura de confusione utriusque huius verbi *considere* & *consistere* in notis Dukeri ac Drakenborch. ad Liv. Epit. Lib. LXV.

51. — *de me Deus auctor amoris Viderit*] Virg. Aen. X. 744.

—— *de me divum pater atque hominum rex*
Viderit.

formula haec Ovidio familiaris. ut Epist. XII. 211.

Viderit ista Deus.

Lib. II. Fast. 782.

Viderit audentes Forsne Deusne juvet.

vide Heins. ad lib. I. ex Pont. 2. 9.

*Elegia III.

AD GULIELMUM RONDELETUM.

In obitum Callirrhoes, *puellae formosissimae.*

Sic mihi tristitiam video, luctumque perennem:
Jam dominae properant ultima fata meae.
Parce laboranti mors inmatura puellae,
Parce precor: leto me trahit illa suo.
Illius occasu terras, hominesque relinquam,
Et sequar ad manes, Elysiumque nemus.

Ron-

Elegia III.] In editione Voegeliana habetur haec Elegia pag. 159. & in vulgatis editionibus denuo occurrit inter Juvenilia pag. 302. ubi multa aliter leguntur, praefixa hac inscriptione Ad Gulielm. Rondeletium, *Medicum illustrem*, *de obitu puellae a se adamatae Tunicatae in Montepessulano.* Callirrhoe haec a Lotichio adamata eadem est ac puella Tunicata Celtibera, de qua vide supra ad Lib. II. El. 9. 22. neque de nihilo est, quod sub Callirrhoes titulo, e Graeco fonte petito, verum amicae suae nomen involverit poëta. nomen enim illud Graecis scriptoribus Eroticis non incognitum, quemadmodum Charitonis Narrationes Amatorias de Chaerea & Callirrhoe, nunc literato orbi beneficio eruditissimi, sed Musis nuper damnosissima morte erepti, J. P. Dorvillii expositas, & egregio Animadversionum volumine illustratas habemus. plerumque vero amabant poëtae tam veteres quam recentiores Graecis nominibus tegere & occultare vera puellarum suarum nomina, ut patebit ex notis Broukhusii ad Tibull. Lib. IV. El. 3. ℣. 11. & operosum satis indicem poëtarum antiquorum ac novorum, qui sub fictis, sive Graecis, sive Latinis, nominibus amicas suas decantaverunt, multa cum cura congessit Benedictus Curtius in notis ad Arresta Amorum pag. 381—389. ad amores autem Lotichii nostri quod adtinet, caste & pure amavit, saltem versibus suis celebravit, non unam; & quidem Claudiam, saepe in ejus carminibus cantatam, sed praecipue Lib. II. El. 9. quo respicit Joh. Posthius in Parerg. Poët. Lib. I. Eleg. 8.

Testis Lotichius meus est, pulcherrima cujus
Versibus aeternum Claudia nomen habet.

dein Panariden, & postremo Phyllida, pulchram Nicrogenam, nomine non vero, ut Nasonis Corinna, ita dictam, quam celebrat Lib. V. Eleg. 12. ℣. 33.

Non ego te vero, pulcherrima, nomine dicam,
Phyllidis interea tu mihi nomen habe. &c.

vide Hagium in vita Lotichii p. 136 & 137. & J. P. Lotich. Biblioth. Poët. P. III. pag. 80.

1. *Sic mihi*] Exstat & haec Elegia infra in Juvenilibus. Sed peritus lector hinc aestimabit judicium poëtae. Hoogst.

Rondelete vale; ſi qua revaleſcere poſſet,
  Jam foret auxiliis ſalva puella tuis.
Nam quis te melius . . . .
  Aut citius docta leniat arte malum?
Sed nihil invito medicamina numine proſunt,
  Heu mihi, plus herbis mors valet atra tuis.
Fallere quis poſſit (quamvis procul abſit) amantem?
  Abſumus, & dominae ſcimus adeſſe necem.
Non mihi fama venit lacrimoſi nuncia luctus,
  Avia nec moeſtum praecinit omen avis.
Somnia me terrent, ſimulacraque functa ſepulcris,
  Umbraque ſopito quae volat ante torum.

Umbra

9. *Nam quis te melius . . . . .*] Lacuna hic adparet in vulgatis, ubi primo loco haec Elegia legitur. ſed in Juvenilibus hunc in modum ſuppletur:

Nam quis te melius ſuccos adhibere ſalubres,
Aut placidam citius tradere poſſit opem?

in editione autem Voegeliana non male etiam additur:

Nam quis te melius, jam deficientibus aegris,
Aut citius docta leniat arte malum?

in alio etiam exemplari ita ſuppletum offendi:

Nam quis te melius Phoebeas noverit berbas.

11. *numine proſunt*] Ita caſtigavi ex ed. Voegel. nec aliter in Juvenilibus. male enim hic in vulgatis *numine poſſunt*, quod inconcinnum nimis eſt, quia paullo ante in fine verſus praeceſſit, *revaleſcere poſſet.* & mox ſequitur, *Fallere quis poſſit.*

13. *Fallere quis*] Virgilii eſt IV. Aeneid. 296. *quis fallere poſſit amantem?* Hoogst.

15. *lacrimoſi nuncia luctus*] *Saevi praenuntia luctus* Ed. Voeg. & in Juvenil.

16. *Avia*] *Devia nec moeſtum concinit* in Juvenil.

17. *Somnia me terrent*] Ita & Ovid. I. ex P. Ep. 2. 45.

Somnia me terrent, veros imitantia caſus,
Et vigilant ſenſus in mea damna mei.

17. *ſimulacraque functa ſepulcris*] Ita & Ed. Voegel. ſed in Juvenilibus,

— ſimulacraque noctis opacae,
Gaudia quae ventos noſtra tuliſſe monent.

idque rectius. Ovid. Epiſt. XIII. ỳ. 111.

Sed tua cur pallens nobis occurrit imago?
Cur venit a verbis multa querela tuis?
Excutior ſomno, ſimulacraque noctis adoro.

ſic *ſimulacra ſomni* Epiſt. IX. ỳ. 39.

Me pecudum fibrae ſimulacraque inania ſomni,
Ominaque arcana nocte petita movent.

18. *Umbraque ſopito quae volat ante torum.*] Cogitabat illud Tibulli ſui Lib. II. El. 7. 20.

Ne tibi neglecti mittant nova ſomnia manes,
Maeſtaeque ſopitae ſtet ſoror ante torum.

Umbra mihi toties quae ſe miſerabilis offert,
Obſcura quoties omnia nocte ſilent.
Quin etiam nuper vigilantem nocte ſerena
Terruit, ad lecti viſa ſedere pedes.
Cumque ego clamarem demens, animamque rogarem,
Per thalami clauſas fugit imago fores.

Occi-

19. *Umbra mihi toties quae ſe* &c.] In Juvenilibus hic omnia aliter habentur uſque ad ✝. 49. *Degere fert animus* &c.

Me miſerum, poterone pati, poterone mederi?
Non potero, lethi cauſa ſit illa mei.
Vos mihi, dum vixit, populi placuiſtis & urbes,
Urbibus & populis lux mea ſidus erat.
Quid referam, quoties cultos migraret in agros,
Ut foret in ſolis candida vita locis?
Vos lauri teſtes & vos juga conſita lauris,
Quo trahit obliquas in mare Laedus aquas.
Saepe novum veſtro cecini ſub tegmine carmen
Fuſus in herboſa, ruris amator, humo.
In pratis legi violas, in litore conchas,
Haereret lateri dum comes illa meo.
Nunc quoque, vita, tibi nigras comes ipſe ſub umbras
Si liceat, junctis paſſibus, ire velim.
Exitus in Dis eſt: ſed quod mens provida veri
Augurat, invenient cura dolorque viam.
Degere fert animus &c.

21. — *vigilantem nocte ſerena*
Terruit, ad lecti viſa ſedere pedes] Cynthiam ſuam ſimiliter ſibi fulcro lecti incumbentem adparuiſſe fingit Propertius lib. IV. Eleg. 7. quem etiam eleganter imitatus eſt Joh. Jovianus Pontanus in Deploratione ad Uxorem defunctam, quae exſtat Lib. II. Eridanorum pag. 133. b. *lecti pedes* apud eumdem Lib. III. El. 4. 14.

Scriniaque ad lecti clauſa jacere pedes.

& hos Lotichii verſus ante oculos habuiſſe puto Joh. Poſthium, frequentiſſimum ejus imitatorem, in Parerg. Poët. P. I. pag. 94.

Saepe mihi in tenebris placidi ſub imagine ſomni
Viſus es ad lecti fulcra ſedere mei.

23. *Cumque ego clamarem demens, animamque rogarem,*
Per thalami clauſas fugit imago fores] mallem ſcripſiſſet auctor, *animamque vocarem.* ita de Creuſa in ſomno Aeneae adparente Virg. lib. II. Aen. 770.

Auſus quin etiam voces jactare per umbram
Inplevi clamore vias, maeſtusque Creuſam
Nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocavi. &c.
Infelix ſimulacrum atque ipſius umbra Creuſae
Viſa mihi ante oculos, & nota major imago.

pariter in ſomnio Ariadnae Ovidius Epiſt. X. 34.

Nec languere diu patitur dolor, excitor illo,
Excitor, & ſumma Theſea voce voco.
Quo fugis? exclamo, ſcelerate, revertere, Theſeu.

ſic *voce vocare* apud alios. vid. ad Ovid. X. Met. 3. & Virg. V. Aen. 860. & VI. Aen. 506. *magna manes ter voce vocari.* alterum verſum illuſtrant illa Virgilii VI. Aen. 700. in ſomnio Aeneae:

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter fruſtra conprenſa manus effugit imago.

& ita apud Propertium umbra Cynthiae effugit in ſomnio Lib. IV. Eleg. 7. fine:

Haec poſtquam querula mecum ſub lite peregit,
Inter complexus excidit umbra meos.

Occidit, ah fruſtra celare paratis amici,
Occidit, & ſecum ſpem tulit illa meam.
Spes erat, infelix virgo, ſi ſalva fuiſſes,
Tecum legitimi foedus inire tori.
Jam tibi, quos gereres cultus nova nupta, parabam,
Quaeque tuas poſſet gemma decere manus.
Nec minus ex animo tu me venerata colebas,
Mente fovens ſancti gaudia conjugii.
Et (memini) cum te facerem, pulcherrima, certam,
Juſta foret longae quod mihi cauſſa viae,
Te mihi venturam comitem jurare ſolebas,
Solamen cunctis dulce futura malis.
Horrida nec Boreae metuebas frigora, quamvis
Oſſibus haereret febris anhela tuis.
Ergo etiam manes tibi nunc comes ipſe ſub imos,
Si liceat, junctis paſſibus, ire velim.

34. *Juſta foret longae quod mihi cauſſa viae,*
Te mihi venturam comitem jurare ſolebas]
imitatur illa Laodamiae apud Ovid. Epiſt. XIII. 163.
Per reditus corpuſque tuum mea numina juro,
Perque pares animi conjugiique faces,
Me tibi venturam comitem, quocumque vocaris.
vide ad Lib. I. El. 3. 41. noſter infra El. VI. ỳ. 24.
Quo te cumque pedes ducent, quocumque voluntas,
Sit comes, & collo pendeat illa tuo.
Similis plane eſt Tibulli locus Lib. I. El. 4. 35.
Nec comes ire neges, quamvis via longa paretur,
Et Canis arenti torreat arva ſiti.
Quamvis praetexens picta ferrugine coelum
Venturam admittat imbrifer arcus aquam.
pulchre Baſilius Zanchius Lib. VI. Poëm. p. 158.
Atque utinam tibi me comitem fortuna dediſſet,
Ureret haud tantus pectora noſtra dolor.
Pro te vel magnos auſim attentare leones,
Et celer hirſutas cominus ire feras.
Pro te vel rigidis luſtrare infeſſa pruinis
Suſtineam, & ſicco regna peruſta Cane.
cum quibus conferenda ſunt quae ſupra notavimus ad Lib. II. El. 9. 73.

Nec triſtes Erebi furias, noctemque profundam,
  Nec cava ſulfureis ſtagna vererer aquis.
Sed neque tu manes alti colis aetheris haeres,
  Nec mihi fas ultro te ſuper aſtra ſequi.
Donec ab his tenebris regionibus inferat illis
  Et Deus, & dulcis nos miſeratus amor.
Interea quodcumque meos accedet ad annos,
  Moeſtus, ut amiſſa compare turtur, agam.
Degere fert animus ſolis in montibus aevum,
  Quo ferat humanos ſemita nulla pedes.

Illic

49. *Degere fert animus ſolis in montibus aevum,*
Quo ſerat humanos ſemita nulla pedes] Aemulatur ſine dubio illud Tibulli Lib. IV. carm. 13. ℣. 10.

Sic ego ſecretis poſſum bene vivere ſilvis,
Qua nulla humano ſit via trita pede.

& in hunc ſenſum habuimus ſupra Lib. II. El. 2. 20.

O ego quam vellem, ne quis mihi nuntius eſſet,
Extremas ultra Solis abire vias!
Degere vel Libycas ubi diſſipat Auſter arenas,
Quo non ulla meum fama ſequatur iter.

ubi in notis indicare omiſi eſſe optimam Propertii imitationem Lib. I. El. I. 30.

Ferte per extremas gentes, & ferte per undas,
Qua non ulla meum femina norit iter.

quo in loco legendum conjeceram *ſemita norit iter*, antequam inſpexiſſem notas Broukhuſii, e quibus Barthium ita quoque emendaſſe didici, ſed eo inprobante. favet tamen illi correctioni haec poëtae noſtri imitatio. Ceterum Lotichium in lectione optimorum poëtarum Italorum fuiſſe verſatiſſimum ſaepiſſime deprehendi, & hic illic, ubi res ferebat, adnotavi. Patebit illud clariſſime, ſi locus ille noſtri modo productus, quem in notis illuſtravimus ſimillimis Flaminii verſibus, conparetur cum iſtis Sannazarii Ecl. 2. ℣. 62. & ſeqq.

Heu quid agam? externas trans pontum quaerere terras
Jam pridem eſt animus: quo numquam navita, numquam
Piſcator veniat. fors illic noſtra licebit
Fata queri. Boreae extremo damnata ſub axe
Stagna petam, & rigidis numquam non cana pruinis?
An Libyae rapidas, Auſtrique tepentis arenas
Et videam nigros populos, Solemque propinquum?

& juvabit haec recentiorum conponere cum loco poëtae inter antiquos celebratiſſimi, & qui ceteris omnibus, uno excepto Marone, palmam praeripuit. is eſt Valerius Flaccus, apud quem ſimilis plane inprecatio in rebus per clades etiam bellicas deſperatis, occurrit Lib. II. ℣. 176.

— Sarmaticas utinam, Fortuna, dediſſes
Inſediſſe domos, triſteſque habitaſſe pruinas,
Plauſtra ſequi, vel jam patriae vidiſſe per ignes
Culmen agi, ſtragemque Deûm! nam cetera belli
Perpetimur &c.

quibus non diſſimilis eſt ejuſdem Flaminii querela de patriae ſuae cladibus, quae exſtat Lib. I. carm. 31.

Illic verba querar ſenſus motura ferarum,
  Et nomen tota nocte vocabo tuum.
Nec rami virides, nec me teget herba jacentem
  Florida, nec puro fonte levabo ſitim.
Sive bibam, liquidas turbabo fletibus undas:
  Sive cubem, nullo ceſpite fultus ero.
Tu quoque, ſi veterum memor eſt & pulvis amorum,
  Occurras oculis ſaepe videnda meis.
Saepius in ſomno redeat tua dulcis imago,
  Fidaque tangendas praebeat umbra manus.

51. *Illic verba querar* &c.]
Illic in vacuis deſolatiſſimus antris
Moeſtus, ut amiſſa compare turtur, agam.
ita in Juvenilibus.

53. *Nec rami virides* &c.]
Nec virides herbae, nec me teget umbra jacentem
Frigida &c. ibidem.

56. *Sive cubem, nullo ceſpite fultus ero*] An in animo habuit illud Ovidii? Lib. VI. Faſt. 332.
Veſta jacet, placidamque capit ſecura quietem,
Sicut erat, poſitum ceſpite fulta caput.

57. *Tu quoque, ſi veterum* &c.] Haec uſque ad finem Elegiae non habentur in Juvenilibus, ſed eorum loco iſta occurrunt:
Vos etiam dulces Muſae, Laurique valete,
Hactenus patriae quas tulit ante meae.
Carmina quid proſunt non exorantia mortem?
Quidve pio caſti vatis in ore preces?
quibus ſimilia in Eleg. ſeq. ad Sabinum ℣. 65. deinde ſequuntur decem iſti verſus:
Non ego, Cynthi pater, quae te ſperare jubebam,
Suſpendam ripis munera vota tuis.
Nam bene ſi memini, cum non rediturus abirem
Per tua cornipedi flumina vectus equo:
Cynthi vale, dixi, ſi me tibi fata remittent,
Eque tuo, patriae redditus, amne bibam:
Ex hedera voveo Nymphis viridante coronam,
Quam vetus ad liquidas quercus habebit aquas.
Nunc inhonoratus nullis celebrabere donis,
Cynthi, reviſendi ſpes mihi nulla tui.
eosdem paucis inmutatis habuimus ſupra in Eleg. 1. hujus libri, ℣. 67. ubi vide. Sequentia Elegiam hanc abſolvunt ibidem hoc modo:
At vos, qui nobis illic ſupereſtis amici,
Exiguus dominae qua tegit oſſa lapis.
Tu, Cluſi, & tu dulce meum, Fiſſere, levamen,
Quos credo noſtris ingemuiſſe malis.
Muneribus buſtum infelix decorate ſupremis,
Allobrogum gelidis dum vagor ipſe jugis.
Atque hoc aut ſimile huic aliquod ſuperaddite carmen,
Quae jacet, hic teneri vatis amica fuit.
Hoc ſatis eſt: bene ſic mea lux placideque quieſcas,
Ultima & haec cineri ſint monumenta tuo.

61. *Quid precor inprudens*] Colorem traxit ex Tibullo Lib. III. El. 6. 27. licet in re diſſimili,

Quid precor inprudens? non fas ita velle, piumve est.
  Otia sint cineri, sit sopor usque tuo.
Et tumulum myrti virides & amaracus ornet,
  Et sedeat custos ad tua busta Venus.

Quid precor ah demens? venti temeraria vota
Aeriae & nubes diripienda ferant.
ubi vide Broukhus. quem locum adoptavit Fr. Marius Molsa in carmine ad Venerem T. II. Poët. Ital. Toscani p. 274.
Quid precor ah demens? venti temeraria jactant
Vota: Venus nostras negligit ipsa preces.
Naugerius Carm. XXVI. ℣. 19.
Quid queror haec demens? durae procul ite querelae:
Ite, decent tristes tristia verba viros.

61. *Otia sint*] Valerius Flaccus III. 449.
—— sint otia vobis,
Sit Stygiae jam sedis amor. Hoogst.

63. *Et tumulum myrti virides & amaracus ornet*] passim *amaraci* mentionem hac in re fieri videas apud poëtas. Sannazarius Lib. I. Epigr. 43. in tumulum Hyblae:
Te rosa, te violae, te mollis amaracus ornet,
Te pia suspenso pondere velet humus.
Georgius Anselmus Lib. VI. Epigr. 28.
Ipse rosas, ipse hanc cultis & amaracon hortis
Spargo, dolor patrui curaque, Jane, tui.
eleganter Paulus Pansa Epitaphio Molsae in fine:
Populus & platanus, laurusque acceptior omni
Arbore, te circum fundat opaca comas.
Frondescatque thymum, nascatur amaracus urna,
Somnifero & juxta perstrepat amne liquor.
ad exemplum magni magistri de Ascanio a Venere alto somno, quamquam non aeternali, consopito, Lib. I. Aen. 693.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat, & fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliae lucos: ubi mollis amaracus illum
Floribus & dulci adspirans complectitur umbra.
ubi Servii verba de amaraco simili herba cum sampsucho praeteriisse miror Bodaeum a Stapel in Comm. ad Theophrast. Hist. Plant. lib. VI. p. 688. ubi copiose de amaraco disserit. quam peculari carmine celebrat Joh. Aurelius Augurellus Lib I. Carm. Od. XI.

64. *Et sedeat custos ad tua busta Venus*] eleganter. Respicit Propertiana ista Lib. III. El. 14. 24.
Adferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.
noti sunt *custodes sepulcrorum*, praesertim in ditiorum sepulcris, de quibus vide Passeratium ad illum Propertii locum, & Patrui mei notas ad Petron. cap. 71. inde venustissimae apud Poëtas translationes. ita Erichtho apud Lucanum lib. VI. 734.
— per busta sequar, per funera custos
Expellam tumulis, abigam vos omnibus urnis.
sic enim recte vindicat Dorvill. ad Chariton. p. 378. adversus audacem Guyeti conjecturam legentis *per funera, cunctis Expellam tumulis.* quomodo etiam Cortius tentaverat. e recentioribus huc spectat elegantissimus locus Sannazarii Lib. I. El. 3. ℣. 11.
Ipse ego conposito venenarer operta sepulcro
Ossa, ferens moesta tura merumque manu.
Umbrarumque sacer custos, tumulique sacerdos
Concinerem querula tristia verba lyra.
Nec me complexa quisquam divelleret urna,
Quin cineri moriens oscula summa darem.
Broukhusius Lib. IV. Epigram. XXIV. in funere J. Sixii.
Semper habe violas circum tua busta recentes,
Veris odorati munera semper habe.
Et tumulo custos adsit Reverentia, Honosque,
Musaque, & atrata civicus urbe dolor.

* Elegia IV.

AD GEORGIUM SABINUM.

De Patavii celebritate, & ſtudiis ſuis.

Tu licet in patria, poſt bella, graveſque labores,
Mollia ſecuris otia rebus agas:
Eloquioque potens, & opum ſucceſſibus auctus,
Illuſtres ſcriptis Caeſaris acta tuis:
Ut Viadrus, riguos dum praeterlabitur hortos,
Ad tua mirantes carmina ſiſtat aquas:
Non tamen (ut credo) memori tibi corde, tot annis,
Excidit Euganei cura, Sabine, ſoli.
Sed deſiderium ſupereſt, veterumque locorum
Dulcis adhuc oculis haeret imago tuis.

* Legitur in Ed. Voeg. pag. 161. & in Sabini Adoptivis pag. 394. initium hujus Elegiae plane effictum eſt ad genium Propertianum Lib. I. El. 14. ut locum inſpicienti patebit. quemadmodum & magnam partem ex principio hujus Elegiae imitatus eſt Johannes Poſthius in Parerg. Poët. Lib. I. El. IV. ſatis bono cum judicio.

4. *Illuſtres ſcriptis Caeſaris acta tuis*] Intelligit forſan rarum Sabini opuſculum de Electione & Coronatione Caeſaris Caroli V. editum Mogunt. 1544. licet plurimi Melanchthoni id adtribuerint, ut Chriſtianus Eberhardus in edit. Helmſtadienſi an. 1660. aut potius Melanchthonem illud ſub generis nomine edidiſſe. vide Obſerv. Halenſ. T. VIII. p. 207. Sed Sabino id vindicavit Th. Cruſius in notis ad Albini vitam Sabini pag. 196. niſi quis conjiciat intelligi alium Sabini libellum de Maximiliano I. Imp. hodie vix obvium, quia ipſe Sabinus illud memorans etiam *Caeſaris acta* vocat, (ut hoc loco Lotichius) in Poëm. p. 179 & 180. Quia tamen ſtilo Hiſtorico & ſoluta oratione exaratum ſit, & Lotichius carmina hic memoret, potius videtur innuere prolixam ejus Eleg. 2. Lib. I. ad Eoban. Heſſum in adventu Caroli V. ſcriptam, ubi Caeſaris acta fuſe celebrantur, vel Lib. V. Eleg. I. ubi Romam a Carolo V. captam deſcribit.

5. *Ut Viadrus*] *Et* ed. Voeg. ſeq. verſ. *At* male in vulgatis.

9. *veterumque locorum Dulcis adhuc oculis haeret imago tuis*] Confer Sabini Hodoeporicon Itineris Italici Lib. II. Eleg. I.

Et modo Medoacum, celeri modo puppe videris
  Adriacum ſolito carpere more fretum.
Nunc ſubeunt Aponi fumantes ſulfure lymphae,
  Inque Antenoreis proxima templa jugis.
Et Zephyro gaudens Arquatum molle ſalubri,
  Quaeque rigat liquidis arva Pluicus aquis.
Adde tot egregias animas, tot candida vatum
  Pectora, conſtanti quae tibi mente vigent.
Jam tibi ſe Bembus, jam ſe Dis proximus offert
  Fraſtorius, Bembo par in honore ſuo.

Et

& praecipue pag. 67, 68. & 69. ubi eadem loca deſcribit, & valde celebrat Aponi fontis vires medicatas; tum eorumdem poëtarum Italorum, quorum in ſequentibus meminit Lotichius, ingenia effert, quos praedicat etiam Lib. III. El. 10. pag. 91. vide P. Albini vitam Sabini pag. 95. Flaminii & Molſae noſter denuo cum laude meminit Lib. III. El. 8. ỳ. 39 & ſeq. ut & Bembi, Flaminii, Sannazarii atque Augurelli Lib. I. carm. pag. 153. ed. Lipſ. horum aliorumque Italae gentis poëtarum laudes paſſim plurimi invidendis ſed meritis elogiis efferunt. e multis conferre licet P. Ang. Bargaeum Lib. IV. Cyneg. p. 103. Sannazarium Lib. I. El. XI. Eobanum Heſſum Lib. III. Epiſt. Fam. pag. 65. & 66. Ed. in fol. Janum Secundum Lib. III. El 7. p. 51.

13. *Aponi fumantes ſulfure lymphae*] vid. infr. ad v. 45 hinc *fumifer Aponus* Lucano lib. VII. 193.

— Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei diſpergitur unda Timavi.

16. *Quaeque rigat liquidis arva Pluicus aquis*] *Pluicum* ſive *Pluvicum* rivum eſſe, a Petro Bembo celebratum, ejusque villam Nonianam radere ſcribit Scardeonius in Antiq. Patav. Lib. I. Cl. I. pag. 20. Fruſtra id intellexeris de peculiari Bembi carmine, quo Pluicum celebrarit, cum inter ejus Poëmata, quorum pauca nimis hodie ſuperſtitia reliquorum tantum, quae majori numero conpoſuiſſe credibile ſit, deſiderium nobis movent, nullum exſtet carmen, quo Pluici laudes cantat. Sed in erudito de Aetna Dialogo ſaepius Pluici ſui mentionem facit; quem ego libellum in villa Noniana, de qua mox, conpoſuiſſe Bembum non dubito. Pluici quoque agrum Bembinum adluentis meminit Georg. Sabinus ſub finem Hodoeporici ſui Italici Lib. II. Elegiar. pag. 69.

Haec apud Euganeos in amoeno luſimus horto,
Cantantes liquidis vocibus inter aves.
Plurima frondet ubi Peneae virginis arbor,
Ac tuus humectat, Bembe, Pluicus agros.

19. *Jam tibi ſe Bembus*] Petrus Cardinalis Bembus, Hieronimus Fracaſtorius, M. Antonius Flaminius, Andreas Naugerius, Franc Marius Molſa, & de quo inferius ſermo fit, Franciscus Petrarcha, nobiliſſimi poëtae Itali, quorum ſcripta cum antiquis certantia ſunt in manibus eru-

Et cum Flaminio puri Naugerius oris,
Arbiter intactae cultus uterque lyrae:
Molsaque praecinctus myrto, quem sede piorum
Almus inexhausto nectare pascit Amor.
Atque alii, quibus hic olim comes ire solebas
Aonas in montes, Castaliumque nemus.
Forsan & haec inter nostri tibi mutua cura est,
Quidque sedens Veneto litore, quaeris, agam.
Scilicet hic obitus rerum contemplor & ortus,
Et quibus e caussis ordine cuncta fluant.
Et disco, quidquid medicos mare gignit ad usus,
Quidquid & omnifero terra benigna sinu.
Saepe juvat solem gelida vitare sub umbra,
Multaque de plantis arboribusque loqui.

At

eruditorum hominum. HOOGST. Quam praeclare de Sabini poëtica facultate judicaverit Bembus, videre licet ex Ejus Lib. VI. Epist. 42. 43. & 59. & Camerarius in vita Melanchth. p. 209 & seqq. & p. 336. & eleganti epigrammate Sabini Poësin posteritati commendavit Paulus Flemmingius Lib. XI. Epigramm. Integra autem de vita & scriptis Sabini exstat Dissertatio in Observ. Halensib. Tom. VIII. Observ. 9. sed qua prolixior & accuratior est Petri Albini Liber de vita G. Sabini cum notis Theod. Crusii.

20. *Frastorius*] Ita saepe metri necessitate alii quoque poëtae vocarunt, pro *Fracastorio*, quorum loca nonnulla notavit Menckenius in Comment. de vita Fracastorii pag. 17. quibus addi potest P. Ang. Bargaeus lib. IV. Cyneg. p. 103.

Ipse etiam medica insignis Frastorius arte
Adveniet.

Joh. Baptist. Pigna Lib. III. carm. pag. 82.

Frastori, medicum putatne quisquam
Ullo tempore non fuisse Phoebum.

ipse Fracastorius in Carm. X. ad Alex. Farnesium Cardinalem:

— non dedignabere parva
Frastori quae dona tui.

Flaminius Lib. V. Carm. 51.

Ut Frastorius ob suum sodalem
Salvum & incolumem tibi rependat
Mille carmina &c.

Joh. Bapt. Amaltheus carmine in obitum Fracastorii ℣. 23.

Nec morte functum candida Pieris
Ad lucis oras, ad nitidum diem
Frastorium vatem reducit.

At me praecipue felix delectat Hyacus,
Et platanus manibus consita, Bembe, tuis.
Nam platanum Bembus, patriae non inmemor, olim
Transtulit e campis, Sicelis Enna, tuis.
Saepe levi remo Venetas lustrare paludes,
Saepe libet totos ducere rure dies;

Sola-

35. — *felix delectat Hyacus,*
Et platanus manibus consita, Bembe, tuis.
Nam platanum Bembus, patriae non immemor, olim
Transtulit è campis, Sicelis Enna, tuis] Sic recte distinguunt vulgatae editiones. male enim in Voegeliana, *patriae non immemor olim, Transtulit* &c. Hyacum vero, (cujus elegantissimam descriptionem habes apud Fracastorium Lib III. Siphylidis ℣. 35 & seqq. & sub finem operis ℣. 404 & seqq.) quod hic tradat Lotichius ut & platanum a Bembo ex Sicilia Patavium translatas esse, conferenda sunt cum iis quae ipse Bembus scribit in doctissimo Dialogo de Aetna p. m. 757. ubi iter suum Siculum describens narrat a Tauromenio usque ad Randatium silvam platanorum numerosam esse, & quomodo postea ab ipsa Sicilia in Italiam transvectae sint platani, iisque multae urbes abundaverint quibus Nonianum suum exornari illic optat pater ejus Bernardus Bembus pro populis, quae villam suam inumbrabant, & quas versibus suis aeternitati commendasse dicit Aurelium, qui sunt Johannis Aurelii Augurelli Lib. I. Carminum Od. 4. ubi villam istam Bernardi Bembi Senatoris Veneti celebrat. Sed haec scripta sunt vivente patre Petri Bembi, qui post ejus obitum villae haeres platanos istas postea ex Sicilia arcessivisse & in Nonianum suum transtulisse potuit. Non tamen hinc existimandum est, primum Bembum ex Sicilia in Italiam devexisse platanos, quas per mare Jonium in Diomedis insulam, inde in Siciliam transgressas & inter primas Italiae donatas jam tradit Plinius Lib. XII. cap. I. hinc a veteribus illi Romanis valde amata fuit platanus, adeo ut sub ejus umbra maxime conpotare & genio indulgere, ejusque radices vino inrigare solerent. vide Bodaeum a Stapel ad Theophrast. Hist. Plantar. p. 406 Gronov. lib I. Observ. cap. 5. & N. Heinsium Lib. I. Adverf. cap. 10. sed & in nonnullis Italiae locis sponte sua ex terrae ingenio nasci platanos aliunde non adportatas videbis apud P. Victor. Lib. XIX. Var. Lect. 19. ceterum hunc hortum seu villam Bembi elegantem & urbanam, quae Patavii erat, lauro semper virenti, & praecipue hyaco & platano ornatam, veneratione domini, eloquentiae ac doctrinae laude perpetua florentis, saepe hic invisit Lotichius, Hagio suo comitatus, ut ille narrat in vita Lotichii pag. 507. Certe lucem his adferunt, quae scribit Nicolaus Comnenus in Histor. Gymnas. Patav. Lib. I. cap. XV. ubi tradit Bembum in secessu suo Patavino hortum Botanicum sibi apparasse, reique herbariae animum tam sedulo addixisse, ut non minus gloriae ex hac stirpium notitia sit adeptus, quam ex operibus, quae in hoc secessu scripsit. Hoc est illud Bembi suburbanum Patavinum, *Nonianum* dictum, ex quo literas amicis doctis passim scribit in suis Epistolis. Et hanc villam Bembi Nonianam ad rivum Pluicum & Rosatam memorat Bernard. Scardeonius in Antiq. Patav. Lib. I. Class. I. pag. 20.

Solarique aestus in gramine, sicubi forsan
  Laurus odoratas explicat alta comas.
Illic Arquatum quacumque e rupe saluto,
  Et veneror cineres, culte Petrarcha, tuos.
Tunc simul ad calidas Aponi descendimus undas,
  Nec piget asphodelum vespere ferre domum.

41. *Solarique aestus in gramine, sicubi forsan Laurus odoratas explicat alta comas*] Videor mihi hoc in loco deprehendisse optimam Virgilii imitationem Lib. III. Georg. 331.

Aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos; aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus adcubet umbra.

quem respexisse etiam opinor Columellam Lib. x. ℣. 301.

Quare age, vel jubare exorto jam nocte suprema,
Vel cum Phoebus equos in gurgite mersat Ibero,
Sicubi odoratas praetexit amaracus umbras,
Carpite narcissique flores &c.

ex quibus locis patet recte ultimam in *sicubi* corripi. v. Voss. II. de Anal. cap. 26. fin. vocemque hanc junctim esse scribendam, non *sic ubi*. vide notas ad Buchanan. Poëm. Silv. 2. ℣. 20.

43. *Illic Arquatum quacumque e rupe saluto, Et veneror cineres, culte Petrarcha, tuos*] Ad hunc Lotichii locum spectant, quae scribit Tomasinus in Petrarcha Redivivo, cap. XXIII. in fine. *Nullus paullo humanior aut curiosior, qui non sacrum Vatis nomini locum visitet, atque in primis exteri. Petrum Lotichium Poëtam Germanum accepimus, cum Patavii literarum studio moraretur, crebro Petrarchae cineres salutasse, & sub vesperam ad Laureta concessisse.* eadem Hagius in vita Lotichii pag. 507. *Excurrere sero vespere Patavio ad salutandos Francisci Petrarchae sacros penates & cineres, sacros recessus, pulchra Laureta.* ubi quod Laureta memorent, sciendum est in Arquato praeter sepulcrum hujus poëtae haberi etiam Petrarchae aedes & Laureta. vide Bernard. Scardeonium in Antiq. Patav. Lib. I. Cl. I. pag. 18. Ceterum Arquatum, sive Arquadam, Petrarchae tumulo nobilem, hoc Epigrammate celebravit Janus Pannonius pag. 287. Poëmat. in Delic. Poëtar. Hungar.

Arquada Euganeos inter celeberrima pagos,
  Quondam Antenorei quos tenuere Phryges.
Quamvis pulchra situ, quamvis sis ubere felix,
  Nec tua morbiferum noverit aura Canem.
Inde tamen longe major tibi gloria surgit,
  Vatis Petrarchae sancta quod ossa foves.

45. *Tunc simul ad calidas Aponi descendimus undas*] Ad loci hujus intellectum faciunt, quae de Lotichii Patavino secessu scribit Hagius in ejus vita pag. 111 & 112. *Quid dicam, quam jucunde, quam cupide nobiscum ire ille, comitantibus plurimum Maroldo meo, meoque Mario, ad Euganeos montes medicis herbis feliciter scatentes, hinc invisere sacros Aponi fontes, ac proxime illis sitas quinque calidas aquas, in quibus & jucunde saepe corpora valetudinemque & genium nostrum curavimus.* noster supra El. 2. 37.

Surge, quid in solis, inquit, teris otia silvis?
  Te manet Euganei terra beata soli.
Major ubi calidis Aponusque salubrior undis
  Fumat, Hamadryadum Naïadumque domus.

ipse quoque G. Sabinus, cui inscripta est haec

Hinc traho (quam longa eſt) abeuntem carmine noctem,
Dum ſopor occluſas excubat ante fores.
Carminibus ſolor caſus patriaeque meosque,
Abſtergens moeſta lumina ſaepe manu.

Sic

haec Elegia, in Hodoeporico ſuo Itineris Italici, quae eſt ejus Elegia prima libri ſecundi Poëmatum pag. 68. ubi iter ſuum Patavinum deſcribit, praeclaris verſibus Aponi fontem & medicatas ejus vires celebrat, qui merentur conferri cum Claudiani Idyllio VI. de Apono, ubi inter alia ✠. 67.

Salve Paeoniae largitor nobilis undae,
Dardanii ſalve gloria magna ſoli.
Publica morborum requies, commune medentum
Auxilium, praeſens numen, inempta ſalus.

quem locum eleganter aemulatus eſt Princeps & Episcopus Paderbornenſis Ferdinandus Furſtenbergius, optimo epigrammate in Acidulam Smechtanam, quod legitur in Monum. Paderbornenſ. pag. 262. pluribus de Apono fonte poëtis vetuſtis ac recentioribus valde celebrato agit Bembus in Dialog. de Aetna pag. 769. Scardeonius in Antiq. Patav. Lib. I. Cl. I. pag. 20 & ſeqq. ſed praecipue Laur. Pignorius in Orig. Patavin. Italice ſcriptis cap. XV. ubi Claudiani Idyllium cum cura illuſtrat & hic illic emendat, ejusque carmen cum Ennodii & Jul. Caeſ. Scaligeri deſcriptione comparat.

46. *Nec piget aſphodelum veſpere ferre domum*] Sic recte ed. Voegel. nam vitio operarum, ut puto, in omnibus fere vulgatis editionibus legitur *aſphodelam*. ſed hoc levius. majoris forte momenti erit inquirere, cur Lotichius, judicii minime inſulſi poëta, hic prae ceteris aliis herbis, quas in Euganeis montibus colligere ſolebat, unicam memoret *aſphodelum*, quam veſpere domum ferre non pigebat. Ratio forte eſt, ut temperantiam ſuam ac vitae frugalitem, cui in primis ſtudebat, innueret, quia noverat veteribus aſphodelum quaſi proverbiali locutione de victu tenui ac ſimpliciſſimo laudari, ideoque eum non pudebat ex Aponi thermis & jugis Patavinis reducem, aſphodelum ſecum veſpere domum ferre, ut menſam exilem ac frugalem more antiquorum eo inſtrueret. certe apud Theocritum Idyll. VII. ✠. 68. inter viles herbas, quibus ruſtica adparatur menſa, *aſpodelus* etiam memoratur. Id ne nimis ſubtile ac longe quaeſitum videatur, inſpice, quaeſo, Danielis Heinſii notam egregiam ad Heſiodi ἐργ. καὶ ἡμέρ. ✠. 40. ubi poëta ille dicit ſtultos neſcire,

— Ο῝σον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

quem locum adfert Gellius Lib. XVIII. cap. 2. & inter quaeſtiones eruditas inter ludicra Saturnalitia Athenis agitatas memorat ſextam inſtitutam fuiſſe diſputationem, cujusmodi herba fuerit *aſphodelus* Heſiodo memorata, unde patet inter veteres de eo non conveniſſe. ſed de victu ſimpliciſſimo, quo antiqui illi & ſancti mortales vitam ſuſtentabant, optime explicuit Heinſius, & hinc malvam & aſphodelum ſolitos fuiſſe mortuis in tumulo ſerere, ne tenuis ſaltem iis deeſſet cibus. ita quoque jam ante Heinſium Heſiodi locum expoſuit Eraſmus in Adagio *dimidium plus toto* pag. m. 509. de aſphodeli autem notitia herbaria erudite ac copioſe diſſerit Bodaeus a Stapel ad Theophraſt. Hiſt. Plant. Lib. VII. p. 869. & ſeqq.

47. *Hinc traho, (quam longa eſt) abeuntem carmine noctem*] Elegantiam hujus formulae apud veteres poëtas ſaepe corrupepunt librarii. Virg. VIII. Aen. 87.

Thybris ea fluvium (quam longa eſt) nocte tumentem
Leniit.

ubi

Sic mihi flos aevi, ſic dulcis carpitur aetas:
Labitur, & tacito clam fugit illa pede.
Interea tamen inſtat Amor, nec pulſa receſſit
Oſſibus haec peſtis perniciesque meis.
Nec Ratio valuit ſaevas evincere flammas,
In ſumma quamvis legerit arce locum.

ubi perperam in aliis codicibus, etiam in Amſtelaedamenſi ſatis antiquo, *quam longa nocte*. Ovid. Lib. I. Am. 2. 3.

Et vacuus ſomno noctem (quam longa!) peregi.

ubi male in MSS. *noctem longamque peregi.* vide iſtic Patrui mei notas.

49. *Carminibus ſolor caſus patriaeque meosque*] pariter de ſe Ovid. v. Triſt. 7. 67.

Carminibus quaero miſerarum oblivia rerum,
Praemia ſi ſtudio conſequar iſta, ſat eſt.

52. *Labitur, & tacito clam fugit illa pede*] Adhaeret Tibullo Lib. I. El. XI. 34. de morte:

Imminet, & tacito clam venit illa pede.

56. *In ſumma*] Ex Ovidio Metam. I. 27.

Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce.
HOOGST.

55. *Nec Ratio valuit ſaevas evincere flammas,*
In ſumma quamvis legerit arce locum] Novi qui putabat Lotichium hic amorem ſuum ne ipſa quidem puellae defunctae morte, quam praecedenti Elegia deflerat, finitum indicare, neque flammas Rationis uſu extinctas, licet amor ejus in *ſumma arce* locatus & alti aetheris haeres factus eſſet, ut ſupra dixit El. 3. ỷ. 43. ſic *ſumma arx* pro coelo ſaepe apud poëtas. vide notas Patrui mei ad Albinov. Eleg. in mortem Druſi ỷ. 61. reſtituenda eſt haec locutio Paulino Nolano in carmine ad Nicetam Epiſcopum ỷ. 288. p. 642. ed. Roſw.

Unde complexi ſine fine charum
Pectus, haeremus laqueo fideli,
Quaque contendas, comites erimus
Aetheris arce.

ita illic habetur in veterrimo Auſonii codice Voſſiano. vulgo editur, *comites erimus Mente ſequaci.* quamquam G. Fabricius in Poët. Chriſtianis rectius pro *erimus* ediderit *feremur*, cujus alterum gloſſema eſt. ſic *ſumma arx* eodem ſenſu apud Ovidium, Valerium Flaccum, Claudianum, aliosque paſſim. Sed longe alius loci hujus ſenſus. Innuit enim ſe flammas ſuas ne duce quidem Ratione ac bona Mente, quae ſedem in hominis capite habet, evincere ac domare potuiſſe: idque ex mente veterum eſt, qui Rationi aliisque ſenſibus locum conſtituebant in *ſumma* hominis *arce*, ſeu capite. Macrobius Lib. I. in Somn. Scip. cap. 6. *Et quia ſenſus eorumque miniſteria Natura in capite, velut in arce, conſtituit.* Minucius Felix cap. XVII. in fine: *Oculi in ſummo, velut in ſpecula, conſtituti, & omnes ceteri ſenſus, velut in arce, compoſiti.* quae deſumta eſſe ex Cic. II. de Nat. Deor. cap. 36. notarunt viri docti. erudite hoc illuſtravit Barthius ad Claudian. pag. 617. & ad Stat. III. Th. 246. ubi inter alia recte emendat Alcimi Aviti locum huc facientem Lib. I. ỷ. 82. de creatione hominis:

Dehinc arcem capitis ſublimi in vertice ſignat,
Septiforem vultum Rationi & ſenſibus aptans.

ubi in vulgatis, etiam in Joach. Zehneri editione, male legitur *rationis ſenſibus.* plura vide apud Pricaeum ad Apulej. Apolog. pag. 123 & 124.

Ergo ego ſuſtinui, primo ſub flore juventae,
  Horrida difficili tempore caſtra ſequi.
Oceani metas vidi, litusque remotum,
  Qua Libyam noſtro ſeparat orbe fretum.
Mille fatigatus rerum diſcrimina vici,
  Saepe graves aeſtus, frigora ſaepe tuli.
Unius haud poſſum ſuperare Cupidinis ignes,
  Nec deſideriis fortior eſſe meis.
Ite procul Muſae, laurique hederaeque valete,
  Huttenus patriae quas tulit ante meae.
Carmina nil proſunt, non ſi mihi talia Phoebus
  Praeſcribat, moriens qualia cantat olor.
Nec medicae curant Aponi mea vulnera lymphae,
  Ulla nec Euganeis quae viret herba jugis.
Haec ſatis eſt tenera myrti cecinisse ſub umbra.
  Deſine nunc Erato plura. Sabine vale.

60. *Qua Libyam noſtro ſeparat orbe fretum*] Illuſtrabunt haec notata Voſſio ad Melam Lib. II. cap. 5. 31.

66. *Huttenus*] Ulricus Huttenus, Eques Germanus, qui floruit tempore Erasmi noſtri, quicum amicitiam coluit, ſed & adverſus quem poſtra ſtylum ſtrinxit, nec impune tamen. HOOGST. De Hutteno vide infra ad Lib. II. Carm. XVI.

ELE-

ELEGIA V.
AD
GULIELMUM RUGERIUM COMPATREM.

De novo amore.

Altera post hiemem, Rugeri, vertitur aestas,
Alteraque aestatis terga fatigat hiems,
Inmatura meae cum flevi fata puellae,
Et desolati frigida regna tori.
Testis Sorga mihi, latisque Druentia ripis,
Qua Rhodano cursus jungit uterque suos.
Illic constitui tumulum, manesque vocavi,
Et sedi multos ante sepulcra dies.

5. *Testis Sorga mihi, latisque Druentia ripis, Qua Rhodano cursus jungit uterque suos*] Egregie haec illustrabunt, quae de Sorga, seu Sulga, & Druentia, quae Druna aliis, Narbonensis Galliae fluminibus, in Rhodanum excurrentibus, ad corruptum Strabonis locum notavit Scaliger Lib. I. Auson. Lect. cap. 5. & 30. merito a Casaubono laudata, qui oportuna etiam emendatione isti loco succurrit. *Sorgam* vero esse amnem Vindalicum, ut recte iidem literarum principes Duumviri legunt, Floro memoratum lib. III. cap. 2. § 4. etiam praeter Freinshemium animadvertit Joh. Is. Pontanus in notis ad Itinerar. Gall. Narb. pag. 44. & 46. *latas ripas* cur Druentiae hic tribuat Lotichius, patebit ex ejus descriptione, quae exstat apud Mich. Hospitalium Lib. v. Epist. pag. 281.

Millibus hinc distat non amplius Orgo duobus
Lotarenorum ditionis, at inter utramque
Saxa ruit, Stygiasque Druentia volvit arenas:
Non alius celsis revolutus montibus amnis
Vicinos ripae populatur latius agros.

ubi *Sorga* vocatur *Orgo*. quo nomine etiam apud alios occurrit, quod a corruptis Plinii exemplaribus, apud quem lib. XVIII. cap. 22. legitur, *In Narbonensi provincia nobilis fons, Orge nomine est*; profluxisse, & repetita *s* legendum esse *Sorge* putat Ortelius in Thesaur. Geogr. in *Orge*. notatque hunc esse Sorguam a Petrarcha in Epistolis suis descriptum, cujus locum vide apud Masson. in Elog. T. II. pag. 51. & 53.

8. *Et sedi multos ante sepulcra dies*] Sapit illud Tibulli Lib. II. El. 7. ỷ. 15.

Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.

Promiſique fidem cineri, ſine amore futurum
  Funeris extremum tempus ad usque mei.
At nunc rurſus amor veteres mihi ſuſcitat ignes,
  Rurſus atrox ſaeva me face torret amor.
Parcite felices animae, tuque optima virgo
  Parce, nec ultores invocet umbra Deos.
Acceptum quodcumque poteſt gratumque ſepultis
  Accidere, exſequiis contigit omne tuis.
Quod ſupereſt (quoniam nihil eſt velocius annis)
  Gaudeat, ut digna eſt, flore juventa ſuo.
Pace tua liceat funeſtam ponere veſtem,
  Myrteaque ornatis reddere ſerta comis.
Apennine pater, vacuas qui tollis in auras
  Ilicibus cinctum juniperisque caput;
Aemiliaeque videns oram, camposque jacentes,
  Nobile Felſineae deſpicis urbis opus:
Tu mihi curarum conſors, teſtisque laborum,
  Tu viridi ſervas gaudia noſtra jugo.

Hic

15. *Acceptum quodcumque* &c.] Repetitur hoc diſtichon infra Lib. IV. El. 6. ✝. 139. Eſt autem optima imitatio Catulli Epigr. 97.

Si quidquam mutis gratum acceptumve ſepulcris
Accidere a noſtro, Calve, dolore poteſt;
Cum deſiderio veteres renovamus amores,
Atque olim miſſas flemus amicitias.

ſic editio Douzarum & aliae: pro quo aliquando conjiciebam;

Adque Orcum miſſas flemus amicitias.

ut exprimat Homericum, Ψυχὰς ἄϊδι προΐαψε. ſed *amiſſas* recte correxit Iſ. Voſſius, quomodo etiam legebat Broukhuſius. eumdem Catulli locum imitatus quoque eſt Petrus Carrarus Patavinus initio Epicedii in morte Lazari Bonamici, inter poëtas Italicos Toſcani:

Si quidquam ſurdis gratum ſolet eſſe ſepulcris,
O nobis vita, Lazare, amabilior.
Accipe communis luctus libamina noſtri
Ultima, ſed meritis juſta minora tuis.

Hic mea lux patriis in collibus exigit aevum,
 Lanigerum pafcens ruris alumna pecus.
Illa meos rapuit fenfus, animumque, quod omnes
 Euganei nymphae non potuere foli.
Illius in folis quaero veftigia filvis,
 Grataque pofthabitis urbibus arva colo.
Dicite cuftodes pecoris, nemora alta tenentes:
 Ecqua fub hoc fervat monte puella gregem?
Dicite, laffatos quo fonte refrigerat artus?
 Quas filvas, medio quae fubit antra die?
Haec ego: Tum ripas monftrat mihi ruftica pubes,
 Qua Panarus liquido praenatat arva pede:
Ille fatigatis gratus paftoribus amnis:
 Huc potum faturas lux mea ducit oves.
Hic oculis primum tulit obvia lumina noftris,
 Lumina quae radiis aemula Solis erant.
Quid referam, quoties noctem per inhofpita ducam,
 Si queat aerumnis effe benigna meis?
Illa fed (ah fimplex) humanis invida votis,
 Virginei mavult effe puella chori.

In-

47. *Inpatiensque viri caftis fe devovet aris*] Virg. XII. Aen. 234.
Ille quidem ad fuperos, quorum fe devovet aris,
Succedet fama, vivusque per ora feretur.
innuit autem his verfibus Lotichius, amicam fuam fe facro devotarum virginum choro addixiffe: illac enim proprie veteribus dicebantur *devotae virgines*, quae vel fe ipfae devovebant caftitati & fanctimoniae perpetuae, aut a parentibus devovebantur. vide Scalig. Lib. II. Aufon. Lect. cap. 8. cui nonnulla debet Pafferatius ad Propert. p. 381. nam conjecturam Scaligeri in notis Valerii Probi *D. V. Devota Virgo* emendantis pro *Devotus Vir*, cum alto ejus filentio notae fuae inferuit: quamquam in noftro Probi Codice MS. ab editis valde diverfo *D. V.* ceteris omiffis tantum exponatur *Diis Volentibus*.

Inpatiensque viri castis se devovet aris,
  Vittaque flaventes jam ligat alba comas.
Vidi ego, cum roseos nigris mutaret amictus,
  Et tunicam magnos poneret ante Deos:
Et consanguineas, dulci cum matre, puellas
  Linqueret, a templis non reditura domum.
Me miserum, poterone pati, poterone mederi?
  Non potero, tantis mens stupet aegra malis.
Quid non carminibus, quid non tentavimus herbis?
  Inrita vis herbis, carmen inane fuit.

Ipse

53. *Me miserum, poterone pati, poterone mederi* &c.] Totum hunc Patrui sui locum ampliatis nonnullis mutuatus est Joh. Petr. Lotichius Lib. I. El. 4.

Me miserum an tales potero perferre dolores?
  Non poterit tantis mens agitata malis.
Ite procul medicae, clarique Machaonis artes,
  Ferte retro vestrum turba novena pedem.
Nulla meis radix, nulla apta doloribus herba,
  Prostat & in libris nulla medela meis.
Ecquid Apollinea jam non tentavimus arte,
  Et mora in inbelli carmine nulla fuit?
Irrita vis herbis, vis irrita carminis, ipse
  Porrigeret mitem si mihi Phoebus opem.

alio etiam in loco hoc distichon suum fecit Eleg. I. ejusd. Libri:

Me miserum, tantis poterone vacare querelis?
  Non potero, crebris mens hebet aegra malis.

55. *Quid non carminibus, quid non tentavimus herbis,*
  Inrita vis herbis, carmen inane fuit] Respicit, ni fallor, illud Tibulli Lib. II. El. 3. ℣. 13.

Nec potuit curas sanare salubribus herbis,
  Quidquid erat medicae vicerat artis Amor.

ubi vide Broukhus. notum illud Oenones apud Ovid. Epist. v. 147.

Quaecumque herba potens ad opem, radixque medendi
  Utilis in toto nascitur orbe, mea est.
Me miseram quod amor non est medicabilis herbis!
  Deficior prudens artis ab arte mea.

& Propertii Lib. II. El. I. ℣. 59.

Omnes humanos sanat medicina dolores,
  Solus Amor morbi non amat artificem.

quem ita imitatur Janus Secundus Lib. I. Epigr. 55.

Artifices herbae sanant genus omne malorum,
  Solus Amor medicam spernit & horret opem.

quod ideo notamus ne quis male per *carmina* & *herbas* intelligat magicas incantationes aut herbas Medeïdas, quia *carmen* & *herba* saepissime hac in re junguntur apud poëtas. ut Tibullum Lib. I. El. 8. ℣. 17.

Num te carminibus, num te pallentibus herbis,
  Devovit tacito pectore noctis anus.

& paullo post:

Quid queror heu misero carmen nocuisse? quid herbas?
  Forma nihil magicis utitur auxiliis.

vide Ovid. Rem. Am. 249. seqq. II Amor. El. I. 23. & seqq. & II Artis ℣. 101 & seqq. III Am. 7. 28. quae duo loca imitatus est Sannazarius Lib. I. El. I. ℣. 65 & seqq.

Ipſe pater vatum dulci non adtulit ullam
Bochius eloquio, non Amaſaeus opem.
Apennine vale: tuque o dulciſſime rerum
Compater, has curas & mea damna leva.
Tu quoque, ſeu Panarus gaudes de more vocari,
Amnis ab aëriis orte cacuminibus;
Nobile ſeu flumen Scultenna lubentius audis,
Seu quodcumque juvat nomen habere, vale.

57. — *non adtulit ullam*
Bochius eloquio, non Amaſaeus opem.] Intelligit, ne cum aliis Bochiis confundatur, Achillem Bóchium Bononienſem; quem *linguae decus utriusque* vocat Flaminius Lib. I. Carm. 34. quocum ſummam fuiſſe Bochio amicitiam patet ex ejusdem Flaminii Lib. I. Carm. 43. & Lib. II. Carm. 29. ac reſponſorio Bochii Phaleucio. Huic Achilli Bochio carmen ſuum de Fide Chriſtiana inſcripſit Hoſpitalius, quod habetur Lib. I. Epiſtolar. pag. 48. ed. noviſſ. Vlamingii, unde patebit, quam magnifice de ejus facultate poëtica judicaverit Hoſpitalius. Eidem quoque Dialogum ſuum de Lilii Gyraldi Vita & operibus dedicavit Laurentius Frizzolius. Nonnulla hujus Bochii Epigrammata habentur in Delic. Poët. Ital. Tom. I. p. 443—452. Scripſit & Symbolicas Quaeſtiones, editas Bononiae 1574. in 4. quas elogio inſigni exornat Joh. Baptiſta Pigna Carminum Lib I. pag. 27. alia ejus opera recenſet Peregrinus Antonius Orlandus in Notitia Scriptor. Bononienſ. libro Italice ſcripto pag. 37. Alter eſt Pompilius Amaſaeus, ad quem ſcripta eſt Lotichii noſtri Ecloga quarta, filius docti illius Romuli Amaſaei, cuius elogium amplum vide apud Nic. Grudium in Poëm. pag. 181. & in Ariſtotelem Latine ab eo redditum elegans Epigramma p. 55. Utrumque laudat Flaminius Lib. V Carm. 26.

Sic te, Romule, copia beata
Fandi, & omnigena eruditione
Vincat Pompilius tuus &c.

vide etiam Petrum Bembum Lib. VI. Epiſt. 9. & Toſcani Peplum Italiae Lib III. pag. 78. Ad Pompilium hunc Amaſaeum carmen eſt apud Joh. Baptiſt. Pignam Lib. I. Carm. pag. 25. cumque inter clariſſima ſui temporis Italiae ornamenta ac lumina praedicat Ciofanus ad Ovid. XIII Met. 701. & huic filio ſuo Romulum Amaſaeum eruditionis laudem quaſi jure haereditario reliquiſſe ſcribit Thuanus Lib. XXI Hiſtor XI. § 26. ubi inſigne patris extat elogium. neque id ſine ratione dicit Thuanus, cum genti Amaſaeae inter Italos haereditarium quaſi decus fuerint doctrinae ſtudia. Gregorius enim Amaſaeus Utinenſis, quem avum habuit hic Pompilius, jam ſeculo XV. inter nobiliores meliorum literarum inſtauratores celebris, eruditionis & eloquentiae laude floruit, & in adoleſcentia ſua Marci Antonii Sabellici in Academia Patavina ſucceſſor, & deinde apud Venetos, mortuo Georgio Valla, literas elegantiores & Eloquentiam profeſſus eſt: ſed cum humanitatis ſtudia adverſus barbaros Muſarum hoſtes liberius & animoſius vindicaſſet, eorum odiis & invidiae cedens relicta illius cathedrae ſtatione ſibi ac Muſis ſuis privatus vixit. Adeo ut non novum aut hodiernum tantum literatorum hominum fatum ſit cum ejusmodi ſcarabaeis, cultioris doctrinae peſtibus ac corruptoribus, luctari! Illius viri egregii memoriam apud biographos & hiſtoriae literariae ſcriptores obſcuram fere & indictam nuper poſteritati celebratiorem reddidit Menckenius in Miſcellan. Lipſienſ. Vol. VII. P. I. pag. 171. & ſeqq.

* ELEGIA VI.

AD HILARIUM CANTIUNCULAM.

De peste Patavina, & obitu DANIELIS STIBARI.

Euganeam ſerpunt contagia dira per urbem.
  Medoaci vitreas linquere tempus aquas.
Seu Canis Erigones corruptas polluit auras,
  Seu lacus, & multa pingue palude ſolum:
Semina ſeu labis noſtros fugientia ſenſus
  Putris ab infecta detulit Auſter humo.
Cauſſa latet, ſed peſtis atrox crudeſcit in horas.
  Demens heu Patavi quisquis in urbe manet!

Tu

* ELEG. VI. AD HILARIUM CANTIUNCULAM] Exſtat haec Elegia in ed. Voeg p. 166. cum Hilario hoc Cantiuncula, poëta iſtius temporis non ignobili, ſed hodie fere incognito, magnam in Italia amicitiam coluit Lotichius, praeſertim cum Patavii eſſet, ut patet ex noſtri poëtae Phalaecio ad eumdem hunc Cantiunculam ſcripto, quod legitur in Juvenilibus pag. 310. edd. Lipſſ. ubi valde effert genium ejus poëticum, & libellum Carminum, quem dono ab eo acceperat, laudat iſtis verſibus:

Sic eſt: nam lepidum tuum libellum
Perlegi, ingeniumque copiamque
Sum miratus, amabilemque Muſae
Pudorem, veteremque diſciplinam.

quibus intelligit Hilarii Cantiunculae libellum Hendecaſyllaborum, quo carminum genere praeſertim excelluiſſe videtur, qui prodiit Venet. 1555. id enim indicant ſequentia;

Sic Calvum puto, Memmiumque, & ipſum,
Quem tu plus oculis amas, Catullum
Cultis verſiculis & expolitis
Urgentes animi levaſſe curas.

tria ejus Phalaecia Lotichio inſcripta habentur in Adoptivis p. 179 & ſeqq. & alia nonnulla in Delic. Poët. Geman. T. II. pag. 176. & ſeqq. natum fuiſſe nobilibus & lautae fortunae parentibus, Italiam ſtudiorum cauſſa petiiſſe, & Muſis ac Themidi Martem ſociaſſe, ſed miſerabili fato in reditu ex Italia ſuffocatum periiſſe in flumine Rheno, patet ex J. P. Lotichio in Biblioth. Poët. part. III. pag. 110. & ſeqq. unde in obitum ejus forſan ſcripta eſt Lotichii noſtri Ecloga quinta, quod tamen non niſi dubitanter adfirmare licet, ut illic pluribus videbimus.

8. *Demens heu Patavi quisquis in urbe manet*] Tibullus Lib. II. El. 3. ✝. 2.
Ferreus eſt eheu quisquis in urbe manet.

Tu quoque quid cessas dubios evadere casus,
  Dum licet, & celeri sospes abire fuga?
Non tamen, ut dominam, spreta pietate, relinquas,
  Neu cadat inmodico lapsa timore fides.
Turpe erit inmeritam te propter flere puellam,
  Quae tibi jus animi credidit omne sui.
Non tu saevus in hoc, nec fas mihi credere tantum;
  Usque adeo vates convenit esse pios.
Ergo sive leges citriis mirtoque virentem,
  Benaci melior qua fovet aura lacum.
Sive Athesis ripas, ubi desinit Itala tellus,
  Abdua sive tuas, sive Timave tuas.

13. *Turpe erit inmeritam te propter flere puellam*] Tibullum cogitabat Lib. II. El. 7. 17.

Non feret usque suum te propter flere clientem.

quod ad rem ipsam adtinet, ejusdem sententiae est illud Ovidii Lib. III Am. El. 6. 60.

Ille habet & silices, & vivum in pectore ferrum,
Qui tenero lacrimas lentus in ore videt.

neque abludunt ejusdem Tibulli Lib. I. El. 1. 52.

O quantum est auri pereat, pereatque zmaragdi,
Quam fleat ob nostras ulla puella vias.

ita illic forsan legendum, repetitione Tibullo atque Ovidio in primis amata, pro eo quod nunc in vulgatis editur:

O *quantum est auri potius, pereatque zmaragdi.*

vel ut in aliis, *pereat, potiusque.* unde patet fluctuasse oscitantes librarios, & illud *potius* e glossa inrepsisse, quod subintelligi non nemo sciolus in margine adnotarat. de ejusmodi repetitionibus passim a librariis apud poëtas neglectis vel corruptis vide Heins. ad Ovid. Ep. VI. 29.

15. *Non tu saevus in hoc*] Locutio Tibulliana Lib. III. El. 2. 5.

Non ego firmus in hoc; non haec patientia nostro
Ingenio &c.

& imitatus est Titus Strozza Lib. IV. Eroticor. pag. 39.

Non ego talis in hoc; sed amici fletibus angor.

in hoc autem pro ideo, hoc fine, saepe apud veteres. vide Patrui mei notas ad Phaedr. Lib. V. Prolog. v. 2. & Lambecium in Lucubr. Gellian. pag. 108.

16. *Usque adeo vates convenit esse pios*] ἐπιφώνημα elegans & Ovidianum. ut Lib. II. Am. El. 9 26.

Vive, Deus, posito, si quis mihi dicat, amore;
Deprecer. usque adeo dulce puella malum est.

Lib. VI. Met. 438.

Usque adeo latet utilitas.

& Lib. XIV. 152.

Usque adeo mutata ferar.

17. — *citriis mirtoque virentem,*
Benaci melior qua fovet aura lacum] vide adnotata infra ad El. 10. ✝. 23.

Seu juvat Eridani luſtrare binominis urbes,
Aut longam curvi Tibridis ire viam:
Quo te cumque pedes ducent, quocumque voluntas,
Sit comes, & collo pendeat illa tuo.
Nec tibi ſecretis caſa ſordeat horrida ſilvis:
Omnia ab inmunda ſint modo tuta lue.
Me domus Aonidum tenet, ac patria inclita vatum,
Felſina, triſtitiae conſcia ſola meae:
Felſina, quam leni perlabitur agmine Rhenus,
Apenninigenas nobilis inter aquas.
Candida pax habitat, nec terra ſalubrior ulla eſt,
Arida dum ſitiens excoquit arva Leo.
At mihi nulla quies, nec cum ſe condit in undas,
Nec cum Sol verſis mane recurrit equis.
Jam novies coelo fulſit nova Luna ſereno,
Lumina dum ſomni munere feſſa carent.
Non mihi ſaevus amor, non torridus officit aër,
Hauſta nec incauta dira venena manu.
Tu ſtudium, luſusque meos, tu gaudia vitae
Omnia fregiſti morte, Stibare, tua.

Teſtor

23. *Quo te cumque pedes ducent*] Virg. *Quo te, Moeri, pedes, an quo via ducet? in urbem.* quam Virgilii locutionem *ferre pedes* ex Homerico φέρειν πόδας deſumtam notat Victor. XXXVI. Var. Lect. 3.

26. *ſint modo*] Sic ed. Voeg. in aliis male vulgatum eſt *ſunt*. Eſt enim optantis.

33. *At mihi nulla* &c.] Idem diſtichon eſt Lib. I. Eleg. I. 33. HOOGST.

39. *Tu ſtudium, luſusque meos, tu gaudia vitae*
Omnia fregiſti morte, Stibare, tua] Obverſabantur, ni fallor, animo poëtae noſtri verſus Catulli, quibus fratris mortem lamentatur in carmine ad Mallium LXIX. ℣. 19. & ſeqq.

Sed totum hoc ſtudium luctu fraterna mihi mors
Abſtulit, o miſero frater ademte mihi!

Tu

Teſtor honoratos manes, umbramque recentem,
Quique meos luctus Dîque animaeque vident,
Funere me nullo tantum cepiſſe dolorem,
Nec frater gelida cum tegeretur humo;
Nec cum longaevos (pietas ignoſce) parentes
Suſtulit, extincto lumine, nigra dies.
Jam tenues pallent, egeſto ſanguine, venae,
Succus & in lacrimas corporis omnis abit.
Nec minus accenſos febris depaſcitur artus,
Oraque continua torret anhela ſiti.
Nec gemitu coelum prodeſt inplere, nec ullos
Vota Deos, anima deficiente, movent.
Quandocumque igitur, fato perculſus amici,
Pones Felſinea moeſtus in urbe pedem:
Magna licet cogant properare negotia Romam,
Aut petere Etruſci litora curva maris:

Ad

Tu mea, tu moriens fregiſti commoda, frater,
Tecum una tota eſt noſtra ſepulta domus.
Omnia tecum una perierunt gaudia noſtra,
Quae tuus in vita dulcis alebat amor.
Cujus ego interitu tota de mente fugavi
Haec ſtudia, atque omnes delicias animi.

ubi in ſecundo verſu *Abſtulit* praeſero, jubentibus ita Palatinis codicibus, ut & Bodlejano ac meo MS. quamquam *Abſcidit* in editione Douzarum, Iſaci Voſſii, aliisque.

41. *Teſtor honoratos manes* &c.] Hos & ſequentes Lotichii verſus imitatione liberali expreſſit Patruus meus Epicedio in Obitum Graevii Lib III. Poëm. pag. 180.

Teſtor honoratam, cineres quae continet, urnam,
Oſſaque, de buſto quae ſuper una tuo.
Numina, confectae quae mentis conſcia, teſtor,
Funere non alio me doluiſſe magis.
Non mihi cum primis Pater eriperetur in annis,
Non tegeret Fratris cum lapis oſſa mei.

47. *Jam tenues pallent, egeſto ſanguine, venae* &c.] Sic recte, non *ejecto ſanguine*, hac ſua imitatione legiſſe videtur Lotichius apud Ovid. X. Met. 136.

Jamque per inmenſos egeſto ſanguine fletus
In viridem verti coeperunt membra colorem.

ubi male in aliis codicibus *ejecto* vel *exhauſto*. vide illic notas.

51. *Nec gemitu coelum prodeſt inplere* &c.] Tibullum denuo ſequitur Lib. III. El. 3. in initio:

Quid prodeſt coelum votis inpleſſe, Neaera?
Blandaque cum multa tura dediſſe prece?

55. *Magna licet cogant* &c.] Non leguntur hi duo verſus in ed. Voeg.

Ad tumulum tamen ante veni, manesque ſaluta,
  Florida nec cineri ſerta, roſasque nega.
Tum ſociis, imo ſuſpirans pectore, dicas:
  Huic deſiderium cauſſa perire fuit.

56 *Aut petere Etruſci litora curva maris*] Adhaeret Propertio Lib. II. El. 23. 66.

Nunc jam, dura, paras Phrygias nunc ire per undas,
Et petere Hyrcani litora nota maris.

P. Bembus in Tumulo Leucippi & Alconis:

Nymphae terrarum praeſentia numina, Nymphae,
Quae colitis Tuſci litora curva maris.

57. *Ad tumulum tamen ante veni*] *precor ipſe veni*, ed. Voeg.

60. *Huic deſiderium cauſſa perire fuit*] Tibullianum reſpexit epitaphium, Lib. III. El. 2. ℣. 30.

Sed triſtem mortis demonſtret litera cauſſam,
Atque haec in celebri carmina fronte notet:
Lygdamus hic ſitus eſt: dolor huic & cura Neaerae
Conjugis ereptae cauſſa perire fuit.

Propertius Lib. II. El. 1. ℣. 88.

Taliaque illacrimans mutae jace verba favillae,
Huic miſero fatum dura puella fuit.

Joh. Baptiſta Amaltheus pag. 76. Poëmat.

Et cupiam tantos leto finire dolores,
Ignotiſque tegar mortuus aggeribus:
Tu face, ut exigua ſuperet breve carmen in urna,
Hunc Amor, hunc juſſit dura puella mori.

tale illud Hieronymi Angeriani, in fine deſperatae illius cycneae cantionis in Erotopaegnii Epigrammate ultimo:

Ne trepida: rapidus quum ſpiritus ibit ad auras,
Clamabit, mortis Coelia cauſſa fuit.

de cujus viri miſerabili & tragico exitu vide Broukhuſ. ad Propert. Lib. I. El. 6. 24. ejusmodi epitaphia brevia amant poëtae, ubi amoris ſui ac mortis infelicitatem deplorant, verſibus ſuis inſerere, conmiſerationis movendae cauſſa. noſter in Juvenilibus pag. 305. edd. Lipſſ.

Muneribus buſtum infelix decorate ſupremis,
Allobrogum gelidis dum vagor ipſe jugis.
Atque hoc aut ſimile huic aliquod ſuperaddite carmen,
Quae jacet, hic teneri vatis amica fuit.

quae ſapiunt illud Propertii Lib. II. El. 10 ℣. 35.

Et ſit in exiguo laurus ſuperaddita buſto,
Quae tegat extincti funeris umbra locum.
Et duo ſint verſus; Qui nunc jacet horrida pulvis,
Unius hic quondam ſervus Amoris erat.

quod epitaphium Propertianum a diſertiſſimo inter Italos poëta Johanne Caſa adoptatum eſſe videbis in notis Broukhuſii. parilis elegantiae ſunt illa Herculis Strozzae Lib. I. Amor. pag. 68. b. ed. Ald.

Floribus interea cumulem tua buſta, tuiſque
Manibus inferias ſaepe operata feram.
Et tua ne lapis ignotus ſibi vindicet oſſa,
Talibus inſcribam marmora dura notis.
Strozzius hic, viridi quem ſuſtulit Atropos aevo,
Pro quo maluerit fida puella mori.
Haec mihi ſi manes veniant audita ſub imos,
Eruerim merſum ſub Phlegetonte caput.

his non diſſimilia notavimus ſupra Lib. I. El. 6. ℣. 84 & 85.

E L E-

ELEGIA VII.

In obitum DANIELIS STIBARI.

Dum fugat exoriens humentes Lucifer umbras,
Et tremulo Venetas lumine ſpargit aquas:
Alcyonumquè ſonant moeſtis freta mane querelis,
Quas dolor ante alias nunc quoque tangit aves:
Hic

ELEG. VII.] Legitur in ed. Voegeliana pag. 168.

In obitum DANIELIS STIBARI.] Vide de eo Camerar. in vita Melanchth p. 260. & 347. & Hagium vita Lotichii p. 518. vitam ejus deſcripſit Melch. Adamus in vitis German. Juriſc. & Polit. pag. 48. in ejus etiam obitum unum & alterum carmen Georgii Marii Virceburgenſis & Johannis Sambuci legitur inter Lotichii carmina in editione Voegeliana Lib. I. Carm. p. 179 & ſeqq. quae dein omiſſa ſunt in ſequentibus editionibus.

1. *Dum fugat*] vide Pompon. Melam l. I. c. 18. HOOGST.

3. *Alcyonumque ſonant moeſtis freta mane querelis,*
Quas dolor ante alias nunc quoque tangit aves]

Priſcorum veſtigia Lotichium feliciter hic ſequi, dum aptiſſimo utitur Alcyonum exemplo, quia aves illae litoribus gaudentes luctum & ſolitudinem amant, notavit Broukhuſ. ad Propert. lib. I. El. 17. 2. ubi noſtrum vocat *zmaragdum Poëtarum Germanorum*. Certe apud poëtas paſſim amantes queribundi, vel alio luctu ac Sortis acerbitate oppreſſi dolores ſuos communicant cum avibus his moeſtiſſimis, praeſertim ſi in montibus vel litore oberrent; ut apud Propertium, & noſtrum hoc loco. pulcherrima hac comparatione etiam utitur Valerius Flacc. Lib. IV. Argon. v. 45.

Tum lacrimis, tum voce ſequi, tum rumpere queſtus;
Fluctus ab undiſoni ceu forte crepidine ſaxi
Cum rapit Alcyones miſerae foetumque laremque;
It ſuper aegra parens, queriturque tumentibus undis
Certa ſequi, quocumque ferant; audetque, pavetque &c.
Haud aliter ſomni moeſtus labor. exſilit amens,
Effuſisque genas lacrimis rigat: Ibimus, inquit,
Solus & hos montes deſertaque luſtra tenebis
Care puer.

Albinovanus Eleg. ad Liviam ỷ. 107.

Talis in umbroſis, mitis nunc denique, ſilvis
Deflet Threïcium Daulias ales Ityn:
Alcyonum tales ventoſa per aequora queſtus,
Ad ſurdas tenui voce ſonantur aquas.

e recentioribus Joh. Baptiſta Amaltheus Carmin. pag. 74.

Nunc vero indignas etiam jactare querelas
Montibus, & ſurdis dicere verba Notis.
Quales aequoreae deſerto in litore queſtus
Alcyones fundunt, aut moriturus olor.

Baſilius Zanchius Lib. VIII. Poëm. p. 197.

Materno divina parens quum tacta dolore
Et lacrimis evicta novis luctuque recenti
Et

Hic ego, qua pelago Phaëtontius influit amnis,
Carmina morte tua pauca, Stibare, canam.
Qualia ſub denſis, hoc ipſo in litore, ramis
Heliades fratri concinuere ſuo.
Ergo age, ſeu liquidum colis aethera, ſive quietas
Heroum ſedes, Elyſiumque nemus:
Solis ad occaſum dum flemus Solis ab ortu,
Huc ades, o vati nobilis umbra tuo.

Non

Et nati deſiderio perfixa jacentis
Ac veluti Alcyone deſerta in litoris alga
Dum queritur, geminatque modis lacrimabile carmen,
Sic ait &c.

Joh. Jovianus Pontanus Lib. I. Amor. p. 11.
Et vos o ſilvae, quae nunc ſine fronde rigetis,
Gaudete arentes depoſuiſſe comas.
Arerent colles, ſqualerent gramina, noſtra
Si mala ſentiret, mella relinquat apis.
Nidum avis in ſilvis, memor & tibi ſemper amati
Conjugis erueres Alcyonea mari.

ita habetur in Aldina editione operum Poëticorum Pontani. ſed in codice MS. quo liber primus Amorum Pontani, ut & alia nonnulla continebantur, quem aliquando utendum habui ab Ampliſſimo Joh. Wittio, viro inter Senatores ac Judices Amſtelaedamenſes peritia literarum, atque eruditorum amore quondam celebratiſſimi, legebatur hunc in modum:
— memor & cevtis amati
Deſtrueres rapido Halcyonea mari.
unde patet Pontanum ipſum ſcripſiſſe,
— memor & Ceycis amati.
expreſſit enim Ovidii locum Epiſt. XVIII. 81.
Alcyones ſolae, memores Ceycis amati,
Neſcio quid viſae ſunt mihi dulce queri.
Seneca in Agamemnone ℣. 680.
— licet Alcyones
Ceyca ſuum fluctu leviter
Plangente ſonent, cum tranquillo
Male confiſae credunt iterum
Pelago audaces.
ubi vide Delrium. ceterum *Alcyones* rectius ſine adſpiratione ſcribi, quam *Halcyones*, docet Voſſ. lib. I. de Analog. 24. & prolixius Joh. Jovian Pontanus lib. I. de Adſpiratione pag. m. 24.

6. *Carmina morte tua pauca, Stibare, canam. Qualia ſub denſis, hoc ipſo in litore, ramis* &c.] bene imitatur Catullum Ep. LXVI. in obitum Fratris:
Semper moeſta tua carmina morte canam;
Qualia ſub denſis ramorum concinit umbris
Daulias, abſumti fata gemens Ityli.
vide infra ad Lib. IV. El. 2. 62.

11. *Solis ad occaſum dum flemus Solis ab ortu*] Reſpexit Ovidii locum elegantiſſimum lib. V. Met. 440. & ſeqq.
Illam non rutilis veniens Aurora capillis
Ceſſantem vidit, non Heſperus &c.
Rurſus ut alma dies hebetarat ſidera, natam
Solis ad occaſum, Solis quaerebat ab ortu.
ſic recte ex codicibus melioris notae nunc ediderunt viri docti. quod Lotichio noſtro etiam placuiſſe ex hac ejus imitatione patet. olim edebatur *Solis ab occaſu ſ. q. ad ortum.* in noſtro antiquo codice, *Solis ad occaſus ſ. q. ab ortu.* Sed *ad occaſum* ex libro Francofurtenſi & aliis recte praetulit Patruus meus quod firmat etiam unus ex Palatinis codicibus Jano Gebhardo col-

Non ego majorum laudes ac facta tuorum
Persequar, aut culti jugera parta soli.
Nec loquar exhaustos ineunte aetate labores,
Dum sors indignum versat acerba caput.
Illa mihi Divae melius Libetridis olim
Inclita per terras, & freta lata ferent.
Nunc dolor includit vocem, nec amabile quidquam
Suggerit ingenio Musa vocata meo.

collatis. ita in fragmento Helvii Cinnae in Smyrna, quod profert Servius ad Virg. I. Georg. 288.

Te matutinus flentem conspexit Eous,
Et flentem paullo vidit post Hesperus idem.

quos Cinnae versus eleganter imitatus est e recentioribus Basilius Zanchius Lib. VI. Poëm. p. 158. ed. Seraff.

Me matutino flentem conspexit Eoo,
Et flentem sero vespere vidit amor.

noster Eclog. V. ℣. 140.

Quod possum, gemitu & lacrimis nemora omnia circum
Inpleo, care puer, seu fuscas Hesperus umbras
Inducit terris, coelo seu praevius alto
Lucifer auroram natalibus evocat undis.

Joh. Baptista Amaltheus p. 74. Poëmatum.

Vos testes nemorum saltus, vos flumina, quaeque
Audistis gemitus sidera saepe meos,
Cum me Sol roseo lacrimantem vidit ab ortu,
Vidit & Hesperio proximus Oceano.

similia vide apud Anton. Codrum Urceum Serm. I. fol. 21. b. inter ejus opera Parif. 1515. edita.

14. *Persequar, aut culti jugera parta soli*] Post hunc versum addit editio Voegeliana:

Flavus ubi sulcat molles Regnessus arenas,
Humectans atavis rura habitata tuis.

quae cur in sequentibus editionibus omissa sint, conminisci equidem non possum. Sunt enim plane ad genium Lotichianum, cum passim & ubique ad locorum situm adcuratius indicandum fluvios istius tractus describat. His enim indicat Bambergensem origine fuisse Stibarum; quod & innuit Camerarius in Epicedio hujus ipsius D. Stibari:

Quem montana tribus produxit Francidos orae,
Fertile Regnesi qua rigat unda solum.

Bamberga enim prope confluentes Moeni & Regnesi fluminis. vide Brunonem Seidelium in Itiner. Norimberg. p. 508. & Camer. in Hodoepor. Turing. p 552. in Itinerariis Reusneri. praeterea *humectare* hac in re verbum elegans & poëticum est, & quo noster alibi etiam utitur. ut Lib. I. El. 4. 28.

— vitreis quae perfluit Alera campis
Rura, vel humectat quae meus Aura, colam.

& Lib. II. El. XI. ℣. 9.

Frigida nec patulos humectant flumina campos.

Virgil. IV. Georg 126.

Qua niger humectat flaventia culta Galaesus.

Ovid. IX. Met. 655. *humectat lacrimarum gramina rivo.* hinc *humecta terra* apud Macrob. I. in Somn. Scip. cap. 6. *Terra est sicca & frigida, aqua vero frigida & humecta est.* plura de hoc verbo vide apud N. Heins. & Drakenb. in notis ad Silium Ital. lib. V. ℣. 5.

Jamque rubescenti tollit jubar aequore Titan,
  Inque solum radios injicit orta dies.
Ergo ubi permensus coelum Sol occidit, idem
  Purpureo vestit lumine rursus humum;
Nos, ubi decidimus defuncti munere vitae,
  Urguet perpetua lumina nocte sopor.

Heu

22. *Inque solum radios injicit orta dies*] *salum* ed. Voeg. respexit hoc versu sine dubio Propertii locum, licet alia de re agentem, Lib. IV. El. 6. ℣. 86.

Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
  Injiciat radios in mea vina dies.

23. *Ergo ubi permensus coelum Sol occidit, idem*
  Purpureo vestit lumine rursus humum;
Nos, ubi decidimus defuncti munere vitae,
  Urguet perpetua lumina nocte sopor.]

Colorem poëticum loci hujus desumsit auctor ex notis Catulli versibus Carm. V.

Soles occidere & redire possunt,
Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

quam Catulli sententiam instituto quasi ingenii certamine plurimi e recentioribus luculenter aemulati sunt. Inter praecipuos Balthasar Castilioneus, natalium splendore & gemina Palladis lauru illustris, in Alcone, seu Carm. I. ℣. 57. & seqq. loco eximio:

Adspice decedens jam Sol declivis Olympo
Occidit, & moriens accendit sidera coelo;
Sed tamen occiduo cum laverit aequore currus,
Idem iterum terras orienti luce revisit.
Ast ubi nigra semel durae nos flumina mortis
Lavere, & clausa est inmitis janua regni;
Nulla unquam ad superos ducit via, lumina somnus
Urguet perpetuus, tenebrisque involvit amaris.

Marc. Antonius Flaminius, optimo carmine in obitum Hyellae, Lib. IV. Carm. XVII. pag. 103. ed. Patav.

Cum silvam glacialis biems spoliavit honore,
Vere novo silvae laeta juventa redit.
Occidit Oceani cum Sol demersus in undas,
  Nascitur abducto pulchrior ille die.
At nobis nec laeta suo cum vere juventa,
  Nec mersa inmiti funere vita redit.
Ultima cum Parcae legerunt fila severae,
  Urguet perpetuus lumina clausa sopor.

eadem conparatione a Luna desumta utuntur alii. Janus Pannonius Eleg. IV.

Ac pariter te Lux, illam sua vita reliquit:
  Heu quam deterior sors sua sorte tua est.
Tu quippe ecce nites reparato splendida cornu,
  Illius aeterna lumina nocte rigent.

Janus Secundus Lib. II. Epist. IV. pag. 166.

Cum semel occepit arcu pallescere dextro,
Laeva senescenti debentur cornua Lunae:
At nobis miseris incerta stat orbita vitae,
Et quoties juvenile decus properata senectus
Occupat, & medio flores languescere vere
Cogit odoratos &c.

ubi vides eleganti variatione etiam addi florum caducorum conparationem. noster infra Lib. IV. El. 5. ℣. 103.

Nos, rerum baeredes quos vult Deus esse suarum,
  Tam fragili vitae conditione sumus.
Damna novis reparant agrestes floribus berbae,
  Aspera cum pulso frigore cessit biems.
Tunc iterum violae, tunc germina mille colorum,
  Quae prius inmitis laeserat aura, virent.
At nobis dubii cum flos brevis occidit aevi,
  Ad superos duro clausa adamante via est.

adde pulcherrimum Sannazarii locum in Arcadia Eclog. XI. ℣. 65 & seqq. & Janum Secundum Lib. I. Sylvar. pag. 222. his simi-

Heu ſpes fallaces! ſic me tot fluctibus actum
  Deſeris in tantis, magne Stibare, malis?
Te duce, per montis juga celſa biverticis ibam,
  Otia praeſidio juſſus amare tuo.
Et memini, quamvis crudeli plurima bello
  In propriis eſſes paſſus acerba bonis,
Invalidumque latus traheres maerore pereſus,
  Hauſiſſetque tuas inſuper ignis opes;
Me tamen haec inter ſecura mente jubebas
  Phoebumque & Muſas eloquiumque ſequi.

ſimilia notavit Menagius in Obſerv. ad Malherbae Poëmata pag. 345. ubi verſuum Catullianorum aliquot parodias Gallorum poëtarum, ſuamque Italicam profert.

29. *Te duce, per montis juga celſa biverticis ibam* & ſeqq.] Illuſtrabunt hunc locum verba Melchioris Adami in Vitis Germ. Jurisc. & Polit. ubi de Stibaro agens & hos Lotichii verſus proferens haec ſcribit pag. 49. *Lotichium ut alter Maecenas in primis liberaliter fovit. Nam hunc propinquis ſuis, in quorum ſpem ſumtus non parvos impendit, praefecit praeceptorem & magiſtrum, & in Galliam ablegavit. Ubi quadriennio fere exacto, in patriam reverſum, atque Italiam viſere geſtientem, liberali viatico, variis licet acceptis damnis, inſtruxit: quod Lotichius in Elegii funebri, patrono bene merito ſcripta, teſtatur.* vide Hagium in vita Lotichii pag. 94. & 115. Neſcio an imitatus hic fuerit noſter Herc. Strozzam lib. 1. Eleg. p. 52.

Teque duce, errantem per ſumma biverticis umbrae
Abluit, abluerat quae prius unda patrem.

ſimilis locus eſt Lib. IV. El. 2. ℣. 41. de Micyllo: & Eleg. 4. ℣. 99. de Melanchthone.

36. *Phoebumque & Muſas eloquiumque ſequi*] Concinniorem forte pentametri hujus numerum putarent, quibus aures ad vulgarem ſonum conpoſitae ſunt, ſi ſcripſiſſet auctor,

Et Phoebum, & Muſas eloquiumque ſequi.

ſed ſuo judicio uſus eſt Lotichius, adſuetus ſuavitati numerorum Tibullianorum, cujus pentametri ſaepe ſingularem in modum artificioſi ſunt. Ita enim ille Lib. III. El. 4. ℣. 44.

Salve cura Deûm: caſto nam rite poëtae
Phoebusque & Bacchus Pieridesque favent.

ſimilem numerum obſervare licet apud Ovid. IV. Faſt. 288. ut recte ex codicibus ediderunt viri docti:

Hinc mare Trinacrium, candens ubi tingere ferrum
Brontesque, & Steropes, Acmonidesque ſolent.

non *Brontes, & Steropes.* ſic eodem Libro v. 534.

Longamque inprudens exſoluiſſe famem.

ubi male in aliis codd. *Et longam.* & ſic apud Propertium Lib. IV. El 4. ℣. 20.

Interque oblitas excidit urna manus.

talia enim poëticae artis cultoribus notanda, ne alii male faſtidioſi ejusmodi verſus ut duros & hiulcos traducant; & ſimilia ad ſtructuram elegiaci carminis, & praeſertim Tibullianum ac Propertianum in pentametri numeris artificium probe intelligendum, optime obſervavit Valens Acidalius Diſſertatione de vera carminis elegiaci natura & conſtitutione, poſt ejus Epiſtolas edita.

Nunc tecum mea vota leves abiere per auras,
  Nunc mea spes omnis funere fracta tuo est.
Deliciisque animi tota de mente fugatis,
  Cogor in extrema vivere tristitia.
Qualiter, hibernae dum sentit frigora brumae,
  Albus ad Eridani flumina macret olor.
Defluit ex oculis uberrimus humor, ut olim
  Liquitur Alpinis nix resoluta jugis.
Sic madet uda salix, aut vitis, vere tepenti,
  Lucida cum scisso palmite manat aqua.
Nec lacrimis cessant tabescere lumina, quamvis
  Arida sol medio torreat arva die.
Pergite jam Musae, tenues cum contrahit umbras
  Phoebus, & ex aequo lustrat utrumque fretum.

Nunc

39. *Deliciisque animi tota de mente fugatis* &c.] Optime imitatus est Catullum Carm. LXIX. ad Mallium ỳ. 21. de obitu Fratris:

Tu mea tu moriens fregisti commoda frater,
  Tecum una tota est nostra sepulta domus.
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
  Quae tuus in vita dulcis alebat amor.
Cujus ego interitu tota de mente fugavi
  Haec studia, atque omnes delicias animi.

noster denuo Elegia ad Car. Clusium, quae exstat in Juvenilibus pag. 301. edd. Lipss.

Sic me destituis, mihi qui me carior ipso es,
  Et tecum hinc aufers omnia nostra bona? &c.
Delicias omnes tristi de mente fugavi,
  Et dominum in campos jam sequor Elysios.

43. — *ut olim*
  Liquitur Alpinis nix resoluta jugis] Conparationem hanc Poëtis vetustis & recentioribus familiarem larga manu illustravit Broukhusius ad Tibull. lib. I. El. IX. ỳ. 54. pag. 176. locisque ab eo prolatis adde Ovid. III. Trist. 2. 20.

Nil nisi flere lubet. nec nostro parcior imber
  Lumine, de verna quam nive manat aqua.

Lib. I. ex P. Ep. I. ỳ. 68.

De nive manantis more liquescit aquae.

Lib. II. ex P. Ep. 3. ỳ. 89.

Exemploque nivis, quam solvit aquaticus Auster,
  Gutta per adtonitas ibat oborta genas.

ubi vide Patrui mei notas. Albinovanus Eleg. in mortem Drusi ỳ. 102.

Liquitur, ut quondam Zephyris & solibus ictae
  Solvuntur tenerae, vere tepente, nives.

quem locum ita expressit Broukhusius Lib. II. El. 2.

Non ita praecipitantur aquae, cum montibus altis
  Liquuntur tenerae, sole tepente, nives.

Nunc paullo majora canam, dum saeva quiescunt
  Aequora, nec querulis obstrepit aura modis.
Vidimus excisas imis a sedibus urbes:
  Lata cadaveribus vidimus arva tegi.
Testis Moenus erit, testes Pegnesides undae,
  Testis & ulvosae rector Aïssus aquae.
Quos ibi per casus, per quae discrimina rerum,
  Ausus es ad magnos ire, Stibare, duces!
Dum caput objiceres cunctis sublime periclis,
  Foedera si posses firma referre domum.
Quod nisi dissidiis mens regum laeva fuisset,
  Munere pax esset conciliata tuo.
Altaque nunc starent intactis oppida muris,
  Floreretque opibus terra beata suis.
At tibi post obitus quae merces digna laborum,
  Quae satis ampla tuae praemia laudis erunt?
Nil prosunt fletus, non si lapsurus in aequor
  Eridanus lacrimis cresceret ipse meis.

49. *Pergite jam Musae* &c.] In ed. Voeg.
Sed nos dum flemus, tenues jam contrahit umbras &c.
sed eleganter mutavit ista, adhortatione ad Musas oportuna, dum ad majora canenda se aptat, ex imitatione Virgiliana Ecl. VI. ✝. 13.
Pergite Pierides: Chromis & Mnasylos in antro
Silenum pueri &c. ubi vide Serv.

55. *Testis Moenus erit* &c.] Non legitur hoc distichon in ed. Voeg.

55. *testes Pegnesides undae*] *Pegnesus* alio nomine *Radiantia* dictus, vulgo *Pegnitz*, Franconiae fluvius est Moeno se miscens, quem peculari carmine celebravit Eobanus Hessus in Noriberg. Illustr. pag. 652. Oper. Poëticor.

57. *Quos ibi*] Virg. I. Aeneid.
Per varios casus, per tot discrimina rerum.
HOOGST.

65. *At tibi*] *Nunc tibi* ed. Voeg.

Ipſa etiam natum Clymene Jovis ignibus ictum
 Hic olim celſis flevit in aggeribus.
Flevit Lampetie, flevit Phaëthuſa jacentem,
 Cortice cum vidit mater utramque tegi.
* * * * * * * * * * * *
 * * * * * * * * *
Nec ſuperas rediit Phaëton revocatus in auras,
 Et tamen aetherea ſtirpe creatus erat.

Sparge

69. *ictum*] ita reſcripſi ex ed. Voegel. male *actum* in vulgatis.

72. *Cortice cum vidit mater utramque tegi*] notum illud Virgilii Ecl. VI. 62.

Tum Phaetontiadas muſco circumdat amarae
Corticis, atque ſolo proceras erigit alnos.

ſic de Cypariſſo Sannazarius Lib. I. Epigr 49.

Flebat adhuc moerens cervo Cypariſſus ademto,
Cum ſua conſpexit cortice membra tegi.

quos verſus forte reſpexit noſter.

75. *Nec ſuperas rediit* &c.]

Nec tamen eſt ſuperas Phaëton revocatus ad auras,
Coeleſti quamvis ſtirpe creatus erat.

ita ed. Voegel. quae ſatis cum prioribus cohaerent. licet in vulgatis edd. unum alterumque verſum deſiderari indicent aſteriſci, cum nullus hiatus ſit in ed. Voegeliana. inanem Phaëtontiadum fletum ita deſcribit Ovid. II. Met. 340.

Nec minus Heliades fletus, & inania morti
Munera dant, lacrimas: & caeſae pectora palmis
Non auditurum miſeras Phaëtonta querelas
Nocte dieque vocant &c.

Sidonius Apollinaris lib. I. Epiſt. 5. *in Eridanum brevi delatus Phaëthontiadas, & commentitias arborei metalli lacrimas, cantatas ſaepe comiſſaliter nobis, riſi.* ita enim locus ille conſtituendus ex editione antiquiſſima, nam in vulgatis verba male tranſpoſita ſunt. Corruptus in hac re eſt Germanicus in Arateis Phaenomenis ỿ. 371. ubi de Eridano:

Amnem, qui Phaëtonta ſuas deflevit ad undas,
Poſtquam patris equos non aequo pondere rexit
Vulnere reddentem flammas Jovis, hunc nova ſilva
Planxere ignotis moeſtae Phaëtontides ulmis.

ita edidit Grotius. pro *ulmis* in Petaviano & veteri Scaligeri codice *ulnis* legitur. in vulgatis *undis.* & *Aſiae Phaëtontides.* tu corrige cum Nicolao Heinſio,

Planxere enatis verſae Phaëtontides alnis.

& apud Avienum in Phaenomen. ỿ. 793.

Illum prolixis durae Phaëtontides alnis
Planxerunt.

ubi *ulnis* etiam in vulgatis. neque aliter forſan legendum apud Avienum Deſcript. Orbis ỿ. 430.

Hic prius Eridani propter nemoroſa fluenta
Fleverunt liquidae lapſum Phaëtonta ſorores,
Mutataeque manus planxerunt pectora in alnis.

nunc vulgo circumfertur *planxerunt pectora ramis.* e recentioribus confer Cornelium Amaltheum Carm. 2. ſub finem. Joh. Jovian. Pontanum Lib. I. Eridan. pag. 109. & Hieronym. Vidam Lib. II. Bombycum, prope finem.

Sparge puer virides, Heroum inſignia, lauros,
  Et dic: Has cineri ſpargo, Stibare, tuo.
Ut gerit aeternos formoſae frondis honores
  Laurus, & umbroſas explicat alta comas:
Sic viret, & coelo te gloria laudibus aequat,
  Gloria, quae cineres excubat ante tuos.
Spiritus e tenebris tranſlatus in arva piorum
  Vivit, & aeternae munera lucis habet.
Illic ſe patitur contingi lumine claro
  Supremi ſoboles plena decore patris.
Vera patris ſoboles, noſtrae fons ille ſalutis,
  Cujus inexhauſtas gratia fundit aquas.
Ille beatam animam dulci ſolatur amore,
  O, qui noſtra ſuo crimina rore lavat.
Surgamus, lux prona fugit, deferbuit aeſtus,
  Cogit & invitum luna redire domum.
Sit tranquilla tibi requies, ſpesque inſcia luctus;
  Jamque vale: manes ſubſequar ipſe tuos.

83. *Spiritus e tenebris tranſlatus in arva piorum*] Lotichium hoc loco uſum vocabuli *Spiritus* pro anima vel umbra, more veterum adhibuiſſe notavit Broukhuſ. ad Propert. III. El. 16. 10. productis aliquot exemplis antiquorum, quibus ſe deſtitui fatebatur Paſſeratius.

89. *ſolatur*] *perfundit* ed. Voeg.

90. *O qui noſtra ſuo crimina rore lavat*] Bene hoc imitatus eſt Johannes Bocerus in egregia illa Lamentatione de morte Chriſti, quae legitur Lib. III. Sacror. Carmin:

Haec tibi reſtabant probroſae vulnera mortis:
  O qui noſtra tua vulnera morte levas!

niſi haec debeantur Hieronymo Vidae in Hymno IV. ad Jeſum Chriſtum:

Mutua nec ſatis eſt, vitamque rependere vitae,
  O qui noſtra tuo funere damna levas.
Nos Patris aeterni noſtra irritavimus iras
  Fraude: cruore tuo tu probra noſtra lavas.

E l e-

ELEGIA VIII.

AD

ORTOLPHUM MAROLTUM.

De secessu suo & oblectationibus ruris.

Ignea dum rapidis ardet fervoribus aestas,
Solaresque premunt terga Leonis equi:
Ecquid in Hadriacis, Ortolphe, paludibus, ecquid
Lentus adhuc Veneta ducis in urbe moram?
Me secreta tenet frondoso villa recessu,
Villa racemiferis undique cincta jugis.
Compater, & Marius comites, aestiva supellex,
Rura dapes, umbram dat nemus, amnis aquas.
Finitimis illum pater Apenninus ab antris
Ire jubet, culti laeta per arva soli.
Nomen aquae Panarus (sic praesens nuncupat aetas)
Scultennam veteres, qui meminere, vocant.

Illius

11. *Sic praesens nuncupat aetas* &c.] Hunc quoque locum nimia certe imitatione sic expressit Dav. Sigemundus Cassovius in Itin. Germ. & Sarmat. ✝. 15.

Hermus aquae nomen, praesens ita nuncupat aetas,
Arnonem veteres, qui meminere, vocant.

12. *Scultennam veteres, qui meminere, vocant*] Ita Plinius lib. III. cap. 17. *Celeberrima ex iis flumina Apennini latere jactum Tanarum, Trebiam, Placentinum, Tarum, Niciam, Gabellum, Scultennam, Rhenum* &c. Livius Lib. XLI. cap. 12. *Ad Scultennam flumen in campos progressi castra habebant hostes.* & recte in Strabonis loco lib. V. p. 218. ed. Paris. faciunt illi qui corrigunt: καὶ τὸν Σκυλτάναν ποταμὸν φέρουσι πασῶν πολὺ καλλίστην. ubi in vulgatis Σκυτάναν. eumdemque *Scutanam* Casaubonus censet, qui *Scutelnas* Plinio dictus; cujus emendata tamen exemplaria *Scultennam* vocant. vide Merulae Cosmogr. Part. II. Lib. IV. pag. 119. noster supra Eleg. 5. ✝. 61.

Tu quoque, seu Panarus gaudes de more vocari,
Amnis ab aëriis orte cacuminibus:
Nobile seu flumen Scultenna libentius audis,
Seu quodcumque juvat nomen habere, vale.

Illius in ripa, ſub opaca valle, calores
  Mobilis adflatu temperat aura ſuo.
Mane novo denſos indagine claudere montes,
  Exortoque juvat ſole redire domum.
Umbra diem reliquum ſtudio traducit inerti,
  Et ſopor in viridi, ruris amicus, humo.
Vina puer gelidis Trebiana refrigerat undis:
  Felſineus nobis illa miniſtrat ager.
Interea veteres cantu ſolatur amores
  Candidus arguto cum Corydone Mycon.
Percuſſaeque nova reſonant dulcedine ſilvae,
  Et dociles circum nos imitantur aves.
Forſan & Euganeis tu nunc in collibus erras,
  Qua propriam Zephyrus gaudet habere domum.

17. *Umbra diem reliquum* & ſeqq.] Totum hunc locum nimis inverecunde adoptavit Joh. Petr. Lotichius Lib. I. El. 2. p. 6.

Umbra ſimul reliquum Baccho traducit inerti,
Luſibus, & cyathis, colloquiiſque diem.
Vina puer liquidis pretioſa refrigerat undis,
Rhenanus nobis qualia mittit ager.

verſus enim ſecundus, ne quis eum de ſuo adjeciſſe credat, legitur etiam apud noſtrum Lib. II. El. 5. 20.

Sed prius hunc cuncto totum ducemus in horto,
Luſibus & cyathis carminibusque diem.

ut illic notavimus.

19 *Vina puer gelidis Trebiana refrigerat undis*] ſic noſter Lib. V. El. 12. 21.

Tum vitreus, gelidis qui vina refrigerat undis,
Labitur argutae rivulus uber aquae.

& Lib. I. Carm. ult. ✝. 11.

Dulci vina refrigerabis unda.

alia in re Ovidius Lib. III. Met. 903.

— incluſa ſua membra refrigerat unda.

21. *Interea veteres cantu ſolatur amores*] Ante oculos habuit illa Virgilii Lib. I. Georg. ✝ 293.

Interea longum cantu ſolata laborem
Arguto, conjux percurrit pectine telas.

cum quo, aliiſque ſimilibus veterum poëtarum locis hunc Lotichii confert Broukhuſius ad Propert. IV. El. 7. ✝. 69. ad ſtabiliendam veram illic lectionem:

Sic mortis lacrimis vitae ſolamur amores.

pro quo in vulgatis *ſanamus*.

22. *Candidus arguto cum Corydone Mycon*] ad hunc Lotichii verſum reſpexit, ni fallor, Broukhuſius Elegia egregia in Poëmata Monenii Lib. I. Poëmat.

Quique prius ſacris mulcebant cantibus auras,
Obticuit flavo cum Corydone Mycon.

Floribus, & foliis, variisque coloribus herbas
Illic, & fruticum colligis omne genus.
Ingenitasque illis vires ostendis & usum,
Quid thyma, quid cistus, quid melilotus agant.
Quid rosa, purpureum quae plena pudoris honorem
Pandit, & ad liquidas natus acanthus aquas.
Vosque chelidoniae, tuque o, quae Solis amati
Observas nitidos pallida semper equos.
Inde per angustos vitreo de vase canales
Suppositus liquidas elicit ignis aquas.
Dumque potestates aperis, viresque latentes,
Carmina ceu puris fontibus hausta fluunt.
Qualia Flaminius primo cantavit in aevo,
Ad salices residens, Mesule curve, tuas.

Qua-

29. *Ingenitasque illis vires ostendis & usum* & seqq] Et haec quoque Patruo suo ibidem sublegit Joh. Petr. Lotichius:
Illic herbarum vires ostendis, & usus,
Quid beta, & sonchus, quid melilothus agant.
Quid flos, purpureum vulgo qui signat amorem,
Quid simul ad liquidas natus acanthus aquas.
sed tota fere ista Elegia est pannus ex carminibus Patrui sui consutus.

30. *Quid thyma, quid cistus, quid melilotus agant*] An Ovidium respexit Lib. IV. Fast. 44?
Pars thyma, pars casiam, pars meliloton amant.
noster in carmine de Ruta ℣. 3.
Nec mihi maluerim thyma, nec meliloton, & illas,
Sanguine quas tinxit Cypria diva, rosas.
dicitur autem *meliiotus* & *meliloton*. vide Rhodium ad Scribon. Larg. pag. 325.

32. *& ad liquidas natus acanthus aquas*] Mallem hic *gelidas* vel sim. scripsisset Lotichius, non quod prius ut otiosum epitheton damnem, de quo vide supra ad Lib. I. El. 8. ℣. 27. sed quia mox denuo sequitur *liquidas elicit ignis aquas*, quae nimis sibi vicina sunt.

33. *quae Solis amati Observas nitidos* &c.] Descriptio est heliotropii, de quo vide infra Lib. I. Carm. 6.

39. *Qualia Flaminius*] M. Antonius Flaminius, & Fr. Marius Molsa excellentissimi poëtae Itali, quorum carmina qui volet perlegere, is certe minime operam inanem sumet. Hoogst.

Qualia Molsa tener, pharetrati miles Amoris,
Cui moriens dulci gutture cedat olor.

39. *Qualia Flaminius primo cantavit in aevo, Ad salices residens, Mesule curve, tuas.*] Lotichium hoc loco respicere puto ad illa Flaminii Lib. v. carm. 13. ad Aloys. Priulum:

Dum Canicula fervidis fatigat
Vos caloribus, ipse valle opaca
Sedens propter aquam nitentem amoeni
Mesuli, placido fruor tepore
Veris. &c.

an igitur propter mentionem fluvii Mesuli Flaminium Foro Juliensem statuit Lotichius, quemadmodum Basilius Zanchius Mesuli similiter meminit, cum fratres Amaltheos celebrat Lib. vii. Poëm. pag. 180.

Egregii fratres, quis Julia terra superbit,
Mesulus irriguis quam lavit uber aquis.

quod de Foro Julii esse intelligendum patet ex elogio, quo Amaltheos exornat Erythraeus, ubi de Hier. Alcandro, ejusdem patriae consorte, agit in Pinacoth. I pag. 45. est autem Mesulus proprie fluvius Serravallis, quod Marchiae Tarvisinae oppidum est in Foro Juliensi provincia. certe Flaminius ipse, ubi patriam suam & natale solum memorat, Mesuli passim mentionem facit. Lib. II. carm. VII. sub finem, ubi de Pausilypo:

Cui non sit dulci patria tua dulcior ora?
Quis non te lucis praeferat Elysiis?
Jam mihi Benaci laetissima litora sordent,
Jam formosus aquis Mesulus irriguis.

& praecipue in phaleucio ad Francisc. Robortellum Lib. VI. carm. 29.

At Canicula cum furit, relicta
Urbe, quam mare cingit, ad liquentem
Mesulum properabis, ut tepore
Veris perpetuo fruare. Sicus
Elegans juvenis, domo venusta
Te laetum excipiet libens. sed aedes
Tui Flaminii simul videbis:
Flens dices, mihi carior medullis
Meis, candide Marce, quid morari
Gaudes tam procul a domo paterna?
Non te nutriit hic tenella mater?
Non hanc ludere per viam solebas
Puer cum pueris? quid ergo dura
Caute durior hinc abes tot annos?

quibus versibus indicat Robortellum urbe relicta in agrum secessurum ad Mesulum, ubi Sicus ille juvenis, qui Serravellensis fuit, eum domo excipiet, simulque illic videbit antiquam Flaminii domum paternam, ubi infans educatus erat, increpabitque Flaminium, quod tam diu ad lares patrios redire differat & ab avita domo abesse possit. Mesuli quoque de Flaminio agens meminit Bernardinus Parthenius Lib. II. Carminum:

Salve, Mesule, ter, pater,
Sertis caesariem nexe virentibus,
Incurvaque canens lyra
Hic mecum e thalamis instrepe vitreis &c.
Dum valles, quibus emori
Optavit, repetit Flaminius sacras.

in hoc igitur oppido Serravalle, in quod pater ejus Johannes Antonius Flaminius Foro Corneliensis confugerat belli tempestate, natus est, primamque aetatem transegit M. Anton. Flaminius quod innuit hic Lotichius, cum dicit *Qualia Flaminius primo cantavit in aevo.* Ergo a solo natali revera Serravallensis est Flaminius, sed a paternae originis loco ab aliis passim Foro Corneliensis vocatur. unde hujus patriae suae Foro Cornelii clades, quas bellorum injuriis passa est, deflet in Lib. v. Carm. 17. id pluribus bene probavit Franc. Maria Mancurtus in vita Flaminii, Patavienfi Carminum ejus editioni praefixa, p. 12 & 13. & similibus exemplis Petrarchae, qui a majorum origine Florentinus potius quam Arretinus, & Areosti, qui Ferrariensis non Regiensis vocantur, oportune illustrat.

41. *Qualia Molsa tener, pharetrati miles amoris, Cui moriens dulci gutture cedat olor.*] Meretur hoc elogium Molsae, quo poëtam

Odi ego, qui vaſtis torrens exaeſtuat undis.
  Qui fluit exiguo murmure rivus, amo:
Leniter & nullo ſtrepitu, quem laeta rigantem
  Gramina formoſo Naïdes ore bibunt.

Nec

inter Italos delicatiſſimum mactat Lotichius, poëmatibus ejus, elegantiam genii Tibulliani ubique referentibus, praefigi, ut & illud quod ſupra occurrit El. 4. ✝. 23.

Molſaque praecinctus myrto, quem ſede piorum
  Annus inexhauſto nectare paſcit amor.

unde patet quam praeclare de cultiſſimo hoc vate ſenſerit Lotichius. Forſan & hoc loco propter morientis oloris mentionem reſpexit laudatiſſimam illam Molſae cantionem cycneam, quae eſt ejus Eleg. VIII. ceteris minime inpar, ſi non praeferenda. paſſim vero & ubique poëmatum dulcedinem celebratiſſimo oloris moribundi cantui conparant poëtae, & videri hic poſſit noſter adhaeſiſſe Flaminio Lib. IV. Carm. XVII.

Tale mea carmen moduler tibi arundine, quale
  Deficiens dulci gutture cantat olor.

noſter ſupra El. IV. ✝. 68.

Carmina nil proſunt, non ſi mihi talia Phoebus
  Praeſcribat, moriens qualia cantat olor.

vide & Lib. II. El. 15. 19. & alibi. Auctor Phoenicis ✝. 53.

Quam nec aëdoniae voces, nec tibia poſſit
  Muſica Cyrrhaeis adſimulare modis.
Sed neque olor moriens imitari poſſe putatur.
  &c.

difficultatem vero illam de dulciſſimo moribundi oloris cantu, de quo omnia nota ſunt, ſed fabuloſo & a nemine hactenus audito, ita in notis ſuis ad Catullum ſolvit Iſacus Voſſius, veteres nempe non intellexiſſe noſtros cycnos fluviorum, ſed marinos olores longe ab his diverſos, quorum cantum ex nonnullorum teſtimonio aliquando auditum adfirmat. vide quae ex relatu ejusdem Voſſii notat Menagius ad Malherbae Poëmata Lib. II. pag 89.

43. *Odi ego qui vaſtis* &c.] Similia in carmine ad Herm. Schopperum in Juvenil. pag. 312. ed. Lipſ.

Odi ego difficiles ſalebras, inamabile carmen:
  Aonio tinctum nectare carmen amo.
Turbidus ingrato decurrit murmure torrens,
  Gratior eſt parvae rivus amoenus aquae.
Ille trahit puro latices e fonte perennes,
  Blanda quibus pulcbrae Naïdes ora rigant.

quibus locis indolem genii ſui, ſalebroſum & obſcurum carmen averſantis, ſed puros, elegantes nativos, & facili vena fluentes verſus amantis indicat, ut omnia ſimplicia, naturalia, genuina, & mediocria Lotichio placebant, ſed magis adhuc ipſe id expreſſit ſuis carminibus ac moribus, dum vixit. vide plura apud Hagium in vita Lotichii p. 134. unde patebit Lotichium forſan ✝. 45. illis verbis *Leniter & nullo ſtrepitu* &c. reſpicere ad dictum illud, quo ſemper uti ſolebat ſymboli loco, SIMPLICITER, SINE STREPITU. quod & teſtatur Melch. Adamus in altera Deſcriptione vitae Lotichianae, in fine.

46. *Naïdes ore bibunt*] In vulgatis Lipſienſibus editionibus tam hic quam alibi *Naiades* legitur errore obvio, & in multis poëtarum veterum ac recentiorum editionibus non emendato, qui licet ſaepius jam a viris doctis caſtigatus ſit, tamen pertinaciam vulgarium verſificatorum & editorum nondum hodie expugnare potuit, ut admoniti corrigerent. *Naïdes* triſyllab. ſcribendum a *Naïs*. *Naïades* a *Naïas* quadriſyllabum eſt. ut in illo Virgilii Ecl. VI. ✝. 21.

Aegle Naïadum pulcherrima.

quod, ut alia mittam, vel ex diverſitate lectionis in illo Ovidii loco adparet Epiſt. XV. 162. ubi in nonnullis legebatur:

Ante oculos viſa eſt Naïs adeſſe meos.

nunc

Nec rapido ficcat canis Erigoneïus aeftu,
Saeva nec effufis imbribus auget hiems
Vive memor noftri, feu te finus urbis aquofae,
Sive Aponi Nymphae, Medoacive tenent.
Orat idem Marius, jamque auctus prole virili
Compater, in noftris Faunus uterque jugis.
Cetera praefentes, ubi cum pluvialibus Hoedis
Adferet autumnum Pleïas orta. vale.

nunc vero reftituta eft emendatior lectio, quae Naugerio debetur,

Conftitit ante oculos Naïas una meos.

vide & Heinf. ad Claudian. II. de R. Prof. ℣. 55. & ad Virg. Ecl. x. 10. & fic in duobus Aufonii locis recte correxit Carrio ad Valer. Flac. Lib. III. 519. Poëtae autem utrumque dixerunt *Naïas* & *Naïs* pro ratione metri. Ovid. I. Met. 691.

Naïas una fuit, nymphae Syrynga vocabant.

Naïs bifyllab. apud eumdem IV. Faft. 231.

Naïda vulneribus fuccidit in arbore factis,
Illa perit, fatum Naïdos arbor habet.

vide Pier. ad Virg. Ecl. x. ℣. 10. & Drakenb. ad Silium Lib. v. ℣. 21.

50. *Sive Aponi Nymphae*] De Aponi fonte medicato vide quae fupra notavimus ad El. IV. 45. ubi Georgii Sabini verfus, quibus Aponum defcribit, cum Claudiani Epigrammate conferendos indicavimus. poftea vidi Barthium in notis ad Claudian. pag 1020. eosdem Sabini verfus non fine laude merita proferre, fed quem ita tamen praedicat, ut fimul Lotichium longe Sabino praeferendum innuat his verbis, quibus poëtam noftrum infigni certe elogio pofteritati commendavit: *Tenues*, inquit, *ifti & faciles poëtae, fi lectione fcriptorum fubacti fuiffent, ut cultus naturae acceffiffet, multo maxima praeftitiffent; id videre eft in Petro Lotichio, quo cultiores elegos recentiorum nemo fcripfit.*

50. *Medoacive*] *Moacive* vitiofe in Lipfienff. edd.

53. *Cetera praefentes*] Breviter hic effert, quod plene dixit Ovidius in fine Epift. XII. 267.

Hactenus: arcanum furtivae confcia mentis
Litera, jam laffo pollice, fiftat opus.
Cetera per focias Clymenen Aethramque loquamur.

& alia in re Lib. III. Am. 2. in fine.

Hoc fatis hic. alio cetera redde loco.

ultimo verfu forfan cogitabat illud Nafonis Lib. I. ex P. 8. 28.

— autumnos Pleïas orta facit.

pluviales Haedi cur dicantur, optime illuftrant notata Nic. Loënfi Lib. VIII. Mifc. Epiphyll. cap. 21.

ELEGIA IX.

AD JOANNEM SAMBUCUM PANNONIUM.

Cum graviſſimo morbo laboraret Bononiae.

Fata vocant, Sambuce, tuum maneſque ſodalem.
 Jam tenebris oculos nox tegit atra meos.
Te curare decet ſupremum mortis honorem,
 Inque peregrino ſolvere juſta ſolo.

Ne

Ad Johannem Sambucum, *cum graviſſimo morbo laboraret Bononiae*] Legitur in ed. Voegel. p 172 Scripſit hanc Elegiam Lotichius, cum Bononiae infelix illud toxicum inprudenter deguſtaſſet, alteri deſtinatum & propinatum a venefica, quavis Canidia ac Locuſta inprobiore. quo reſpicit ſupra El. 6. ✠. 38.

Non mihi ſaevus amor, non torridus efficit aër,
Hauſta nec incauta dira venena manu.

id prolixe narratum videbis apud Hagium in vita Lotichii pag. 114. hujus edit. ceteroque vitae Lotichianae ſcriptores. Sambuco autem ſupremos funeris ſui honores commendat, & in ſui memoriam pro aurea vel argentea haereditatis luculentae ſupellectile legat auctorum veterum volumina quaedam, manu ſua trita ac conſcripta, tum carmina & diſperſas ingenii ſui reliquias, quas tamen crudeli voluntate flammis tradi mandat Similis argumenti Elegia eſt Jac. Sannazarii Lib. I. El. 10. & Franciſci Marii Molſae Elegia VIII. in gravi morbo ad ſodales ſcripta: cum quibus locupletandi adparatus poëtici cauſſa conferendi ſunt, qui eodem in ſtadio ingenii ſui vires, licet morborum vi oppreſſi, dextre exſeruerunt, M. Ant. Flaminius Lib. II. carm. 5. Joh. Jovianus Pontanus Lib. II. Amor. pag. 28. b. Janus Pannonius Lib. I. Eleg X. Hercules Strozza Filius Lib. I. Amor. El 5. pag. 67. b. Joh. Ant. Taygetus in Poëtis Italis Toſcani Tom. II. pag. 277. b. & divina cycnea cantione Baudius, ſive jambo illo praeclaro, qui moribundi adloquium ad amicos continet, Lib. I. Jambic. pag. 47. diverſo quisque artificio, ſed pari venuſtate ac dulcedine, moribundis tantum Phoebeis oloribus propria, ſed anſeribus letaliter ſtridentibus non imitanda.

1. *Fata vocant, Sambuce, tuum maneſque ſodalem,*
 Jam tenebris oculos nox tegit atra meos] Bene haec imitatus eſt Johannes Hocerus Lib. II. Sacror. Carmin.

Fata vocant, moriar, conceſſos duximus annos,
 Jam mors ante meos occubat atra pedes.
Eſte ſalutati, quos linquere cogor, amici &c.

notum illud Ovidii initio Epiſtolae Didus,

Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis
 Ad vada Maeandri concinit albus olor.

noſter ſupra Lib. II. El. 4. ✠. 99.

Et nive candidior, veluti jam fata vocarent,
 Fundit olor dulces ad vada nota ſonos.

Lib. IV. El. 2. 129.

Fata vocant, moriorque libens, valeatis amici,
 Regia ſiderei me vocat alta poli.

Ne ſine deſertis cineres habitare tenebris,
  Oſſa nec inmundo clauſa jacere ſitu.
Ante fores templi, nudoque ſub aethere, tellus
  Accipiat gremio frigida membra ſuo.
Nec tibi ſit ſocii mors inmatura dolori,
  Nec venias madidis ad mea buſta genis.
Me ſatis eſt multos juvenem fleviſſe per annos,
  Dum queror aetatis tempora dura meae.
Quin potius feſſos oblecta carmine manes,
  Inſtaurans culta funera moeſta lyra.
Pro quibus officiis, haeres abeuntis amici,
  Accipe fortunae munera parva meae.

Non

3. *Te curare decet ſupremum mortis bonorem*] Pariter amicorum & ſodalium operam in exſequiis ſuis curandis, dum abeſſent conſanguinei, inplorat Janus Pannonius Lib. I. El. X. circa finem:

At vos defuncto tumulum conponite, amici,
Roſcida qua multo gramine vernat bumus.
Frondoſos inter ſaltus, & amoena virentis
Prata ſoli, & Dryadum concelebrata choris. &c.
Quin etiam tacita jaceam ne ignotus in urna,
Signari boc cineres carmine mando meos.
Hic ſitus eſt Janus, patrium qui primus ad Iſtrum
Duxit laurigeras ex Helicone Deas.

& Fr. Marius Molſa Eleg. VIII. ṽ. 9.

Vos mibi, quos olim colui, dum fata ſinebant,
Ultima jam cineri dona parate meo.
Vobiſcum labor bic fuerit, quando bis procul oris,
Ignara beu noſtri funeris, uxor abeſt. &c.
At, qui me extrema conpellat voce, ſodalem,
Et claudat tenera lumina noſtra manu;
Et fugientem animam ſuprema exceperit bora,
Hoc vos communi pro pietate rogo.

12. *Dum queror aetatis tempora dura meae*] Propertianam eſſe imitationem docebunt notae ad Lib. IV. El. 3. ṽ. 4.

15. *Pro quibus officiis*] Frequens poëtis locutio quaſi ex formula, quae Naſonis locum mihi revocat in mentem Lib. II. Am. 8. 21.

Pro quibus officiis pretium mibi dulce repende.

ubi Patruus meus eleganter emendabat:

Pro quibus, officii pretium mibi dulce, repende
Concubitus &c.

licet vulgatam defendere poſſit illud Epigrammatis antiqui in Luſibus Liberis:

Pro quibus officiis, ſi fas eſt, Sancte, paciſcor,
Adſiduus cuſtos ruris ut eſſe velis.

Catullus carm. LXV. ṽ. 150.

Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus
Pro multis, Manli, redditur officiis.

Non mihi ſunt Baccho colles, oleiſque virentes,
Praediave Aemiliis conſpicienda jugis.
Tu veterum dulces ſcriptorum ſume libellos,
Adtritos manibus quos juvet eſſe meis.

In-

19. *Tu veterum dulces ſcriptorum ſume libellos,*
Adtritos manibus quos juvet eſſe meis,
Invenies etiam viridi quae luſimus aevo. &c.]

Similia his prorſus ſunt, quae P. Francio poſt fata ſua commendat Janus Broukhuſius Lib. IV. El. I. pag. 69.

Ergo ego cum cinerem fuero converſus in atrum,
Quando erit (o Superi) quando erit ille dies.
Tu, precor, infauſtae ſolamen dulce juventae,
Reliquias noſtri collige naufragii.
Nempe tuae fidei tenues commendo libellos,
Quaeque mihi niveus verba praeivit amor.
Illic invenies primae conamina Muſae,
Forſan & invenies quod placuiſſe queat.

in quibus Sannazarii ſui verecunda adparet imitatio Lib. I. El. 10. ✠. 9.

Nunc cogor dulcesque lacus, & amoena vireta,
Pieridumque ſacros deſtituiſſe choros.
Nec pote, quae primis effudit Muſa ſub annis,
Emendaturo ſubdere judicio. &c.
At tu, quandoquidem Nemeſis jubet, optime Sangri,
Nec fas eſt homini vincere poſſe Deam;
Accipe concuſſae tabulas atque arma carinae,
Naufragiique mei collige reliquias.

quorum loca conferre juvabit cum Tibullo Lib. III. El. 2. ✠. 9. & ſeqq. & cum hac Elegia ejusdem Libri Elegiam quintam.

25. *Jamque vale, & tenera buſtum ſuperintege myrto* &c.] More poëtarum tenues tumuli honores ſibi poſcit, contentus, ſi ante templi fores & nudo ſub aethere, ut ſupra dixit ✠. 7. myrtus fronde ſua ſepulcrum obumbret. Similis modeſtiae votum illud, quo lauream recuſans coronam a Carolo Cluſio ſibi tranſmiſſam, vivus habuit ſatis myrto inſigniri Lib. II. El. XII. in fine:

Deſine velle meos lauro redimire capillos,
Deſine, temporibus convenit illa tuis.
Aſt ego quod teneros ſemper colo mitis amores,
Serta coronata myrtea fronte geram &c.
Summa petant alii. Myrtum veneramur amantes,
Si merear, crines ambiat illa meos.

myrti enim coronam frequenter ſibi optant poëtae v. Ciofan. ad Ovid. I. Amor. I. 29. hic vero buſtum myrto tegi deſiderat, qua amantium manes delectantur paſſim apud poëtas. vide notas Broukhuſii ad Tibull. I. 3. 66. & moris fuiſſe uſitatiſſimi apud veteres, Graecos praeſertim, myrtum buſtis inponere docet P. Victorius Lib XVI. Var. Lect. 2. Exempla autem antiquorum, qui ſupremi honoris ſimplicitatem tumulo ſuo optabant, feliciter imitantur recentiores. inſignis hac de re eſt Propertii locus Lib. II. El. 10. ✠. 17. & ſeqq.

Quandocumque igitur noſtros nox claudet ocellos,
Accipe quae ſerves funeris acta mei.
Nec mea tunc longa ſpatietur imagine pompa,
Nec tuba ſit fati vana querela mei.
Nec mihi tum fulcro ſternatur lectus eburno,
Nec ſit in Attalico mors mea nixa toro.
Deſit odoriferis ordo mihi lancibus: adſint
Plebeii parvae funeris exſequiae.

deinde inter alia laurum exiguo buſto addi jubet ✠. 31.

Deinde ubi ſuppoſitus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula teſta meos.
Et ſit in exiguo laurus ſuperaddita buſto,
Quae tegat extincti funeris umbra locum.

alia vide apud Broukhuſium ad ejusdem poëtae Lib. III. El. 14. 28 ubi Molſae,

Ma-

Invenies etiam viridi quae lusimus aevo,
Dum studiis aetas mollibus apta fuit.
Illa velim rapidis sic uras carmina flammis,
Ut vatem ipse suis ignibus ussit amor.
Jamque vale, & tenera bustum superintege myrto.
Non poterit cineres illa gravare meos.

Flaminii, & hunc ipsum Lotichii nostri locum adfert. Similia habes apud Sannazarium Lib. 1. El. 3. & in egregio carmine Jani Etrusci inter poëtas Italos Toscani Tom. 1. pag. 276. plane ad genium Propertianum:

Non mihi fornicibus Pariis, Grajaeve Carystus
Visceribus caesus contegat ossa lapis.
Nec tumulum exornent operosi munere caeli
In varias facies marmora ficta meum.
Sed postquam effoetum corpus lucemque perosa
Exierit campos vita sub aërios.
Tunc teneri cineres supremaque busta poëtae
Obruat exiguo cespite mollis humus.
Consurgam Veneri gratus de cespite truncus,
Et fiam patulis myrtus opaca comis.

par illud Sannazarii votum Lib. 1. El. 2. in fine:

Exsultent alii Panchaeo munere manes,
Et quaerant Pariis marmora caesa jugis.
Mi sat erit, veteres recolat si Phyllis amores,
Conferat & vernas ante sepulcra rosas.

Joh. Jovianus Pontanus, peculiari carmine, quo omnia scripta sua recenset, Lib. v. de Stellis, sub finem, pag. 107.

Ergo agedum nymphae Sebethrides, eia age, nymphae,
E myrto tumulum ornate, atque incingite lauru,
Purpureamque adbibete rosam, atque effundite nardum.

noster supra El. 3. in fine:

Et tumulum myrti virides, & amaracus ornet,
Et sedeat custos ad tua busta Venus.

& Joh. Baptista Amaltheus in Poët. Ital. Toscani T. 1. pag. 33.

Ne sacro desit cineri post fata voluptas,
Neve pios manes atra favilla premat.
Et felicem animam crepitanti rivulus unda
Et teneat laetis myrtus opaca comis.

eleganter Molsa eadem Elegia, saepius jam laudata, ✠. 23. & seqq.

Non operosa peto titulos mihi marmora ponant,
Nostra sed accipiat fictilis ossa cadus.
Exceptet gremio quae mox placidissima tellus,
Inmites possint ne nocuisse ferae.
Rivulus haec circum dissectus obambulet, unda
Clivoso qualis tramite ducta sonat. &c.
Forsitan in putrem longo post tempore glebam
Vertar, & haec flores induet urna meos.
Populus aut potius abruptis artubus alba
Formosa exsurgam conspicienda coma.

& quae plura illic sequuntur lectu dignissima; qualia his notis inserere & hic illic adscribere non taedet, ut ex collatione optimorum poëtarum ad veterum elegantias ingenua aemulatione feliciter exprimendas liberalior excitetur juventus.

* ELEGIA X.

AD FRANCISCUM ROBORTELLUM.

Cum Venetiis discederet.

Euganeos colles, Venetamque relinquimus urbem.
  Natalis revocant dulcia rura soli.
Jam novies magnum conplevit Cynthius orbem,
  Purpureis toties astra remensus equis.
Dum procul a patria, belli terrore fugatus,
  Mobilis, incertis sedibus, hospes ago.
Me Liger errantem, me Sequana dives, & ingens
  Hospitio Rhodanus fovit Ararque suo.

Nec

* ELEGIA X.] Legitur in Itinerariis N. Reusneri Lib. I. pag. 82. sub titulo *P. Lotichii Secundi Iter Germanicum ad Fr. Robortellum.*

4. *Purpureis toties astra remensus equis*] phrasis Lotichio amata. sic supra Eleg. VII. ℣. 23.
Ergo ubi permensus coelum Sol occidit.
& Eleg. I. hujus Libri, in initio:
Sol iter emensus longum revolubilis anni.
& alibi: corrige Pindarum Thebanum Epitom. Iliad. ℣. 107. ubi in vulgatis legitur,
Interea Sol immenso descendit Olympo.
ubi *sole merso* in Vossiano & Leidensi codice, pro *emerso*. sed recte in meo MS. habetur:
Interea sol emenso descendit Olympo.
quomodo omnino legendum. recte igitur apud Ovid. IV. Fast. 944. emendabat Janus Vlitius:
Cum Phrygis Assaraci Titania fratre relicto
Sustulit emenso ter jubar orbe suum.
ubi simili varietate in vulgatis *immenso*, in aliis *emerso*. Tibullus Lib. III. 4. 17.
Jam nox aetherium nigris emensa quadrigis
Mundum, caeruleas laverat amne comas.
Ovid. I. Fast. 544.
Emensus longi claviger orbis iter.
& Lib. XV. Met. 226.
—— spatiumque juventae
Transit, & emensis medii quoque temporis annis.
ubi antea *emeritis* edebatur. sed *emensis* recte ex codicibus restituit Heinsius, monuitque corruptam fuisse lectionem ab iis, qui *emensus* passive non posse dici putarunt. vide Cel. Drakenb. ad Silium Lib. I. 636.

7. *Me Liger errantem, me Sequana dives, & ingens*
Hospitio Rhodanus fovit Ararque suo.] Similia infra Lib. IV. El. 3.
Nos Liger & Rhodanus, nos pubescentibus annis

Junxit

Nec ſemel incertum vitae praerupta Pyrene
  Vidit, ad Heſperii litora curva maris.
Inde ferax Latium petii: tendensque per Alpes
  Frigus in aëriis rupibus acre tuli.
Nunc requies erroris adeſt, finisque laborum,
  Poſt duo fas tandem luſtra redire domum.
Urbs Venetûm, regina maris, mihi tempore longo
  Culta, ſed (heu) poſthac non habitanda, vale.

Junxit honoratae Sequana rector aquae.
hunc vero Patrui ſui locum partim mutuatus eſt J. P. Lotichius Lib. I. El. IV. p. 49.
Hinc Liger, & vaſtis quae Sequana fontibus exit,
Hoſpitio Rhodanus te coluitque ſuo.
partim quoque alterum ex Lib. II. El 3. ✝. 35.
Me Rhodanus velox, me clementiſſimus amnis
Coeruleo laſſum gurgite vexit Arar.
Vidi, ſſtum feris ubi Sequana fontibus exit
Vidi, qua tumidas in freta volvit aquas.

8. *Hoſpitio Rhodanus fovit Ararque ſuo.*
Nec ſemel incertum vitae praerupta Pyrene Vidit] ad hos poëtae noſtri verſus reſpicit forſan Joh. Fabricius Montanus in Elegia ad Lotichium peregre profectum ſcripta, pag. 32. Poëm.
Sed quid ego cauſſas nequicquam necto morandi,
Dum procul huc illuc miſſa tabella venit.
Tu juga nubiferae ſuperas ventoſa Pyrenes,
Aut Rhodani celeres remige findis aquas.
noſter ſupra Lib. II. El. 5. ✝. 47.
Ipſe pruinoſae juga ſeu calcabo Pyrenes,
Sive tuo laſſus flumine, Vare, bibam.
ubi de prima ſyllaba in *Pyrene* correpta vel producta vidimus.

11. *tendensque per Alpes Frigus in aëriis* &c.] Deſcripſit iterum Dav. Sigismundus Caſſovius Itiner. Germ. & Sarmat p. 582.
Nubiferos adii montes, tendensque per Alpes
Frigus in aëriis rupibus acre tuli.

15. *Urbs Venetum, Regina maris*] Exſtat nobiliſſimum epigramma Sinceri Sannazarii in hanc urbem. Si tibi ignotum eſt, Lector, en accipe.
Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem, & toto ponere jura mari.
Nunc mihi Tarpejas quantumvis Jupiter arces
Objice, & illa tui moenia Martis, ait.
Si pelago Tibrim praefers, urbem aſpice utramque.
Illam homines dices, hanc poſuiſſe Deos.
HOOGST.

Nemini certe non notum eſt hoc Sannazarii de urbe Venetiis Epigramma, & quam gravis aere domum dextra ipſi ex hoc carmine redierit. vide Baudii Centur. III. Epiſt. 70. minus forte notum, quod in laudem Venetiarum apud eumdem Sannazarium aliquot verſu exſtent non minoris certe ſpiritus, Lib. III. Eleg. I. ✝. 93. & ſeqq.
Quis rurſum Venetae miracula proferat urbis?
Una inſtar magni quae ſimul orbis habet.
Una Italûm Regina, altae pulcherrima Romae
Aemula, quae terris quae dominaris aquis,
Tu tibi vel Reges cives facis. o decus, o lux
Auſoniae, per quam libera turba ſumus.
Per quam barbaries nobis non imperat, & Sol
Exoriens noſtro clarius orbe micat.

vide

Robortelle vale, ſervaque abſentis amorem,
Qui maneat, dum nos Dî ſupereſſe volent.
Quis mihi nunc, ventos una paſſurus & imbres,
Per juga monſtrabit nubibus aequa viam?
Non ego te quercus & ſaxa videbo rotantem,
Cincte pruinoſis, ſpumifer Oene, jugis.
Fert animus caſtos Benaci viſere lucos,
Citria qui ripis gignit odora ſuis.

Et

vide Sannazarii vitam Italice ſcriptam a Joh. Baptiſt. Criſpo pag. 26. & 27. ubi Aldum Manutium ſibi adfirmaſſe narrat, pro ſingulis Epigrammatis hujus verſibus centenos aureos a Republica Veneta accepiſſe Sannazarium. Libelli vero illius raritatem inde colligas, quod Broukhuſio fuerit ignotus nec viſus. Nam exemplari ſuo, cui curas ſecundas notarum ad Sannazarium adſcripſit, in fronte adnotavit, apud Tentzelium T. VIII. Colloq. pag. 975. laudari vitam Sannazarii per Criſpum, ſe vero eum libellum numquam vidiſſe. ceterum aemulatione laudabili celebratum illud Sannazarii Epigramma imitatus eſt Rupertus in deſcriptione de Batavorum navigatione, in Diſſert. ad Valer. Max. pag. 163.

21. *Non ego te quercus & ſaxa videbo rotantem*
Cincte pruinoſis, ſpumifer Oene, jugis]
Vehementem & rapidiſſimum fluvium eſſe Oenum innuit etiam Venantius Fortunatus Lib. IV. de vita Martini p. 335. ed. Brouw.

Qua vicina ſedent Breonum loca, perge per Alpem,
Ingrediens rapido qua gurgite volvitur Oenus.

Nath. Chytraeus in Itinere Veneto p. 174. b. Poëm.

Impoſitaeque olim ventoſis Alpibus arces
Adparent, illisque oriens e montibus Oenus
Suaciacos ceris legulos pleno adluit amne,
Amne metallifero circum qui monte ſuperbit.

& Oeni fluminis nomen Tacito bene reſtituit Rhenanus, Lib. III. Hiſt. cap. 5.

23. *Fert animus caſtos Benaci viſere lucos,*
Citria qui ripis gignit odora ſuis]
Benaci ripas lucis & hortis amoeniſſimis conſitas, in quibus citria, Meda, & Punica mala odorem ſuaviſſimum praebent, plurimi celebrant, qui nobis pulcherrimum hunc Italiae lacum deſcripſerunt. Prae ceteris M. Antonius Sabellicus Dec. III Rer. Venet. Lib. II. pag. m. 420. ubi accurata Benaci deſcriptio; ex qua pauca huc facientia delibabo. *Eſt Benacus amoeniſſimus Italiae lacus.* &c. *Piſces alit optimos, in quibus Carpiones principatum obtinent. cultiſſima oliveta veſtiunt. his horti paſſim interjecti felicibus conſiti arboribus, quae citria, Medica, Punica, & quae accolae ipſi Adamea vocant, habent mala* &c. eo reſpicit P. Bembus in Benaco, carmine eximio, quantumvis a J. Caeſ. Scaligero acriter proſciſſo, ℣. 59.

—— Dictaeaque plena
Vina ferunt referuntque manu, calicesque madentes
Praecingunt myrto, atque inplexis flore coronis
Purpureoque roſae, Medorumque arboris albo:
Medorum quondam, ſed quae nunc plurima laetas

Benaci

Et colles lustrare sacros, ubi Tityrus olim
Ire domum saturas vespere jussit oves.
Hinc Tarrum, Lambrumque petam, quaque herbifer altis
Montibus inclusas Larius arctat aquas.
* * * * * * * * * * * * * * * * * * *
Et patriam Rheni Danubiique domum.

Benaci vestit ripas, non illa caduca
Fronde virens, suavique auras permulcet odore.

hinc Dan. Ceretus in Salice, venustissimo poëmatio, non procul ab initio:

Qua pater aurifera redimitus tempora Citro
Verberat ingenti Benacus litora planctu.

supra noster El. vi. ℣. 17.

Ergo sive leges citriis, myrtoque virentem,
Benaci melior qua fovet aura lacum.

sed peculiari eoque eleganti admodum Epigrammate laudes riparum Benaci effert Titus Strozza pater in Poëmatibus suis pag. 131. b. ed. Ald. ubi quae de aurifero Benaci gurgite, & piscibus in imo ejus fundo depastis addit, per quos Carpiones innuit, ingeniosissima fictione poëtica pluribus descripsit Hieronymus Fracastorius praeclaro carmine v. ad eumdem Joh. Matth. Gibertum, Veronensem Episcopum, quem in suo Benaco celebravit Bembus, quocum jure merito de palma contendere possit.

29. *******] Excidisse hic versum, indicant asterisci in vulgatis editionibus. At in Itinerariis, a Nicolao Reusnero editis, in quo libro haec Elegia sub titulo *Lotichii Iter Germanicum* legitur pag. 82. suppletur hunc in modum:

Donec inaccessas Adulae superabo pruinas.

quem sane genuinum auctoris nostri versum, & in pristinam sedem postliminio revocandum puto. Neque obstat, quod ultimam in *superabo* corripiat, licet ab eo abstinuisse principes melioris aevi poëtas moneat Vossius Lib. ii. de Art. Gram. cap. 27. id enim nostro frequens est. Lib. i. El. 4. in fine:

Sive (quod heu vereor) sive redibo, vale.

Lib. ii. El. 5. ℣. 47.

Ipse pruinosae juga seu calcabo Pyrenes.

El. 7. ℣. 32.

Hic ego te manibus contumulabo meis.

& El. 10. ℣. 36.

Proxima nec vires, lympha, silebo tuas.

& Lib. iii. El. 3. ℣. 52.

Et nomen tota nocte vocabo tuum.

& paullo post,

— nec puro fonte levabo sitim.

hac eadem Eleg. v. 21.

Non ego te quercus & saxa videbo rotantem.

bis in uno disticho Lib. i. El. vii. ℣. 75.

Supplicibus te, sancte pater, placabo querelis,
Et citharae lacrimis fila rigabo meis.

& Lib. i. Carm. 7. ad J. Altum:

Non tamen hanc dominam mutabo, sitimque levabo,
Quid facies igitur, quaeris? Amabo duas.

& saepius alibi. *Adulae* autem montis Rhaeticarum Alpium, unde Adua fluvius oritur, *inaccessas pruinas* cur vocet noster, & cum Lario memoret, Rhenique & Danubii origines hic innuat, constabit tibi ex Paulo Jovio in Descriptione Larii lacus, non procul ab initio p. m. 97. cujus verba, quia haec optime illustrant, merentur adscribi: *Efficit autem Larium aut certe in immensum adauget Abdua, limpidissimus amnis, qui ab Abdua monte, a quo nomen accepit, excelso Rheticarum Alpium jugo delapsus, raptis secum multis torrentibus in Larium per Vol-*

Sic ubi me ſiſtet reducem Sors proſpera, nec tu
Injicies avidas Mors prius atra manus;
Flumina cum ſilvis, & quae pater ante ſolebat
Contentus cultu paupere, rura colam.

PETRI

Volturenam vallem exſolvitur. Adulam pro Adua corrupte legimus apud Ptolomaeum: nam & ea vox Graece inacceſſum *ſignificat, ita ut hinc liquido conſtet, montem a Graecis nomen accepiſſe. Is enim & hodie Grajus appellatur, maximorum amnium fontibus nobilis, ſiquidem Danubii Rhenique origines, in adverſa Aduae regione referuntur.* Sed ad verſum hunc fugitivum Lotichio vindicandum, unice facit Strabonis locus Lib v. Geogr. pag. 203. Ἐγγὺς δὲ τοῦ χωρίου τούτου λίμνη Λάριος καλουμένη. πληροῖ δ' αὐτὴν ὁ Ἀδούας ποταμός. εἶτ' ἐξίησιν εἰς τὸν Πάδον. τὰς δὲ πηγὰς ἔσχηκεν ἐν τῷ Ἀδούλᾳ ὄρει, ὅπου καὶ ὁ Ῥῆνος. ex quo patet quam vere adfirmet Jovius *Adulam* vitioſe pro *Adua* legi apud Ptolomaeum; quamquam Alciatus in obſervatione de variis Alpibus, relata inter notas ad Tacit. xv. Ann. 32. *Adulam* corrupte in Strabone legi etiam adfirmet. *inacceſſas* Adulae *pruinas* hic etiam firmat Claudianus in Bell. Get. ℣. 320. ubi Larium egregie deſcribit:

Protinus umbroſa veſtit qua litus oliva
Larius, & dulci mentitur Nerea fluctu,
Parva puppe lacum praetervolat. ocyus inde
Scandit inacceſſos brumali ſidere montes.

& de Danubii ac Rheni fontibus paullo poſt ℣. 331.

— ſublimis in Arcton
Prominet Hercyniae confinis Rhetia ſilvae:
Qua ſe Danubii jactat Rhenique parentem
Utraque Romuleo praetendens flumina regno.

in praecedentibus vitioſe vulgatae editiones habebant, *ubi Tyrius olim.* & *Labrumque* pro *Lambrumque.* Lambrum cum Abdua fluvio & Lario conjungit etiam Sidonius Apollinaris Lib. 1. Epiſt. 5. ubi *ulvoſum Lambrum* & *caerulum Adduam* vocat. *Lambrum* quoque cum *Olio*, ſive *Ollio*, ut Plinio vocatur. & Abdua memorat Petrus Bembus in Benaco ℣. 36.

Piſcoſusque altas involvens Lambrus arenas
Venit & indigenis foecundans Ollius arva
Deductus rivis, & cultos Addua campos
Amne ſecans, fulvo ripasque interlitus auro.

& ſic Anonymus Ravennas Geograph. Lib. iv. pag. 224. eosdem enumerat inter flumina quae in Padum ingrediuntur; quamquam in vulgatis exemplaribus *Sarius* hodie legatur. Sed *Larium* ei reſtituendum eſſe, vel ex ſolo Strabonis loco evincitur Vibius Sequeſter: *Larius, Galliae Ciſalpinae.* Virgil. ii. Georg. 159

Anne lacus tantos? te Lari maxime, teque
Fluctibus & fremitu adſurgens, Benace, marino.

cum Benaco etiam conjungit Claudian. Epith. Pallad. & Celer. ℣. 106.

— quas Larius audit,
Quas Benacus alit, quas excipit amne quieto
Mincius.

pluribus haec illuſtrabunt notata Cluverio Lib. 1. Ital. Antiq. cap 36 & de Adua vel Abdua vide Iſ. Voſſium ad Pompon Melam ii. 3. 175. & N. Heinſium in notis ad Catullum, a nobis poſt ejus Adverſaria editis, pag. 652.

32. *Injicies avidas mors prius atra manus*] Habet de Tibullo ſuo Lib. 1. El. 3. ℣. 4.

Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris,
Abſtineas avidas Mors, precor, atra manus.
Abſtineas, Mors atra, precor. &c.

quam lectionem recte illic praetulit Broukhuſius, & hac imitatione ſua Lotichius.

34. *Contentus cultu paupere*] ejusdem Tibulli eſt Lib. iii. El. 3. ℣. 31.

Haec alii cupiant: liceat mihi paupere cultu
Securo cara conjuge poſſe frui.

quem imitatus etiam eſt Joh. Fabricius Montanus, Lotichii quondam ſodalis, in carmine de Vita beata ℣. 9. pag. 8. Poëm.

Hanc oro maneatque precor: tunc paupere cultu
Par etiam magnis Regibus eſſe volo.

PETRI LOTICHII SECUNDI
ELEGIARUM
LIBER QUARTUS.

ELEGIA I.
AD
JOACHIMUM CAMERARIUM
PAPEBERGENSEM.

Quae legis, unde ferant quaeris, Joachime, salutem
  Inpariter junctis condita verba modis?
Hinc, ubi Celtarum Belgas disterminat oris
  Sequana, cui vitreas Matrona jungit aquas:
Spumifer & Regis veterem circumfluit urbem,
  Et bifido geminum verberat amne latus.
Forte rogas, quae sit rerum fortuna mearum:
  Et procul hic Musis numquid, ut ante, vacem?

Sci-

3. *Celtarum Belgas disterminat oris Sequana*] Verumne an falsum sit Sequanam fluvium Belgicam Celticamque disterminare, alterius loci esset disquisitio. Recte Lotichius tam hic quam alibi primam in hac voce producit ad exemplum Lucani, Martialis, aliorumque e veteribus. Corripuit tamen Fracastorius Carm. v. ℣. 95.

Applaudunt Sequani floresque & lilia passim
Effundunt.

& rursus ibid. ℣. 141.

Attolli, & Sequanos compleri milite campos.

ad exemplum scilicet Ausonii, qui in Clar. Urb. XIII. pag. 254.

Insinuant qua se Sequanis Allobroges oris.

ubi tamen Vinetus inter exempla licentiae Ausonianae recte id recenset. eumdem errorem in Petrarcha notavit Vossius Lib. II. Art. Gr. 40.

7. *quae sit*] Ex Ovidio Trist. Lib. I. 8. 37.
Hic status, haec rerum nunc est fortuna mearum. HOOGST.

Scilicet haec doctis quoniam favet artibus aetas,
  Aonii fuades numina fontis amem.
Magna fuit quondam facri reverentia vatis,
  Inque pari pretio carmen & auctor erant.
Carmina nunc tantum, fi non funt dura, leguntur:
  Carminis auctori nullus habetur honor.
Non tamen Aonidum curam dimittere poffum:
  Ante vel incipiam non memor effe mei.
Nec minus & rerum cauffas fcrutamur, & ortas
  A Sole & Luna fideribusque vices:
Atque valetudo qua fit reparabilis arte,
  Quaeque juvet radix, quaeque fit herba nocens.

Sed

11. *Magna fuit*] Rurfus eft fili Ovidiani Faft. lib. v. 57.

Magna fuit quondam capitis reverentia cani.

HOOGST.

11. *Magna fuit quondam facri reverentia vatis* & feqq] Hos & fequentes Patrui fui verfus manifefta nimis imitatione in fuos ufus tranftulit Joh. Petr. Lotichius Lib. I. El. 2.

Magna fuit quondam Cirrhaeis gratia Mufis,
Quando ftupor cunctis carmen & auctor erant.
Carmina nunc, apte faltem deducta, probantur.
Vix fed id e multis qui queat, unus erit.
Gratia carminibus nulla eft, nifi carminis auctor
Nomina perpetui plena favoris habet. &c.
Haud tamen Aonidum curam deponere poffum,
Aptaque in alternos cogere verba pedes.
Nec minus ingenuas herbarum eft nofcere vires
Scrutari & fruticum cura fubinde genus.
Quaque valetudo fiat reparabilis arte,
Quae bona fit radix, quae quoque planta nocens.

20. *Quaeque juvet radix, quaeque fit herba nocens*] Eft ex Ovidio Lib. II. Trift. 270.

Quaeque juvet monftrat, quaeque fit herba nocens.

ita olim edebatur. fed correxit Heinfius,

Quaeque juvans monftrat qua que fit herba nocens.

ut *juvans* & *nocens* inter fe opponantur. ita de fideribus Propertius Lib. II. El. 20. 62.

Quaeritis & coelo Phoenicum inventa fereno,
Quae fit ftella homini commoda, quaeque mala.

obfervent artis poëticae ftudiofi, Lotichium exemplo Ovidii, cujus locum imitatur, non refugiffe participium in fine verfus pentametri

Sed tua, quidquid agam, mihi semper inhaeret imago,
Pectore, dum vivam, non abitura meo.

metri ponere; quod tamen rarius fecit, adeo ut haec pauca tantum in omnibus ejus carminibus se nobis obtulerint exempla. Lib. I. El. 5. ℣. 14.

Cum sis urbe magis versicolore decens.

rursus noster eodem Libro El. XI. ℣. 52.

Facta nec injusta est dextera caede nocens.

Lib. II. Carm. pag. 177. edd. vulg.

Pectoris est vere pectus amantis amans.

in Juvenilibus pag. 286.

Omnia nam saltans ebrius audet amans.

& pag. 298.

Moribus & formae dotibus Anna potens.

quod ultimum se tuetur auctoritate Ovidii III. A. A. 258.

Est illis sua dos, forma sine arte potens.

& Propertii Lib. II. El. 20. ℣. 22.

Serviat, & tota dicar in urbe potens.

ubi Broukhusius ex Catullo adfert,

Sis felix, Coeli, sis in amore potens.

Id igitur non sine exemplo veterum est, neque tam vitiosum, ut censent nonnulli ex magistris nimis fastidiosis, secuti auctoritatem Servii ad Virg. Lib. III. Aen. ℣. 300. *Notandum sane*, inquit, *finitum esse versum participio, quod raro apud Latinos est, apud Graecos vitiosissimum.* ita Marius hoc reprehendit ad Ovid. Lib. III. Am. El. 6. ℣. 22. ubi ex Cod. MS. emendat,

Si dicar per te forte retentus amans.

addita hac observatione: *parum bene pentametri versus in participia desinunt. duriusculi enim redduntur. sed quando id parcius fit, tolerandum est.* in Propertio idem castigavit Joh. Petr. Lotichius in Censur. Poët. Nov-Antiq. cap. VIII. in Maximiani Elegiis, quas tamen malo judicio Galli istius antiqui esse putat, cap. IX. in fine. & in Eobano Hesso cap. XI. pag. 51. Tamen ejusmodi Censorum supercilium non erubuit Ovidius aliis in locis, quibus enotandis semel defungar, ut huic censurae auctoritas non unius aut alterius exempli opponatur. *nocens* in fine pentametri apud Nasonem occurrit Epist. IV. ℣. 28. Ep. X. 12. Ep. XII. 106. 118 & 132. Lib. II. Amor. 19. 14. II Trist. 10. Lib. I. ex P. 8. 20. & apud Sabinum Epist. I. 102. *amans* Epist. IV. 154. Ep. XI. 126. Ep. XVIII. 56. Lib. I. Am. 8. 78. & El. 9 2 & 10. Lib. I. A. A. 502. & Lib. III. 554. Rem. Am. v. 36. Lib. I. ex P. 8. 20. & Lib. II. 9 46. *decens* in Rem. Am. 350. v. Fast. 356. & apud Sabinum Epist. II. 66. Alia itidem ex Ovidio, Propertio, & antiquis hac arte nihil minore, nostro Jano Secundo videbis apud peritiorem numerorum poëticorum arbitrum Broukhusium ad illud Tibulli Lib. III. El. 4. ℣. 46.

Dicere non norunt, quid ferat hora sequens.

apud Janum Secundum plura etiam exstant exempla Broukhusio praeterita, ut Lib. I. El. 2.

Noctibus in longis continuabit amans.

El. 5. pag. 10.

Cantabit muto limine nullus amans.

& El. VII. pag. 14.

Ingenuae Veneris libera sacra colens.

Aliorum loca, ne nimius sim, sciens omitto. similia in hexametris exempla e Graecis & Latinis poëtis adfert Cl. Schraderus Animadv. ad Musaeum Cap. II. p. 133. & 134. Ne quid tamen dissimulem, quia haec in optimis poëtis rariora sunt, non ideo his tamquam gemmis naenias suas frequenter exornare decet hodiernos versificatores. Nam in toto illo emendatissimo Fastorum opere Ovidiano semel occurrere, idque Lib. V. ℣. 356. adfirmare ausim: Locus enim iste, quem ex Lib. III. Fast. 634. adfert Broukhusius,

Mente premit tacita, dissimulatque fremens.

dubiae lectionis est, cum in Cod. MS. illic habeatur,

— *falsumque Lavinia vulnus*
Mente premit, tacitos dissimulatque metus.

quae longe elegantiora sunt. & sic in tota illa Albinovani Consolatione ad Liviam, perfectissimo Elegiae omnibus numeris absolutae opere, frustra unicum hujus rei exemplum quaeras.

In caput ante ſuum ripa labentur eadem
Undoſus Ligeris, Sarmaticusque Tyras.
Ipſe bibam ſuccos omnes e gurgite Lethes:
Ipſe ſoporiferas, ſi modo dentur, aquas.
Non tamen ulla tui facient oblivia nobis,
O ſacer Aonii dux, Joachime, chori.
Ut careo vobis, digreſſus ab axe peregit
Jam ſemel exactis menſibus annus iter.
Sive tamen propria tellus abſconditur umbra,
Seu roſea Phoebus luce reviſit humum.
Dum modo luſtramus veteres, decora alta, ruinas,
Quidquid & in ripae margine campus habet:
Aut ſimul abruptos delamentamur amores,
Saepe recordantes, herbifer Albi, tui:

Om-

23. *In caput*] Ex Ovidio adumbratum Triſt. 1. 7. 1.

In caput alta ſuum labentur ab aequore retro
Flumina: converſis ſolque recurret equis.
HOOGST.

poſſit etiam videri adumbratum eſſe ex Propertio Lib. II. El. 12. ỷ. 33.

Terra prius falſo partu deludet arantes,
Et citius nigros Sol agitabit equos;
Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
Aridus & ſicco gurgite piſcis erit;
Quam poſſim noſtros alio transferre calores, &c.

ſimilia apud Ovid. IV. ex P. 5. 41.

Nam prius umbroſa carituros arbore montes,
Et freta velivolas non habitura rates.
Fluminaque in fontes curſu reditura ſupino,
Gratia quam meriti poſſit abire tui.

vide ſupra ad Lib. II. El. XV. ỷ. 45.

28. *O ſacer Aonii dux, Joachime, chori*] Hoc poëtae noſtri elogio valde exſultaſſe Camerarium patebit ex illius Epiſtola ad Erasm. Neuſtetter. quae habetur inter Lotichianas Epiſtolas Lib. II. Ep. 8. pag. 53. hujus edit.

29. *Ut careo vobis*] Iterum Ovidio haeret, ut paſſim. Triſt. 4. 6. 19.

Ut patria careo; bis frugibus area trita eſt:
Diſſiluit nudo preſſa bis uva pede.
HOOGST.

35. *abruptos delamentamur amores*] Utitur verbo Ovidiano, alias haud ita facile obvio, Lib. XI. Met 331.

— *& natam delamentatur ademtam.*

& hunc Lotichii locum in ſuis Linguae Latinae Adverſariis, Theſauro Baſilii Fabri adſcriptis, ad illum Ovidii, nullo alio veterum exemplo addito, uſus ſingularis obſervandi cauſſa, adnotaverat Broukhuſius;

quem

Omnibus interea te vox mea nominat horis;
  Nominis usque adeo mentio grata tui est.
Sunt etiam dulces, qui te venerantur, amici,
  Alloquiis quorum tempora saepe levo.
Praecipue patriae consors Beutherus, & idem
  Doctus Apollineae plectra movere lyrae:

Hh 2 Qui

quem viri egregii inaestimabilem thesaurum vigiliarum eruditissimarum debemus munificentiae Amplissimi Johannis Wittii, Senatoris & Judicis quondam Amstelaedamensis.

37. *Omnibus interea te vox mea nominat horis*] Ovidium cogitabat Lib. III. Trist. El. 3. ℣. 17.

Te loquor absentem, te vox mea nominat unam,
Nulla venit sine te nox mihi, nulla dies.

38. *Nominis usque adeo mentio grata tui est*] vide supra ad El. VI. ℣. 16. & sic Lib. I. El. 4.

Nec veteres curat jam mens secura labores,
Usque adeo dulcis corda serenat amor.

41. *Beutherus*] Intelligitur Michaël Beutherus, ad quem scripta est El. VI. Lib. I. vir undecumque doctissimus, Theologiae, Historiarum, Chronologiae, Juris scientiae, ac Mathematices studio egregium in modum excultus, quibus artibus etiam variarum linguarum cognitionem & Poësin adjecit, ac Gallicas, & Saxonicas Academias lustravit, militiaeque paucos per annos nomen dedit: tum Melchioris Zobelli, Episcopi Wirciburgensis, consiliarius, postea Othoni Henrico Electori Palatino a consiliis & Bibliotheca fuit. In Academia autem Gryphiswaldensi Historias, Poësin, & Mathematicen professus est, ac deinde in Republica Argentinensi Historias publice docuit. Vitam ejus breviter narrat Pantaleon de Viris Illust. Germ. P. III. pag. 546. qui eo adhuc vivente ista scribebat: Freherus in Theatr. Vir. Illustr. P. IV. pag. 1479. sed adcuratius & copiosius M. Adamus in vitis Germ. Philos. pag. 152. & seqq. ubi plurima ejus opera partim Theologici ac Juridici, partim Historici, Chronologici, & Mathematici argumenti recensentur: in quibus eminent maxime Ephemeris Historica, & de Annorum mundi dispositione; ingens Chronici Generalis opus, & rerum memorabilium sub Carolo V. in Europa gestarum Narratio; quae sine dubio illa sunt opera, quae in sequentibus hujus Elegiae versibus celebrat Lotichius, ut & tres Epigrammatum Libri, unde poëtae laudem hic etiam promeritus fuisse videtur: ut jam nihil addam de ingenti ineditorum operum, quae post mortem reliquit, acervo, quorum numerum apud M. Adamum videre licet; quae sane mirari par est virum laboriosissimum in tanta negotiorum, quae gessit, mole conscripsisse. Ejus Historica scripta commendat Mich. Neander in praefat. ante Erotem. L. Gr. pag. 140. & peculiari epigrammate Paulus Melissus in Schediasm. Poëtic. pag. 263. & J. Posthius in Parerg. Poët. P. I. p. 207. Beutheri hujus in Astrologicis scientiam & scripta laudat G. J. Vossius de Scient. Mathem. pag. 192. Obiisse eum non diu post Lotichium nostrum patet ex hoc ejusdem Posthii Epigrammate Lib. I. Sylvar. p. 74.

Te quoque Lotichio comitem, Beuthere, Secundo
Uranie sedes misit ad aetherias:

Ne

Qui nunc hiſtoriae campis ſpatiatur apertis,
Et docet ad certos cuncta locare dies:
Et ſpatia annorum repetens ab origine mundi,
Per revoluta novum ſecula carpit iter.
Dixerit haec aliquis prius edita ſaepe, fatemur,
Scriptorum proprias quoque ſequente vias;
E quibus ipſe legens quae convenientia ducit,
Ante tamen poſitis omnibus, illa probat.
Quin etiam, multis quod inextricabile viſum,
Explicat, & cauſſas, ut tueatur, habet.
Omnia quae memori dum verſat pectore, Titan
Jam ſua ter rapidis ſigna recenſet equis.
Interea populos etiam luſtravit & urbes,
Et vaga Santonicum per mare vela dedit.
Addidit & fandi numeroſas legibus artes,
Arma gravis tractans imperioſa fori.

Cum

Ne foret in terris, dulci qui carmine mentes
Paſceret, aut doctas ſcriberet hiſtorias.
Dum tamen hiſtoriae, dum carmina docta legentur,
Clara utriusque ſimul fama ſuperſtes erit.
quod tamen omnem fere elegantiam debet noto Domitii Marſi in Tibulli mortem Epigrammati, quod in editione Tibulli Broukhuſiana legitur Lib. IV. carm. 15.
Te quoque Virgilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors juvenem campos miſit ad Elyſios:
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.
ex quo nimia certe imitatione adumbratum eſt, ut & illud quod in obitum G. Rondeletii exſtat in ejusdem Pareg. Poët. p. 103. & expreſſit eosdem Domitii Marſi verſus Michael Marullus Lib. I. Epigr. pag. 7. in mortem Jani Fratris:
Te quoque ſors inviſa mihi, dulciſſime frater,
Abſtulit, Elyſium miſit & ante diem.
Ne foret, aut fletus qui ſolaretur acerbos,
Jungeret aut lacrimis fratris & ipſe ſuas.

45. *Et ſpatia annorum*] Propert. Lib. III. El. 20. ỽ. 31.
Aut ſpatia annorum & longa intervalla profundi.

50. *Ante tamen poſitis omnibus illa probat*] Ex Ovidio Lib. VI. Faſt. initio:
Hic quoque menſis habet dubias in nomine cauſſas,
Quae placeant, poſitis omnibus, ipſe leges.

Cum tamen a rerum cura majore quievit,
  Tempus in his ſtudiis ponere dulce fuit.
Quid loquar, ut rebus geſtis, dum taedia vitat,
  Sic quaſi diverſis floribus ornet opus?
Acta voluminibus cognoſces eruta priſcis,
  Multaque Pierides quae vetuere mori:

59. *Cum tamen a rerum cura majore quievit,*
Tempus in his ſtudiis ponere dulce fuit] Hac imitatione firmatur Heinſii emendatio apud Ovidium Lib. IV. ex P. Epiſt. 5. 27. ad Elegos ſuos:

Cum tamen a cura rerum requieverit harum,
Ad vos manſuetas porriget ille manus.

ubi vulgo *turba*. idque recte probat altero loco ex Epiſt. 9. ejusdem Lib. v. 71.

Cum tamen a rerum cura propiore vacabit.

ſimilia his occurrunt Lib. II. ex P. Epiſt. 9. ℣. 59.

Tempora ſic data ſunt ſtudiis ubi juſta paternis,
Utque ſuis humeris forte quievit opus;
Ne tua marceſcant per inertes otia ſomnos,
Lucida Pieria tendis in aſtra via.

qui locus viros doctos exercuit, & ab Heinſio ita caſtigatur:

Utque ſuis numeris forte quievit opus.

In aliis *Atque tuis humeris.* forſan & legi poſſet,

Atque ſuis curis forte quievit opus.

vel *onus*, ut in plurimis codicibus. nam *forte opus* aut *onus* non videtur conjungendum, ut innuat Cotyn Regem, ſi forte curas belli depoſuit, Muſis horas ſubſecivas dare, ut in ſuperioribus dixit ℣. 49.

Nec Regum quiſquam magis eſt inſtructus ab illis,
Mitibus aut ſtudiis tempora plura dedit.

& hanc laudem viris principibus, aut in excelſo rerum ſummarum faſtigio poſitis ſaepe tribuunt poëtae. ſic de Julio Floro Horatius Lib. I. Epiſt. 3. ℣. 23.

Seu linguam cauſſis acuis, ſeu civica jura
Reſpondere paras, ſeu condis amabile carmen:
Prima feres hederae victricis praemia, quod ſi
Frigida curarum fomenta relinquere poſſes,
Quo te coeleſtis ſapientia duceret, ires.

ſimile illud Auſonii Epigr. 1.

Bellandi fandique potens Auguſtus honorem
Bis meruit: ut geminet titulos, qui praelia Muſis
Temperat, & Geticum moderatur Apolline Martem
Arma inter, Gothosque truces, furtoque nocentes
Sauromatas: quantum ceſſat de tempore belli,
Indulget Latiis tantum inter caſtra Camenis.

& Claudiani praefat. in Lib. II. in Rufin. ℣. 13.

Immenſis, Stilico, ſuccedant otia curis,
Et noſtrae patiens corda remitte lyrae.
Nec pudeat longos interrupiſſe labores,
Et tenuem Muſis conſtituiſſe moram.

Auctor Panegyrici ad Piſonem ℣. 155. & ſeqq.

Sive chelyn digitis, & eburno verbere pulſas
Dulcis Apollinea ſequitur teſtudine cantus,
Et te credibile eſt Phoebo didiciſſe magiſtro,
Nec pudeat pepuliſſe lyram, cum pace ſerena
Publica ſecuris exſultent otia terris.
Nec pudeat Phoebea chelys, ſi creditur illis
Pulſari manibus, quibus & contenditur arcus.

ſic noſter Lib. II. Eleg. 14. ℣. 45.

Fortis ut eſt validam torquere viriliter haſtam,
Colloque magnanimi flectere doctus equi.
Sic didicit juſtis, quas tempus poſtulat, horis
Carmina dulciſona ludere docta lyra.

Quidquid & hoc aevo memorabile, pace, vel armis,
  Vidit ab Oceano Phoebus utroque geri.
Non aliter cultos geniali vere per hortos,
  Non ſpecies violis, non color unus ineſt.
Puniceasque nigris, croceas cingentibus albis,
  Pulcrior eſt variis nexa corolla roſis.
Haec tibi docta mei dono monumenta ſodalis.
  At mihi cur potius non tua mittis? ais.
Mollia ſaepe quidem deducere carmina tento,
  Non tamen, ut puris auribus illa probem.
Sat mihi ſit rigidas interdum fallere curas,
  Solamenque mali praemia magna voco.
Haec tamen interea damus, ut cognoſcere poſſis,
  Non minus idcirco nos meminiſſe tui.
Atque utinam liquidas Ilmi reſidentis ad undas
  Sic opus in lucem nobile vatis eat.
Tempora quo faſtis ſignata volubilis anni
  Condit, & inparibus ſacra diesque modis:

Sidera

63. *Acta voluminibus cognosces eruta priſcis*] Sequitur denuo Ovid. Lib. I. Faſt. 7.
Sacra recognosces annalibus eruta priſcis.
& hunc Fratris ſui locum expreſſit Chriſtianus Lotichius pag. 245. Poëm.
Multa voluminibus cognosces eruta priſcis,
Multa recognosces temporis acta tui.

74. *Non tamen ut puris auribus illa probem*] Modeſte adhaeret Propertio Lib. II. El. 13. ✝. 12.
Me juvet in gremio doctae legiſſe puellae,
Auribus & puris ſcripta probaſſe mea.

76. *Solamenque mali*] Puto Lotichium ipſum ſcripſiſſe *Solamenque malis.* ut Lib. I. El. IV. ✝. 32.
Solamen cunctis ſpes erat illa malis.
idque ex imitatione Sabini Epiſt. I. Reſponſ. ad Ovidianas ✝. 4.
Solamen longis illa fuere malis.
ceterum locus hic geminus eſt iſti Ovidiano Lib. V. Triſt. El. 7. ✝. 39.
Detineo ſtudiis animum, falloque dolores,
Experior curis & dare verba meis.
Quid potius faciam deſertis ſolus in oris,
Quamve malis aliam quaerere conor opem?

79. *Ilmi reſidentis ad undas*] *Iluri* vitioſe in vulgatis. vide infra ✝. 92.

Sidera quo faciant discrimina temporis ortu,
Utque sub occiduas prona ferantur aquas.
Quasque vices rerum lustrans Hyperione natus,
Annua bis senis mensibus astra regat.
Sed nunc ingenium rapit in contraria luctus:
Et querula deflet publica damna lyra.
Sic tamen & requiem curis mordacibus adfert,
Et pius est patriae vulnera flere dolor.
Ille gemit, celsae resonant lugubria rupes
Carmina, labentes sistit & Ilmus aquas.
Forsitan haec etiam tandem, post nubila, finem
Pessima mutatae sortis habebit hiems.
Aonii rumpent tunc alta silentia vates,
Plectra metu quorum nunc, Joachime, silent.
Et quae destituit fugiens prius, orsa resumet
Musa, per adsuetas rursus itura vias.
Sed quodcumque sequens iterum trahet hora, ferendum est:
Ipse tamen sortis spe melioris alar.

Adsi-

℣ 82. *& inparibus sacra diesque modis*] vide ad Lib. II. El. 10. ℣. 2.

84. *Utque sub occiduas prona ferantur aquas*] *Sidera prona* cur dicantur, prolixe illustrant Broukhusii notae ad Propert. Lib. I. El. 16. ℣. 23. supra noster Lib. II. El. 8. ℣. 74.

Donec in Oceanum sidera prona cadant.

85. *Hyperione natus*] vide Patrui mei notas ad Ovid. IV. Met. 192.

90. *Et pius*] Ovidii est 2 Trist. 322.

Et pius est patriae facta referre labor.

HOOGST.

99. *Sed quodcumque sequens iterum trahet hora, ferendum est*; An in animo habuit locum Virgilii V. Aen. 710.

— quo fata trahunt retrahuntque sequamur;
Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

id noster ita expressit supra Lib. II. El. 10. ℣. 65.

Me fatis, quocumque trahant, parere necesse est.

Adsidueque tuum, meriti non inmemor umquam,
  Nomen inoblito pectore dulce feram.
Tu quoque ne curam depone absentis, & hujus
  Muneris officium consule, quaeso, boni.
Atque aliquod rursus studii, Joachime, recentis
  Mitte, quod hic cupida mente legamus, opus.

102. *Nomen inoblito pectore dulce feram*] vide ad Lib. IV. El. 9. ℣. ult.

104. *Muneris officium consule, quaeso, boni*] Expressit versum Nasonis Lib. III. ex P. 8. in fine:

Quae quamquam misisse pudet, quia parva videntur,
Tu tamen haec, quaeso, consule missa boni.

106. *Mitte, quod hic cupida mente legamus opus*] Simile ejusdem Ovidii est Lib. III. ex Pont. 5. 30.

Quod licet, ut videar tecum magis esse, legenda
Saepe, precor, studii pignora mitte tui.

& Lib. IV. Epist. 2. in fine:

Sacraque Musarum merito cole: quodque legamus,
Huc aliquod curae mitte recentis opus.

Inde Flaminius in Phaleucio ad Honoratum Fascitellum, Lib. V. Carm. 32.

Verum sive aliquid Marone dignum
Pangis, sive modis Horatianis
Juvat ludere, quidquid est, sodali
Tuo mitte: alii sibi, atque Musis
Scribant; tu cave, carmina occulas, quae
Digna sunt medio legi theatro.

ELEGIA II.

AD PHILIPPUM MELANCHTHONEM.

De obitu Clariſſimi Viri

* JACOBI MICYLLI.

Flebilis à Nicro gelidum miraris ad Albim
Cur veniat paſſis Muſa, Philippe, comis:
Nec praecincta gerat viridanti tempora lauro,
Veſtis inaequales ſed tegat atra pedes.
Scilicet hic lacrimis color eſt, & luctibus aptus.
Hic habitus moeſti pectoris eſſe ſolet.
Luna bis inplevit creſcentem cornibus orbem:
Bis radios verſo condidit orbe ſuos:

* Vide Camerar. Epiſt. ad Lotichium Lib. 1. Epiſt. 4. hujus edit. ubi de obitu Micylli & hoc Lotichii Epicedio. initio hujus Elegiae Lotichium aemulatum fuiſſe exordium Ovidianorum Triſtium unusquisque facile animadvertit.

4. *Veſtis inaequales ſed tegat atra pedes*] Eleganter *inaequales pedes* tribuit Elegiae funebri, quos *impares*, *claudos*, & *alternos* paſſim vocat Ovidius. vide Ciofan. ad Epiſt. xv. 5. & 11. Triſt. 220. hinc apud Statium Lib. 1. Sylv. 2. 7. qui locus Gronovium aliosque viros doctos valde exercuit:

Quos inter vultu petulans Elegia propinquat
Celſior adſueto, divasque hortatur & ambit
Alternum factura pedem.

ubi *fractura* legebat Gevartius. ſed pro vulgata adfert nonnulla & amplius de hoc loco deliberandum cenſet Patruus meus ad Ovid. IV. ex P. 5. 3. ubi ſimiliter ſuis Elegis *inaequales pedes* tribuit:

Longa via eſt: nec vos pedibus proceditis aequis.

mihi tamen *facere pedem* in loco Statiano vix probatur, & admittendam puto optimam N. Heinſii emendationem, qui Lib. IV. Adverſ. cap. 6. legebat;

Alternum tractura pedem.

quem vide.

7. *Luna bis inplevit creſcentem cornibus orbem*] Imitatur rurſus Naſonem Lib. II. Met. ✝. 344.

Luna quater junctis inplerat cornibus orbem.

& recte *inplevit* non *explevit*, ut ſaepius apud Ovidium. vide Heinſ. ad Lib. VII. Met. 530. adde notata ad Lib. 1. El. 5. 79. ubi in alio Naſonis loco ex Lib. III. Faſt. 657. praeferendam exiſtimavi codicum lectionem:

Sunt quibus haec Luna eſt, quia menſibus inpleat orbem.

nunc vulgatam retineo, *quia menſibus inpleat*

Ex quo, Vangionum cultis digreſſus ab oris,
Liquiſti patriae rura propinqua tuae.
Triſtibus interea Lacheſis nos dura fatigat
Caſibus, & laetos non ſinit ire dies.
Utque alios taceam, quos functos munere vitae
Abſtulit inmiti Parca ſevera manu:
Ille, decus Phoebi, Muſarum cura, Micyllus
Occidit; heu fallax & breve vita bonum!
Haec igitur meta eſt noſtrorum ſumma laborum?
Hac miſeri vates conditione ſumus?
Tertia poſt actas Jani lux venerat Idus,
Quam tulerat fuſcis Lucifer ortus equis:

Cum,

pleat annum. ut totum anni circuitum innuat, quia *inplere orbem* dicitur Luna plena, quod illi loco non convenit. vide de locutione ipſa Scalig. in Prolegom. Canon. Iſagog. pag. 11. & 12.

20. *Quam tulerat fuſcis Lucifer ortus equis*] Obſervat Broukhuſius in notis ad Tibull. Lib. 1. El. 10. ℣. 62. illo verſu:

Dum rota Luciferi provocet orta diem.

nusquam hodie legi, Luciferum curru vehi. Fateor id rarius quidem occurrere apud veteres, qui plerumque Luciferum ſolo fuſco equo veſpere vectum, mane autem candido inducunt. vide Heinſ. ad Ovid. II. ex P. 6. 38. At cum numero plurali *equos* ei adſignant, de curru ejus capiendum eſſe optime docuit Janus Douza Fil. in Conject. ad Tibull. cap. 3. adducto inter alia adpoſito Albinovani loco ex Elegia in obit. Maecen. ℣. 132.

Quem nunc in fuſcis placida ſub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernis equis.

ſic ipſe Tibullus Lib. 1. El. 3. in fine:

Luciferum roſeis candida portet equis.

pari modo cum Soli ac Lunae *equi* tribuuntur, de curru utriusque intelligendum eſſe notavimus ſupra ad Lib. 1. El. 5. 31. quibus adde quae de Noctis ſive Lunae curru habet Menagius ad Malherbae Poëm. Lib. V. pag. 259. *rotam* vero Luciferi pro orbe vel diſco capit Broukhuſius, quod ut admitti poteſt, tamen *axem* a poëtis ſaepius ei datum non video quomodo intelligemus, niſi currum Lucifero tribuamus aeque ac Soli, Lunae, Aurorae. ut Ovid. III. Faſt. 518.

Sex ubi ſuſtulerit, totidem demerſerit orbes,
Purpureum rapido qui vehit axe diem.

noſter Lib. 1. El. 2. in fine:

Hunc celeri portet Lucifer axe diem.

rurſus de Aurora Ovid. 1. ex P. Epiſt. 4. 57.

Memnonis hanc utinam lenito Caeſare mater
Quam primum roſeo provocet axe diem.

ut recte legebat Heinſius, & imitatione

Loti-

Cum, velut occultas volvens sub pectore curas,
  Inposuit tristi languida membra toro.
Parva mora est, pectus quatit arida tussis anhelum,
  Accensamque levant pocula nulla sitim.
Principio succos tamen omnes ille perosus
  Insuetam medicae respuit artis opem.

Ii 2 Mox

Lotichii vindicavimus supra ad Lib. II. El. 15. ℣. ult. pro eo quod in vulgatis *provocet ore.* licet illud placuisse Broukhusio videri possit ex ejus imitatione in Poëm. Juvenil. pag. 483.

Hanc agat o utinam coelo festinus ab alto
Lucifer, & puro proferat ore diem.

porro *habenis* Luciferum instruit Boëthius Lib. I. Cons. Phil. Metr. 5. ℣. 12.

Et qui primae tempore noctis
Agit algentes Hesperus ortus,
Solitas iterum mutet habenas
Phoebi pallens Lucifer ortu.

quamquam illic equitantem potius quam aurigantem Luciferum intelligat Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Dian. ℣. 141. Ceterum mentio Albinovani modo facta, cui tamen perperam vulgo Elegiam illam in obitum Maecenatis tribuunt, admonet me alterius loci in eadem Elegia corrupti de *Orientis equis*, quam hac occasione emendabimus. Exstat is ℣. 56.

Hic tela in profugos (tantum curvaverat arcum)
Misit ad extremos exorientis equos.

sic edidit Pithoeus inter Poëmata vetera, & Scaliger in suis Catalectis; & ita sub nomine Pedonis Albinovani, (qui tamen ipse hanc Elegiam abjudicat in notis ad Tibull. Lib. I. I. 50.) versus hos produxit Broukhusius ad Propert. III. El. 3. init. quibus nihil de mendo suboluisse miror. nam sine auctoritate veterum esse arbitror, *exoriens* ita simpliciter ac nude pro Oriente, vel Sole exoriente poni. quamquam objici posse non ignorem illud Propertii Lib. III. El. 3. ℣. 49.

Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis
Cornibus in plenum menstrua Luna redit.

ubi Broukhusius hunc ipsum Albinovani versiculum adscripsit, sed nullum praeterea aliud exemplum addidit. quod si vera sit ejusdem sententia, distichon illud Propertianum collocandum esse post ℣. 56.

Solis & atratis luxerit orbis equis;
Qua venit exoriens &c.

patebit locum illum diversum esse, & *Sol exoriens* repetitione ex praecedenti versu deducta illic jungi: cujus transpositionis caussam Broukhusio fuisse novitatem hujus locutionis arbitror. *jubar exoriens* recte dixit auctor Phoenicis ℣. 42.

Et conversa novos Phoebi nascentis ad ortus
Exspectat radios & jubar exoriens.

donec igitur alia hujus locutionis proferantur exempla, reponendum opinor ex ipsius corruptae lectionis vestigiis:

Misit ad extremos ecce Orientis equos.

quam emendationem aures ipsae suggerunt pro vulgata, dubio procul ex prava pronuntiatione nata. *ecce* autem non farciendo versui hic inservit, sed celeritati indicandae expeditionis Indicae, suasore Maecenate ab Augusto susceptae (de qua recte hos versus exponebat Broukhusius) ut apud Ovidium Lib. I. A. A ℣. 177. qui locus unice conjecturam nostram firmat:

Ecce parat Caesar domito, quod defuit, orbi
Addere, nunc Oriens ultime noster eris.

& de usu ac vi particulae *ecce*, qua repentinum aliquid denotat, vide Servium ad Virg. II. Aen. 203. & notas ad Ovid. II. Met. ℣. 441.

Mox rapidis imos torreri febribus artus
  Senſit, & anguſtas gutturis eſſe vias.
Heu mihi, nil artes ferae juvere medentum,
  Artificum doctae nil potuere manus.
Ergo jaces, patriae decus, o clariſſime vates,
  Et Graiae & Latiae gloria ſumma lyrae?
Nec potui, cum te premeret jam ſerior aetas,
  Praemia pro meritis ſolvere juſta tuis?
Tu mihi quaerenti ſacras per inhoſpita Muſas,
  Ad juga monſtraſti primus amoena viam.
Nam leve ſeu velles Elegis deducere carmen,
  Seu magis Heroïs altius ire modis:
Sive lyram digitis percurrere, ſponte fluebant
  Molliter in numeros verba diſerta tuos.

Ergo

29. *nil artes ſerae juvere medentum*] Ita apud veteres etiam praetuliſſe videtur Lotichius, non *artes medendi*, ut in codicibus inemendatis. Ovid. Ep. XXI. 14.

Adjuvor & nulla feſſa medentis ope.

ſic Lib. XV. Met. 629.

Funeribus feſſi poſtquam mortalia cernunt
Tentamenta nihil, nihil artes poſſe medentum.

ubi male in Thuaneo codice *medendi*. Heinſius *artes medentes*. ſed altera ſcriptura firmatur ex iis quae ipſe notavit ad Epiſt. V. Heroid. v. 147.

35. *Tu mihi quaerenti ſacras per inhoſpita Muſas,*
Ad juga monſtraſti primus amoena viam]

Prorſus eadem ſunt illa Jani Secundi Lib. II. El. I.

Tu divina canis Serrati culmina montis,
Is tibi monſtravit primus in aſtra viam.
Laurigeroque cavas ferienti vertice nubes
Ad juga Parnaſi jam leve fecit iter.

39 *Sive lyram digitis percurrere* &c.] Imitatione ſua Lotichius videri poſſet apud Propertium praetuliſſe lectionem, Douzae Filio & Lernutio probatam, Lib. II. El. I. ℣. 9.

Sive lyrae carmen digitis percurrit eburnis,
Miramur faciles ut premat arte manus.

ubi tamen Broukhuſius operoſe vindicat *percuſſit*, quod poëtis etiam frequens. Sed aliter locum illum caſtigabat N Heinſius Lib. II. Adverſ. cap. I. qui legebat,

Sive lyrae ſtamen digitis percuſſit eburnae.

digiti enim *eburni* minus recte dicuntur, quam *lyra eburna*. quam emendationem firmat Auctor Panegyrici ad Piſonem ℣. 155.

Sive chelyn digitis & eburno verbere pulſas,
Dulcis Apollinea ſequitur teſtudine cantus.

qui

Ergo quod Aonii ſecretas fontis ad undas,
  Plena puer Phoebo pocula dante bibi:
Longius & cultos Sophiae digreſſus in hortos,
  Florida de lauro ſerta virente tuli.
Me fateor debere tibi: cinerique rependam
  Omnia, quae pietas ſuadet, amorque tuo.

qui locus huic Lotichiano perſimilis eſt. *niveos digitos* vocat Maximianus Eleg. IV. ℣. 11.

Nunc niveis digitis, nunc pulſans pectine chordis,
Arguto quidquid murmure dulce loqui.

& talem deſcribit idem in El. v. ℣. 17.

Docta loqui digitis, & carmina fingere docta,
Et reſponſuram ſollicitare lyram.

percurrit tamen apud Propertium probari etiam poſſet ex Ovidio Lib. II. Am. El. 4. ℣. 27.

Haec querulas agili percurrit pollice chordas,
Tam doctas quis non poſſit amare manus.

percuſſit enim de graviori ſono, ſed *percurrit* de agili digitorum dexteritate rectius dicitur, ut apud Ovidium optime praeferunt viri docti, pro *habili* & *praetentat.* vide notas. idque apud Propertium ſuadent *faciles manus*, quae τῷ *percurrit* melius conveniunt, quam *percuſſit.* nec aliter utroque in loco legiſſe videtur Joh. Poſthius, ut patet ex ejus imitatione Lib II. Parerg. Poët. pag. 48.

Sed facili argutas percurrens pollice chordas.

& Baſilius Zanchius Lib. VI. Poëm. Eleg. I.

Haec modo vocales percurrit pectine chordas,
Haec ſimiles chordis nectere docta modos.

40. *Molliter in numeros verba diſerta tuos*] Sic editiones vulgatae exhibent, & apographum Hoogſtratani. Sed ſcripſiſſe Lotichium ipſum perſuaſus ſum,

— ſponte fluebant
Molliter in numeros verba diſerta ſuos.

id enim eſt quod ſe de teſtatur Ovidius IV. Triſt 10. 25.

Sponte ſua carmen numeros veniebat ad aptos.

ſui numeri eleganter dicuntur juſti, nativi, apti. ſed apud veteres ſaepe corrupti in *tui.* vide Heinſium ad Lib. II. ex P. 9. 60. ſic ejusdem Libri Epiſt. 8. ℣. 3.

Utque ſuum munus numerum, quem debet, haberet.

ubi *tuum* etiam antea edebatur. Lib. III. Amor. I. 28.

Primaque per numeros acta juventa ſuos.

& Lib. II. Faſt. 6.

Jam luſit numeris prima juventa ſuis.

ſic apud eumdem Naſonem Epiſt. XVII. 252.

A verbis facies diſſidet illa ſuis.

ut optime pro *tuis* reſtituit Heinſius, & elegantiam hanc compluribus locis reddidit, tam illic quam alibi paſſim. vide ad Lib. III. A. A. 236. & 272. 540. & Rem. Am. 54. bis eadem ſignificatione Epiſt. XX. 67.

Invidiam patiar: paſſo ſua praemia dentur,
Cur ſuus a tanto crimine fructus abeſt.

notum illud Virgilii Ecl. I. 38.

Cui pendere ſua patereris in arbore poma.

ubi interpolatus eſt Servius, cum adverſus metrum *ſua poma* jungens, explicat, *id eſt ipſius arboris poma propria.* hinc recte apud Juſtinum Lib. II. cap. 9. correxit Acidalius: *nec audaciae ſuus eventus defuit* pro *ejus.* & ſaepiſſime voculae hujus elegantiam aliis auctorum veterum locis reſtituit ſalutaris J. Fr. Gronovii manus, quem vide Lib. I. Obſerv cap II. & Lib. IV. 17. pag. 269. & Barth. ad Stat. IV. Th. 836.

43. *Longius & cultos Sophiae digreſſus in hortos*] An reſpexit illud Virgilii initio Ciris:

Cecropius ſuaves exſpirans hortulus auras,
Florentis viridi Sophiae complectitur umbra.

Ante Nicer Ligeri, Rhodano miſcebitur Iſter,
Nec rapidus liquidas Rhenus habebit aquas:
Quam ventura dies, aut ulla redarguat aetas,
Effluxiſſe animo tot benefacta meo.
Nunc precor, has lacrimas, atque haec ſuſpiria tantum,
Care parens, veri ſigna doloris habe.
Mox ubi foecundas mulcere Favonius auras
Coeperit, & gremium laeta reſolvet humus:
Tunc flores ad buſta novos, violasque recentes,
Semper odoratas veris habebis opes.
Sic quoties tumulo via proxima ducet euntes,
Incola ſeu faciat, ſive viator iter:
Nullus erit, qui non repetens ſuſpiria dicat:
Sit requies cineri paxque, Micylle, tuo.

Quin

50. *Effluxiſſe animo* &c.] Catullus Carm. LXVI. ỳ. 18.

Ne tua dicta vagis nequidquam credita ventis
Effluxiſſe meo forte putes animo.

55. *Tunc flores ad buſta novos, violasque recentes* &c.] Haec aperte imitatus eſt Broukhuſius Lib. IV. Epigr. 24.

Semper habe violas circum tua buſta recentes,
Veris odorati munera ſemper habe.

57. *Sic quoties tumulo via proxima ducet euntes* & ſeqq.] Non dubito Lotichium his verſibus in animo habuiſſe illa Propertii Lib. II. El. I. 85. ad Maecenatem:

Si te forte meo ducet via proxima buſto,
Eſſeda celatis ſiſte Britanna jugis.
Taliaque illacrimans mutae jace verba favillae:
Huic miſero fatum dura puella fuit.

quem pulcherrimum locum, ut id addam, optime imitatus eſt Sannazarius Lib. II. El. I. in fine, ad Alfonſum Arragonium Siciliae Regem, Maecenatem ſuum:

Quare ſi noſtri veniet tibi nuncia leti
Fama, triumphales jam prope ſiſte rotas.
Atque haec ad cineres moerens effare ſepultos:
Saevitia dominae rupte poëta jaces.

ejusque veſtigia bene ſecutus Joh. Anton. Taygetus T. II. Poët. Ital. Toſcan. pag. 277. b. ad Barbaram Callinam:

Quod ſi me audieris gelidum liquiſſe cadaver,
Contigeritque urnam forte videre meam.
O decus, o noſtri nitidiſſima gloria ſecli,
Diva, precor celeres, Barbara, ſiſte rotas.
Talibus & noſtros moerens teſtare dolores;
Atropos huic rupit ſtamina, juſſit Amor.

ita enim recentiores cum veteribus componere par eſt.

60. *Sit requies cineri paxque, Micylle, tuo*] Sic Lib. III. El. I. in fine:

Sic o ſit cineri paxque quiesque meo.

& Paulus Panſa in Epicedio Molſae:

Cultorisque tui vocem cognoſce ſupremam,
Sic o ſit cineri luxque quiesque tuo.

Quin etiam, quam lata patet Germania, vates
  Paſſim morte tua carmina moeſta canent.
Qualia ramorum denſa Philomela ſub umbra
  Concinit, aut moriens qualia triſtis olor.
Te procul ad Viadri ripas lugebit ademtum,
  Gloria Caſtaliae prima Sabinus aquae.
Claraque percenſens operum monumenta tuorum
  Stigelius, dulces fundet ab ore modos.
Parque ſenex ſtudiis & par Camerarius annis
  Pauca, ſed in laudes concinet apta tuas.

Vos

62. *Paſſim morte tua carmina moeſta canent. Qualia ramorum denſa Philomela ſub umbra Concinit* &c.] Hic quoque imitatur Catullum carm. LXVI. in obitu Fratris:

— at certe ſemper amabo,
Semper moeſta tua carmina morte canam.
Qualia ſub denſis ramorum concinit umbris
Daulias, abſumti fata gemens Ityli.

ſic enim recte emendarunt viri eruditi pro *Ityi*, quod in aliis legitur. pro quo *Ithilei* habetur in Palatino papyraceo, & in noſtro Codice. male autem Scaliger ex libro veteri *Protboi*. vide Iſaci Voſſii notas. qui recte *Ityli* vindicavit. & ita Mariang. Accurſius & N. Heinſius ad Ovid. VI. Met. 658. idque imitatione ſua probaſſe etiam videtur Janus Secundus Lib. I. Ode 2.

Parvi caedem Ityli carmine lugubri
Plorat Daulias ales
Alta ſtans ſuper arbore.

& Baſilius Zanchius Lib. VI. Poëm. p. 152.

Daulias & denſis reſidens Philomela ſub umbris
Concinit Iſmarii fata gemens Ityli.

male vero in nonnullis Catulli editionibus *aſſumti* legitur pro *abſumti*. ut apud Propert. III. El. 8. ℣. 10.

Increpet abſumtum nec ſua mater Ityn.

vide Carr. ad Valer. Fl. IV. 169. Naugerius carm. XXV. ℣. 24.

Sola gemit, ramoque ſedens miſerabilis alto
Abſumtum mater Thracia plorat Ityn.

amiſſum dixit eadem in re Ovidius IV. Faſt. 482.

Quacumque ingreditur, miſeris loca cuncta querelis
Implet, ut amiſſum cum gemit ales Ityn.

utraque Philomelae & oloris conparatione utitur etiam ſimili loco Ang. Politianus T. II. Poët. Ital. Toſcani pag 114.

Qualia ſub denſis volucris nec Daulias umbris,
Eridani in ripis nec canit albus olor.

& noſter Lib. V. El. 4. ℣. 9.

Non ita populeis moeret Philomela ſub umbris,
Huic ſimilis quamvis nulla ſit inter aves.
Ad vada nec tali dulcedine pura Cayſtri
Carmen olor moriens exſequiale canit.

68. *Stigelius*] de eo vide notas ad Lib. II. El. 10. initio.

70. *Pauca, ſed in laudes concinet apta tuas*] Forſan eſt imitatio Sannazarii Lib. I. El. XI. ℣. 22.

Elyſiusque hedera comtus florente capillos
Rara, ſed Aoniis concinat apta choris.

Joh. Poſthius Lib. II. El. 7. pag. 48.

Sed facili argutas percurrens pollice chordas
Concinet in laudes multa, Petraee, tuas.

Vos quoque conſortes patriae, mea turba, ſodales,
Auſonis in gremio quos fovet ora ſuo:
Quorum flexibiles errant per tempora myrti,
Et lateri ſemper candidus haeret Amor:
Seu vada Medoaci colitis, ſeu Felſina mater
Praebet in Aemiliis otia grata jugis:
Fama per aërias cum nuncia venerit Alpes,
Flebitis argutae plectra tacere lyrae.
Heu ſpes fallaces, & mens inprovida vatum,
Qui ſtabilem vitae creditis eſſe moram!
Quid prodeſt totas hiberno ſidere noctes,
Quid ſtudiis longos continuaſſe dies?
Si tamen in tenebris opera interrupta jacebant,
Muſaque cum domino paene ſepulta ſuo eſt?
Veſter honos agitur, mites Heliconis alumnae:
Vatibus a ſacris hoc prohibete malum.

Tu

73. *Quorum flexibiles errant per tempora myrti*] Forte elegantius eſſet *flexipedes*, maxime propter additum verbum *errant*. certe Servius ad Virg. Ecl. IV. 19. *errantes hederas* explicat *paſſim vagantes*. *unde antiqui Lyrici dixerunt* flexipedes hederas, *quod hac atque illac vagantur*. Sed antiqua Ovidii editione uſus Lotichius alterum ſecutus eſſe videtur, apud quem Lib. x. Met. ✝. 99. olim edebatur:

Vos quoque flexibiles hederae veniſtis.

ſed Turnebum ac G. Fabricium reſtituiſſe *flexipedes* adnotavit Patruus meus. & ſic in omnibus Palatinis codicibus ſe inveniſſe exemplari ſuo adſcripſit Gebhardus, nec aliter exaratum offendi in meo Codice, quem ex ſupellectile Wittiana mihi aliquando conparavi.

85. *Veſter honos agitur, mites Heliconis alumnae,*
Vatibus a ſacris hoc prohibete malum] Similia fere in carmine de Aeneide Virgilii in Catalect. Pithoei Lib. II. pag. 71.

Hoc opus aeternum ruet? & tot bella, tot enſes,
In cineres dabit hora nocens & perfidus error:
Huc huc Pierides nemorum per luſtra loquaces
Tendite, & ardentes ignes fluvialibus undis
Mergite, ne pereat tam clari Muſa poëtae.

quod

Tu quoque (nec dubito) numquam patiere, Melanchthon,
Scripta tot aeterna nocte situque premi.
Ante meos oculos, imisque in sensibus haeret
Ultima digressus hora, Philippe, tui.
Quanta pium (memini) mulcebant gaudia pectus!
Quantus in amborum mentibus ardor erat!
Felix, ante obitum cui saltem fata dederunt
Adspectuque tuo, colloquioque frui.
Scilicet haec secum durae solatia mortis
Adtulit ad manes, Elysiumque nemus.
Nec decet, aut fas est, nos illum flere sepultum
Amplius, & lacrimis ponere nolle modum.
Ille quidem dulces auras, & amata reliquit
Lumina, sub gelida contumulatus humo:
Fama tamen superest, & totum nota per orbem
Gloria, Castaliae quam peperere Deae.
Nec tua longa dies delebit scripta, Micylle.
Juris in ingenium mors habet atra nihil.

quod carmen Broukhusius in notis ad Propert. III. El. 5. init. observat male adtributum esse Augusto, ex inscriptione editionis Pithoei, quae praefert, *veteris Scholastici poëtae versus sub nomine Augusti Caesaris.* quod indicat Augustum loquentem induci, ut ex carmine ipso manifestum fit, non vero versuum istorum auctorem esse; licet in editione Catalectorum Aldina aliisque vetustioribus *Octavio Augusto* tribuantur. sed de eo alibi videbimus.

95. *durae solatia mortis Adtulit ad manes*] Imitatio Ovidii Lib. V. Met. 73.

Et tulit ad manes junctae solatia mortis.

104. *Juris in ingenium mors habet atra nihil*] Auctor Epigrammatis antiqui in Catalect. Pithoei Lib. I. pag. 40.

Ingenio mors nulla nocet, vacat undique tutum:
Inlaesum semper carmina nomen habent.

quod debetur Propertio Lib. III. El. I. in fine:

At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.

id Ovidius ad Augustum transtulit Lib. III. Trist. 7. 48.

Adde quod ereptum terris, pietasque fidesque
Ante Deum coelo fideribusque locant.
Non levis ambitio, non impius ardor habendi,
Nullus in elato pectore faftus erat:
Provida fed virtus, & flore nitentior omni
Candor, & innocua cum pietate fides.
Ipfe ego quae vidi referam, quaeque auribus haufi,
Solamen noftris dulce piumque malis.
Jam mortis prope tempus erat, volucerque filenti
Pegafus Hefperias nocte fubibat aquas:
Pegafus, unde facri latices Aganippidos undae:
Vatis & occafus fideris unus erat.
Ergo ubi fenfiffet labi per vifcera mortem,
Haec dedit in moefto verba fuprema toro:

Fata

Ingenio tamen ipfe meo comitorque fruorque,
Caefar in hoc potuit juris habere nihil.
vide Ciofan. ad Lib. IV. ex P. Ep. 16. 2.
Non folet ingeniis fumma nocere dies.
e recentioribus N. Heinfius Lib. II. El. 3.
Fata domant chartae, non interitura fupellex,
Atropos hic victam tendit avara colum. &c.
Spirat adhuc morum concordia, fpirat utrumque,
Juris in hanc habuit Parca profana nihil.
Hieronymus Carbo, Neapolitanus, Epigrammate in Opera Pontani a Summontio edita,
Ut quae faeva duces vincit mors, faeva tyrannos,
In te unum doleat juris habere nihil.
Ipfa licet gelido confumferit offa fepulcro,
Non terere ingenii tot monumenta poteft.
quod Epigramma unicum ex deperditis Hier. Carbonis poëmatis fupereffe putabat Broukhufius in notis ad Sannaz. Lib. I. El. XI. 45. cum tamen ejus Elegiam ad Auguftinum Niphum valde prolixam exhibuerit L. Nicodemus in Addit. ad Toppii Biblioth. Neap. pag. 137. ad eumdem hunc Carbonem exftat carmen Jani Anyfii Lib. IV. Poëm. pag. 48. b. & epigramma Titi Strozzae Lib. IV. Erotic. pag. 49. b.

111. *Ipfe ego quae vidi referam*] Sannazarius Lib. II. El. I. ỷ. 73.
Ipfe ego quae vidi referam, fcit Thufcula tellus.
Ovid. Ep. XVI. 63.
Fas vidiffe fuit, fas fit mihi vifa referre.

112. *Solamen noftris dulce piumque malis*] Firmat hic locus ea quae fupra notavimus Eleg. praec. ỷ. 76.

116. *Vatis & occafus fideris*] Statius Thebaidos X. 502.
— *averfo pariter deus occidit aftra.* HOOGST.

117. *Ergo ubi fenfiffet labi per vifcera mortem,*
Haec dedit in moefto verba fuprema toro]
Simile illud Propertii Lib. III. El. 5. ỷ. 9.
Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis,
Quum moribunda niger clauderet ora liquor.

Fata vocant, moriorque libens, valeatis amici,
Regia ſiderei me vocat alta poli.
At tu, Chriſte, novae qui nobis gaudia vitae
Reddis, & in ſupera das regione locum:
Huic abeunti animae placidam largire quietem,
Ne mihi ſit pretium mortis inane tuae.
Me liquor ille, tuo ſtillans e vulnere ſancto,
Abluat, hos aeſtus, hanc levet ille ſitim.
Dixit, & in tenues migravit ſpiritus auras,
Et placidus clauſit lumina victa ſopor.
Et quis adhuc dubitet, coeleſti ſede receptum,
Sidera ſub pedibus celſa videre ſuis?
Illic aut obitus aſtrorum ſpectat, & ortus,
Quoque ſuum Phoebus tramite currat iter:

124. *Ne mibi ſit pretium mortis inane tuae*] An & hic ſcripſerat, *Nec mibi ſit pretium* &c. ita enim ſupra Lib. I. El 7. ℣. 32. loco prorſus ſimili:

Chriſte ſave, cujus ſanguis delevit in alto
Collis oliviferi crimina noſtra jugo.
Reſpice me, tenues cum ſpiritus ibit in auras,
Nec mibi ſit mortis munus inane tuae.

129 *Et quis adbuc dubitet*] Artificium hujus locutionis non vulgare ex Cicerone illuſtravit P. Victor. Lib. XIX. Var. Lect. 15. Virg. VI. Aen. 807.

Et dubitamus adbuc virtutem extendere factis?

130. *Sidera ſub pedibus celſa videre ſuis*] Exprimit notum illud Virgilii Ecl. V. ℣. 57.

Candidus inſuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes & ſidera Dapbnis.

ſic noſter infra El. IV. ℣. 170.

Poſtque tot inſidos maris inplacabilis aeſtus,
Nubila jam pedibus cuncta ſubeſſe tuis.

ita paſſim in obitu doctorum hominum, qui aſtrologiae ſtudio, dum viverent, operam dederunt, ut hoc loco, & in Epicedio Caſp. Cruciferi Lib. V. El. 19. ℣. 153.

Rimarique ſitum coeli radiosque ſolebat,
Sidera & exactis irrequieta notis.
Cumque tuum manibus, Ptolomaee, volumen baberet,
Scrutatus ſedes quas aditurus erat. &c.
Sidera nunc illic fulgentis ſemper Olympi,
Cunctaque cognoſcit quae latuere prius.

Joh. Jovianus Pontanus in Hymnis de Laud. Divin. pag. 242.

Jam coelum ſublime patet, jam deſpicis aethram,
Lucida ſub pedibus ſidera cuncta premens.

& Lib. I. Tumulor. pag. 69. b.

Digne ſenex coelo, coelum, Ptolomaee, petiſti,
Pro Catina coelum patria facta tua eſt.
Quasque olim ſtellas numeris, quae ſidera curſu,
Nunc metire oculis, fataque certa tenes.
Et tibi quae ſeries rerum, lex ipſa futuri
Nota patet, ſummis perfruerisque bonis.

Aut cupido primae conplexu conjugis haerens
Fata ſenectutis narrat acerba ſuae.
Seque tot aerumnis gaudet, curiſque ſolutum,
Amplius haud ullas poſſe timere vices.
O ubi plena ſacro manat torrente voluptas,
Verus ubi pleno fonte redundat amor.
Salve care parens, alti novus incola coeli,
Non mihi, qui genuit, care parente minus.
Tecum delicias, & gaudia noſtra tuliſti,
Quae nulli poterunt reſtituiſſe dies.
Haec ego, dum flentes comitamur funus amici,
Flebilibus cecini pauca, Philippe, modis.
Plura dolor prohibet: ſalve cultiſſime vates,
Inque beatorum pace, Micylle, vale.

ELE-

G Sabinus Lib. IV. Eleg. pag. 121.
Quae prius ipſe tua ſcrutari mente ſolebas,
Lucida ſub pedibus conſpicis aſtra tuis.
Sannazarius Lib. I. El. 3. ỷ. 11.
Unde nitor ſtellis: cur nox majorve minorve,
Cur non ipſa ſuo lumine Luna micet.
Felix, coeleſtes cui fas nunc ſcandere ſedes,
In quis poſt obitum fata manere ſinunt.
El. VII. ỷ. 11.
Submotumque oculis animo percurrere coelum,
Quasque tenes ſedes, mente adiiſſe prius.
& in fine Lamentationis de morte Chriſti:
Sidereos inter proceres, ſanctumque ſenatum,
Sub pedibusque dabit ſtellantia cernere clauſtra.

137. *O ubi*] De hac exclamatione poëtica bene adverſus Servium Probumque diſputat Erythraeus Indice Virgiliano ſub litera O non procul ab initio: & vide Voſſium Lib II. de Art. Gram. cap. 27. p. 178.

139. *Salve care parens, alti novus incola coeli*] Lotichio adhaeret Broukhuſius in fine Epicedii in obitum Graevii Lib. III. El. 9.
Salve ſancte pater, nitidi novus incola Olympi,
Et noſtro ſemper mactus amore, vale.
noſter infra Epicedio Melanchthonis El. 4. ỷ. 181.
Salve magne parens, alti nunc aetheris haeres,
Et fruere aeternis, quae tibi parta, bonis.
idem Broukhuſius Lib. I. Lyricor. Od. X. p. 136.
Salve ſupernis addite ſedibus
Civis, beatus aetheris incola,
Quem mente poſſeſſum tenace
Pridem equidem atque animo occupabas.

141. *Tecum delicias* &c.] vide ad Lib. III. El. 7. 39. & Lib. III. Carm. 27. 12.

143. *flentes comitamur funus amici*] Alio epitheto hic uſum mallem Lotichium, & *fidi*, *triſtes*, vel ſim. ſcripſiſſet, quia *flentes* & *flebilibus* hic parum concinne eodem diſticho juncta neſcio quo modo offendant.

145. —*ſalve cultiſſime vates,*
Inque beatorum pace, Micylle, vale].
J. P. Lotichius pag. 105. Poëm. in fine Carminis, quod hujus Lotichii Patrui ſui Amoribus ac Gratiis ſacravit,
Petre vale, cognate vale, ſalve optime vates,
Inque beatorum ſedibus umbra vale.

ELEGIA III.
IN NUPTIAS MARCI LUDOVICI ZIEGLERI, JURISCONSULTI, ET CATHARINAE REIFFSTOCKIN.

Si mihi praeteritae ver illud amabile vitae,
Ingeniique forent libera jura mei.
Invida nec tacito confectum cura dolore,
Cogeret aetatis tempora dura queri:

Kk 3 For-

IN NUPTIAS M. LUDOV. ZIEGLERI] Est hic idem Zieglerus, cui inscriptum est phaleucium, quod occurrit Lib. I. Carm. 38.

1. *Si mihi praeteritae ver illud amabile vitae,*
Ingeniique forent libera jura mei.
Invida nec tacito confectum cura dolore & seqq.]

bona imitatio Catulli carm. LXIII. ad Hortalum:

Etsi me adsiduo confectum cura dolore
Sevocat a doctis, Hortale, virginibus.
Nec potis est dulces Musarum expromere foetus
Mens animi, tantis fluctuat ipsa malis. &c.
Sed tamen in tantis maeroribus, Hortale, mitto
Haec expressa tibi carmina Battiadae.

ita in nostro Codice MS. non *exponere fletus*, & ultimo versu male *experta* in vulgatis. pro quo *excerpta* in editione Douzarum. sed *expressa* vocat *carmina Battiadae*, quia Hortalo mittit Comam Berenices e Callimacho a se versam, cui praefixit hoc Epigramma. Ceterum totum illud Catulli carmen una cum aliis eleganti parodia expressit Janus Lernutius in Parodiis ineditis, quas manu Broukhusii descriptas servo: & ad genium horum Catulli versuum conposuit Epicedium suum in M. Ant. Turrianum Hieronymus Fracastorius pag. 108. Poëm. Ed. Vulp.

Etsi egomet tanti casu perculsus amici
Solamen nostris discuperem lacrimis;
Ne mea perpetuo manarent lumina fletu,
Pergeret aut tantus urere corda dolor.
Attamen, ut mi animi valuit concedere amaror,
Isthaec maesta tibi carmina persolui.
Quo fortasse meis consolarere Camenis,
Si miseros quidquam Musa levare potest.

& haec vestigia premit Broukhusius in Elegia ad Joh. Antonidem Goeanum, in Juvenilibus pag. 422.

Etsi me vario jactatum, Jane, tumultu
Bellorumque vagis fluctibus inplicitum,
Sevocat a coetu Musarum tristis Enyo,
Nec patitur solitis invigilare choris:
Non tamen usque adeo feritas Mavortia cordi est.
Ut cupiam lituos inter & arma mori,
Oblitus Musarum artes, oblitus amores,
Qui nimium molli nunc quoque corde sedent.

nec dispar est initium Ceiris Virgilianae, licet loco corrupto,

Etsi me vano (sic lege, non *vario*) *jactatum laudis amore*
Irritaque expertum fallacis praemia vulgi
Cecropius suaves exspirans hortulus auras
Num mea curet eo dignum sibi quaerere carmen? &c.
Non tamen absistam coeptum detexere munus & seqq.

Sed

Forſitan argutas quae poſſent ire per aures,
Concinerem thalamo carmina, Marce, tuo:
Qualia ſub myrto quondam redolente canebam,
Qua trahit Heſperias in mare Ledus aquas;
Florida cum teneris ſerviret amoribus aetas,
Eſſet & in pretio noſtra juventa ſuo.
Tunc ego regnabam, gelidam nec ad usque Pyrenen
Cultor Apollineae notior artis erat.

Nunc

Sed praecipue initium hujus Elegiae Lotichianae ante oculos habuiſſe & aemulatus eſſe videtur idem Broukhuſius in exordio Elegiae de virtute bellica Groninganorum Studioſorum, quae exſtat in Juvenilibus pag. 418. & incipit:

Si mea, quas vellem, ſpirarent carmina vires,
Eſſet & auguſto fortis in ore ſonus.
Non ego Phlegraei canerem certamina campi,
Aut Nili paſſas Romula vincla manus &c.
At nunc inmani curarum pondere preſſo
Fas mihi ſit vitae fata dolere meae.
Non ſum qui fueram: mutant mala longa vigorem
Ingenii, ac ſolitos deſtituere choros.
Si tamen & noſtrae quidquam conferre Camenae
Audent, quod culto poſſit ab ore legi.
Qualescumque meo prodibunt nomine verſus,
Nominibus veſtris rite dicabit amor. &c.

4. *Cogeret aetatis tempora dura queri*] Verſus eſt Propertii Lib. I. El. 7. ℣. 8.

Cogor & aetatis tempora dura queri.

de quo vide notata in Addendis ad Lib. I. El. 2. ℣. 5.

8. *Qua trahit Heſperias in mare Ledus aquas*] De hoc flumine lege Iſaci Voſſii notas ad Melam Lib. II. cap 5. ubi optime ejus nomen reſtituit Avieno in Ora Marit. ℣. 581. quo loco male nunc legitur:

At nunc Heledus, nunc & Orobus flumina.

& hunc inter nobiliores Galliae Narbonenſis fluvios recenſet Sidonius Apollinaris carm. V. ℣. 208. ut locum emendavit P. Pithoeus Lib. II. Adverſ. cap. 5. & vide ad eum notas Sirmondi pag. 119.

9. *Florida cum teneris ſerviret amoribus aetas*] Forſan reſpicit illa Catulli carm. LXIX. ℣. 16.

Tempore quo primum veſtis mihi tradita pura eſt,
Jucundum cum aetas florida ver ageret;
Multa ſatis luſi &c.

10. *Eſſet & in pretio noſtra juventa ſuo* &c.] Suos iterum fecit hos verſus, ut paſſim, J. P. Lotichius Lib. I. Eleg. IV. pag. 49.

Mollis adhuc teneris cum luſibus aptior aetas,
Eſſet & in pretio laeta juventa ſuo.

Joh. Jov. Pontanus Lib. I. Amor. p. 8.

Sera meis veniet, veniet ſi fama libellis,
In pretio cum ſit noſtra ſenecta ſuo.

11. *Tunc ego regnabam* &c.] Eodem modo habuimus ſupra Lib. II. El. 3. ℣. 11.

Tunc ego regnabam, nec me felicior alter
Geſſit militiae ſigna, Cupido, tuae.

ubi vide. quae imitatus eſt Joh. Poſthius in Parerg. Poët. P. I. pag. 64.

Tunc ego regnarem, nec me felicior usquam
Eſſet in Hetruſcis collibus ullus amans.

Nunc vigor omnis abeſt, curisque exhauſtus amaris
Ingenii cecidit ſpiritus ille mei.
Ne tamen officium veteris tibi deſit amici,
Deſuetae repetam fila canora lyrae.
Ergo age, quae tenero celebras connubia cantu,
Ad nova conjugii gaudia Muſa veni.
Sed quia nec violas, nec laetos arida flores
Educat, aut molles terra peruſta roſas:
Sume Palatini culto de Principis horto,
Quae tegat ornatas laurus odora comas.
Turrigeram, Nymphis comitantibus, ibis in urbem,
Qua jacet imperii nobile Spira forum.
Aura favet, Caurique ſilent, dum mane rubentem
Evocat Auroram Lucifer, illa diem.
En etiam thalamo felices exſerit ignes
Cum matutino lucida ſole Venus.
His comitem roſeo ſe Jupiter addit in ortu,
Qua puer hibernas fundit amatus aquas.
Te quoque prima videt geminis cum piſcibus Eos,
Inventor curvae, Pleiade nate, lyrae.
Quaeque levat gravidas partu Lucina puellas,
Purpureum medio ſpargit ab orbe jubar.

Scili-

21. *Sume Palatini culto de principis horto, Quae tegat ornatas laurus odora comas*] ejusdem Palatini Principis horti meminit noſter, Lib. II. carm. 6.
Laure, Palatini quae conſita Principis horto
Ad Nicri liquidas innuba ſurgis aquas.
& Lib. V. Eleg. 13. ℣. 11.
Sive Palatini cultos in Principis hortos
Imus, in his oculi, quod lacrimentur, habent.

30. *Qua puer hibernas fundit amatus aquas*] vide ſupra ad Lib. II. El. 8. 23.

Scilicet haec taedae ſunt omina laeta jugalis,
Haec fortunati nuntia ſigna tori.
Sol oritur, referatque diem, jam lucet, eamus:
Plana ſiniſterior, nec ſalebroſa via eſt.
Tu Dea, cantantes ut eamus, amabile quiddam
Concine: jucundum carmine fiet iter.
Primus Hymen caram juveni, carumque puellae
Conjunxit juvenem, certaque jura dedit.
Ante vagos hominum genus exercebat amores,
Nulla verecundi cura pudoris erat.

39. — *cantantes ut eamus, amabile quiddam*
Concine: jucundum carmine fiet iter]
bona imitatio Virgilii Eclog. IX. 64.
Cantantes licet usque (minus via laedet) eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te faſce levabo.
Hercules Strozza Lib. I Amor. pag. 62. b. ed. Ald.
Cumque ratem ſubigam, ſi quam tu perditus ardes,
Concine, molle tuo carmine fiet iter.
hinc recte noſter infra, poſt inſertum de Hymenaei laudibus cantum, ſubjungit ✝.76.
Hymen, o Hymenaee, Hymen: ſed fallit? an amnem
Conſpicimus? brevior carmine facta via eſt.

41. *Primus Hymen caram juveni, carumque puellae*
Conjunxit juvenem & ſeqq.]
Cum pulcherrima hac caſti conjugii deſcriptione conferri meretur Joh. Jovianus Pontanus Lib. I. de Amor. Conj. El. 2. pag. 37. b. Poëm.
Primus Hymen trucibus mollivit corda puellis,
Atque animos facili contudit arte feros.
Primus inexpertos vinclo ſociavit amores,
Legitimo ſtatuens debita jura toro.
Et primus gratae decerpto flore juventae,
Primitias Veneris & ſua dona tulit.
& quae plura illic ſequuntur egregia.

43. *Ante vagos hominum genus excercebat amores,*
Nulla verecundi cura pudoris erat.
Invia pro thalamis nemorum deſerta petebant &c.]
Simplicitatem hanc liberam & innocuam primorum temporum miris laudibus paſſim veteres & recentiores efferunt poëtae. ſed diverſo quisque artificio. Amores autem iſtos ſine invidia aut rivalitate praeter cetera laudantes, nemora & ſilvas theatra communis & promiſcui amoris plerumque celebrant. elegantiſſimus e multis ſufficiat Propertii locus Lib. III. El. XI. ✝. 25.
Felix agreſtum quondam pagana juventus,
Divitiae quorum meſſis & arbor erant.
Illis pompa fuit decuſſa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena caniſtra rubis.
Nunc violas tondere manu, nunc miſta referre
Lilia virgineos lucida per calathos.
Et portare ſuis veſtitas frondibus uvas,
Aut variam plumae verſicoloris avem.

Invia pro thalamis nemorum deserta colebant,
Antraque furtivum saepe cubile dabant.

L l

Primus

His tum blanditiis furtiva per antra puellae
Oscula silvicolis emta dedere viris.
Hinulei pellis totos operibat amantes,
Altaque nativo creverat herba toro.
Pinus & incumbens latas circumdabat umbras,
Nec fuerat nudas poena videre Deas.

ita enim recte primo in versu correxit Janus Gulielmius Quaest. Plautin. pag. 239. & seqq. quod Broukhusio praeteritum, qui edidit, ut vulgo, *pacata juventus.* quarto versu cum Palmerio in Spicilegiis pag. 807. praeferrem *vimineos calathos.* quomodo etiam N. Heinsius Lib. I. Advers. cap. 9. p. 89. & in notis ad Propert. p. 727. quod probat Auctor Copae ✡. 16. ab Heinsio productus, qui Propertium illic, ut saepe aliis in locis, imitatur:

Et quae virgineo libata Acheloïs ab amne
Lilia vimineis adtulit in calathis.

& Claudian. Lib. II. de R. P. ✡. 138.

. — nunc vimine texto
Ridentes calathos spoliis agrestibus inplet.

licet vulgatam tueatur Broukhusius. deinde versu nono *furtiva antra* bene expressit noster, cum addit, *Antraque furtivum saepe cubile dabant.* Quod autem *vagos amores exercere* dicitur Lotichio, id phrasi venustissima, & a vulgi captu remotiore, vocabant veteres *passim amare.* Tibullus Lib. II. El. 3. ✡. 41.

Glans aluit veteres, & passim *semper amarunt,*
Quid nocuit, sulcos non habuisse satos?
Tum quibus adspirabat amor, praebebat aperte
Mitis in umbrosa gaudia valle Venus.
Nullus erat custos, nulla exclusura volentes
Janua. si fas est, mos, precor, ille redi.

ubi merentur legi Jani Douzae Praecidanea cap. VII. & notae Broukhusii; & bene uterque cum illo loco contulit pulcherrimos Jani Secundi versus, quibus ille aurei istius seculi imaginem optimis coloribus depingit Lib. II. Eleg. VII. ✡. 65.

Quam bene priscorum currebat vita parentum,
Innocuae Veneris libera sacra colens.
Nondum conjugii nomen servile patebat,
Nec fuerat Divis adnumeratus Hymen.
Passim *communes exercebantur amores*
Omnibus, & proprii nesclus orbis erat.

& quae plura illic sequuntur elegantissima. eadem quoque locutione in eodem hoc argumento usus est Joh. Jovianus Pontanus (ut Jani Douzae & Broukhusii exemplo recentiores cum veteribus conferamus) Lib. II. Amor. Eleg. 2. pag. 24. b.

Atque utinam in priscos redeant nova secula mores,
Aurea quis Latio regna fuisse canunt.
Cum passim *virides nullo custode per herbas*
Ibat amatori juncta puella suo.
Non quem dura parens, non quem pater inprobus illi,
Mutua sed placido junxerat ore Venus.

& Petrus Bembus elegantissimo carmine de amica a viro servata, pag. 854. Carminum; ubi felicissime Tibulli locum aemulatur:

Nullae vexabant curae mortalia corda,
Libertas illo tempore magna fuit.
Dura nec inscriptis adstabant legibus aera,
Culpa scelusque aberant, sollicitusque timor.
Nec vicina suis natam vetuere parentes
Non observatos ferre per arva pedes.
Nec socias lecti mos custodire puellas,
Liminaque obducta claudere firma sera.
Simplicitas magis ipsa juvabat, tum bona passim
Gaudia cum nullis juncta habuere malis.

in hac autem locutione illud *passim* idem valet quod fortuito, nullo ordine. vide Pricaeum ad Apulej. Lib. V. Met. pag. 260. Ceterum Tibulliana ista, quod Broukhusio non animadversum equidem miror, expressit aperta imitatione Pseudo-Gallus, Maximiani nomen vulgo circumferens, in Eleg. I. ✡. 63. & seqq.

Quam bene, cum ferrum nondum prodiret in auras,
Omnia pacis erant, & sua cuique satis &c.
Liber Amor, nulli mulier suspecta marito,
Casta satis, norat si qua negare palam.

Tum

Primus Hymen docuit lectum servare pudicum,
Et ſtatuit proprio quemque jacere toro.
Idem virginibus formae praecepta colendae
Tradidit, & cultus juſſit habere modum.
Neve genis, limisve oculis, nutuque loquaci,
Neve ſuperciliis falleret ulla virum.

Tu

Tum Venus ..... ſpirabat dulciter ignes,
Spiculaque in ſilvis tuta vibrabat amor.
Cur mihi non illis naſci, mea vita, diebus
Contigit, invidit quis bona tanta Deus?
verſui mutilo ſi inſeramus *innocuos* vel *ingenuos*, conſtabit, puto, ſenſus. e recentioribus, iique optimis illis Italis, eosdem Tibulli verſus felici, ſed ampliori, imitationis artificio ſecutus etiam eſt Hercules Strozza Lib. 1. Amor. El. 2. ad P. Bembum pag. 63. b.
Plurima Saturni rediere, ſed illa parentum
Libertas nusquam, ſimplicitasque redit.
In commune dabant ſegetem, in commune puellas,
Nemo ſua agnorat ſemina, nemo torum.
Valle ſub umbroſa Dominam quaerebat amator,
Oſculaque inventae non dare, crimen erat.
Felices nimium! quibus illo tempore naſci
Contigit, & tanta commoditate frui! &c.
Non erat una viro conjux, non una puellae
Copula, & ut libuit concubuere palam.
Jam feſſis dabat herba torum, dabat arbutus umbram,
Murmure ſopitis praetereuntis aquae. &c.
O mihi nunc mos ille redi & ſeqq.
eadem fere aut diverſa via in deſcriptione aureae & ab omni pompa vacuae ſimplicitatis inſiſtunt Marullus Lib. II. Epigr. 32. p. m. 39. Joh. Jovianus Pontanus Lib. II. de Amor. Conjug. p. 53. Baſilius Zanchius Lib. III. Poëm. p. 85. Joh. Fabricius Montanus Elegia de vita beata pag. 8 & 9. Poëm. Paullus Meliſſus Elegia prima, quae tota quaſi parodia eſt Elegiae primae Tibulli: tum plurimi alii ex antiquis & recentioribus, quos indicabunt notae Broukhuſii ad Tibull. Lib. I. El. 3. ✠. 35. qui locus poëtae cultiſſimi hac in parte pulcherrimus eſt, ſed uno illo verſu adhuc corruptus, ni fallor:
Non acies, non ira fuit, non bella, nec enſem
Inmiti ſaevus duxerat arte faber.
Nunc Jove ſub domino caedes & vulnera ſemper,
Nunc mare, nunc leto multa reperta via.
ubi conjecturam Heinſii *Non acies ferrive fuit* repudians Broukhuſius tentat, *Non animi, non ira fuit.* ſed forte vulgatae lectionis veſtigiis proprius inſiſtemus, ſi legamus,
Non rabies, non ira fuit.
rabies enim & *ira* hic juguntur, ut mox *caedes* & *vulnera.* firmat emendationem noſtram Virgilii locus Lib. VIII. Aen. ✠. 327. de aureo ſeculo:
Aurea, ſic perhibent, illo ſub Rege fuerunt
Secula, ſic placida populos in pace regebat;
Deterior donec paullatim ac decolor aetas,
Et belli rabies, & amor ſucceſſit habendi.
& Germanici in Arateis ✠. 111. in ejusdem ſeculi aurei deſcriptione:
Nondum veſanos rabies nudaverat enſes,
Nec conſanguineis fuerat diſcordia nota.
& e recentioribus Baſilius Zanchius Lib. II. Poëm. pag. 59.
— praeter ſolitum furor arma miniſtrat,
Et furor, & proprio rabies ſuffecta veneno.
ubi neſcio an non ab editoribus profluxerit repetitio intempeſtiva τῦ *furor*, & ipſe auctor dederit:
Et cruor, & proprio rabies ſuffecta veneno.
ut imitetur Tibullum Lib. II. El. 6. ✠. 20.
Hinc cruor, hinc caedes, mors propiorque venit.
de quo vide ſupra ad Lib. I. El. 2. ✠. 17. ſed jam nimium forte exſpatiati ſumus.

Tu populos, genialis Hymen, moderaris, & urbes,
  Tu facis unius corporis esse duos.
Nil sine te Venus alma potest, Jovis inclita proles,
  Conprobet adsensu quod bona fama suo.
Dulcis Hymen, Hymenaee, Hymen, quid gaudia differs?
  Taedifer Uraniae nate sororis ubi es?
Adspice, brumali dum torpet frigore coelum,
  Ut tristes errant per nemus omne ferae.

51. *limisve oculis*] eleganter. ita enim obliquos & lascivia prurientes oculos vocant veteres. Ovid. III. Am. I. 33.

Altera (si memini) limis subrisit ocellis.

vocem hanc eidem poëtae restituit Patruus meus Lib. III. Met. 642.

— laevam pete. maxima limo
Pars mihi significat; pars, quid velit, aure susurrat.

ita enim in Leidensi codice, pro *nutu*, quod in vulgatis. ut subintelligatur *oculo*. *obliquo oculo limare* dixit Horatius Lib. I. Epist. 14. ℣. 37.

Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat, non odio obscuro, morsuque venenat.

ubi *obliquum oculum* vocat lividum, invidiosum. vide Markland. ad Statii Silvas p. 230. & 231. Servius ad Virg. XII. Aen. 120. ubi de limo veste agit: *haec autem vestis habet in extremo sui partem limam, id est flexuosam, unde & nomen accepit: nam* limum *obliquum dicimus: unde & Terentius* limis oculis *dicit, idest obliquis.* Sed omnium optime *limos oculos* exponit Quintilianus Lib. XI. cap. 3. *Lascivi & mobiles aut natantes, & quadam voluptate suffusi, aut* limi *& ut sic dicam venerei, aut poscentes aliquid pollicentesve nonnumquam esse debebunt.* vide plura apud Donatum & Lindenbrogium ad locum Terentii, a Servio indicatum, qui est in Eunuch. Act. 3. Sc. 5. ℣. 53.

55. *Nil sine te Venus alma potest, Jovis inclita proles,*
Conprobet adsensu quod bona fama suo] Bene imitatur Catullum, Epithalamio Manlii & Juliae ℣. 56. & seqq. ubi dulcissimis versibus Hymenaei laudes celebrat:

Tu fero juveni in manus
Floridam ipse puellulam
Matris e gremio suae
Dedis. o Hymenaee, Hymen,
Hymen, o Hymenaee!
Nil potest sine te Venus,
Fama quod bona conprobet,
Commodi capere. at potest,
Te volente. quis huic Deo
Conpararier ausit.

ubi an recte *fero juveni* puellam dedere dicatur Hymen, merito dubitari possit. Tu lege ex veteri codice Antonii Perreji, cujus excerpta habuit Heinsius,

Tu fer ô juveni in manus
Floridam ipse puellulam
Matris e gremio suae.
Hymen, o Hymenaee, Hymen,
Hymen, o Hymenaee!

& sic video exstare in libro Commelini ano a Jacobo Kimedoncio, & duobus codicibus Palatinis a Jan. Grutero collatis; itaque hanc lectionem Catullo reddendam arbitror.

60. *Ut tristes errant*] *errent* magis ex usu veterum est, praecedente *adspice*. vide quae notavi ad Specim. Antholog. Lat. p. 39.

Nullus honor ſilvis, moerent ſine amore volucres,
  Et gemitu vidui turturis arva ſonant.
Coelibis haec vita eſt, conſorte carentis imago,
  Haec deſolati triſtis amoris hiems.
Eia age dulcis Hymen, quid vota moraris amantum?
  Huc ades o ſacris, blande Hymenaee, tuis.
Vere novo, molli cum vernat gramine tellus,
  Arbor & umbroſas explicat alta comas,
Luxuriant, ſaliuntque greges, tectaeque ſub altis
  Frondibus argutae conſociantur aves.
Gemmas vitis agit, teneras humus educat herbas,
  Induit & flores quaelibet herba ſuos.

Talis

64. *Haec deſolati triſtis amoris hiems*] pariter Ovid. Epiſt. V. ṽ. 34.

— ab illa
Peſſima mutati coepit amoris hiems.

quod imitatus eſt noſter ſupra El. 1. hujus lib. ṽ. 94.

Forſitan haec etiam tandem poſt nubila finem
Peſſima mutatae ſortis habebit hiems.

69. *Luxuriant, ſaliuntque greges*] vide Lib. 1. El. 6. ṽ. 19.

71. *Gemmas vitis agit, teneras humus educat herbas*] Elegans imitatio Ovidiana, Lib. III. A. A. 186.

Quot nova terra parit flores, cum vere tepenti
Vitis agit gemmas; pigraque cedit hiems.

& Lib. IV. Faſt. 128.

Nunc herbae rupta tellure cacumina tollunt,
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.

ceterum exemplo Ovidii hic numerum magis ſonorum forte praeferrent alii, ſi ſcripſiſſet auctor *Vitis agit gemmas*, ut caeſura molliorem efficiat verſum. ita certe in aliis poëtarum locis ſaepe numeros mutarunt, quibus aures faſtidioſe delicatae erant. apud Claudian. praef. III. Conſ. Honor. init.

Parvos non aquilis fas eſt educere foetus:

ubi Barthius concinniorem verſum futurum putat, ſi legeretur, *Non fas eſt aquilis parvos educere foetus.* melius tranſpoſuiſſet *Non aquilis fas eſt* &c. neque tamen mutat, ſed optimos etiam poëtas ita ſaepe peccaſſe notat, pluribusque ſe ea de re acturum promittit in Analectis Poëticis, quod opus numquam in lucem prodiit. peccavit igitur Tibullus Lib. 1. El. 10. ṽ. 57.

Semper ſint externa tuo veſtigia lecto.

ita tamen in vetuſtis manu exaratis codicibus legi teſtatur Broukhuſius, quem verborum ordinem alii, pentemimerin deſiderari putantes, mutarunt hoc modo:

Sint externa tuo ſemper veſtigia lecto.

ſed cur non mutarunt quoque in eadem Elegia ṽ. 61.

Illam ſaepe ferunt convivia ducere Baccho.

& peccaſſe, Barthio judice, dicendus erit Propertius Lib. 1. El. 5. ṽ. 23.

Nullas illa ſuis contemnet fletibus aras.

& bis in uno diſticho Lib. III. 21. 19.

Armis apta magis tellus, quam commoda noxae,
Famam, Roma, tuae non pudet hiſtoriae.

cur non & illic tranſpoſuerunt, quibus aures

Talis cum ſocia foecundus conjuge lectus,
Sic etiam fructum femina virque ferunt.
Hymen, o Hymenaee, Hymen: ſed fallit, an amnem
Conſpicimus? brevior carmine facta via eſt?
Dicite, qui colitis Rheni vada coerula, nautae,
Ecquis ad algentes conſtitit hoſpes aquas?
Sic ego: ſic Licmon, jam coelo quinta refulſit
Delia, nocturnos quae moderatur equos;
Cum teneram ducens forma praeſtante puellam
Cnodius hac agili remige fecit iter.
Cnodius, interpres legum, cui nectaris inſtar
Dulcis honorato profluit ore ſonus.

aures prae ſtupore veterum teretes magis ac rotundiores ſunt,

Apta magis tellus armis, quam commoda noxae,
Roma, tuae famam non pudet hiſtoriae.

& mirum ejusmodi cenſores non offendiſſe tamquam durum & elumbem ejusdem poëtae verſum Lib. II. El. 24. ✠. 9.

Quum te juſſit habere puellam cornua, Juno.

quem eadem libertate refingere potuiſſent hoc modo:

Cornua quum, Juno, te juſſit habere puellam.

& Lib. III. El 23. ✠. 35.

Excluſa inque vicem faſtus patiere ſuperbos.

qui certe hodiernorum rei poëticae judicum palato ſuavior eſſet:

Inque vicem faſtus patiere excluſa ſuperbos.

ſic Lib. III. El. 4. ✠. 25.

Non me moribus illa, ſed herbis improba vicit.

quem artificioſum ſingultantis puellae numerum deturparunt illi, qui cenſura adhibita tranſpoſuerunt, tamquam prae vehementi ira concitatae verba eſſent rapidiora;

Inproba non vicit me moribus illa, ſed herbis.

non diſſimili medicina, ſed intempeſtiva, ejusdem poëtae verſum emollire tentarunt Lib. IV. El. VII. ✠. 5.

Quum mihi ſomnus ab exſequiis penderet amaris.

quod recte e Colbertino codice reſtituit Broukhuſius, pro eo quod prius edebatur:

Quum mihi ab exſequiis ſomnus penderet amaris.

cui ſimile exemplum occurrit Lib. IV. El. 8. ✠. 63.

Cynthia gaudet in exuviis, victrixque recurrit.

ut ex Groningano, ſive Poſthiano, codice ſuum Propertio numerum reddidit idem Broukhuſius, pro eo quod mutarant librarii,

Cynthia in exuviis gaudet, victrixque recurrit.

ſed haec ſufficiant e plurimis pauca, ut pateat, quam periculoſum facinus admittant illi, qui ad ſuam trutinam penſant & caſtigant veterum artificium, veriſſimumque eſſe, notante Broukhuſio, illud Jul. Caeſ. Scaligeri dictum, paucis mortalibus datas eſſe aures poëticas.

Sed cum mane novo Tithonia ſurgeret uxor,
Exortaeque darent aſtra fugata locum,
Venit, neſcio quis, pharetra ſuccinctus & arcu,
Ales, egens oculis, & ſine veſte puer.

Hunc

83. *Cnodius, interpres legum, cui nectaris inſtar*
Dulcis honorato profluit ore ſonus]
Diu, fateor, de hoc Cnodio incertus haeſi, quia vel nulla vel rara apud alios ejus mentio eſt. ſed intelligi puto Johannem Cnodium, Juriſconſultum, cujus tumulum hoc Epigrammate ornavit Joh. Poſthius in Parergis Poëticis P. I. pag. 149.

Quis lapide hoc tegitur? legum Jurisque ſacerdos
Cnodius, atque ingens gloria Pieridum.
Quae ſedet ad buſtum illacrimans? Aſtraea, ſed unde
Veris opes medio frigore? Flora dedit.
Quid ſibi vult adamas rutilo circumdatus auro?
Sunt fidei, & ſanctae ſymbola amicitiae.
Unde odor hic? cineri Ciſnerus tura miniſtrat,
Cinnamaque & lacrimas, candida myrrha, tuas. & ſeqq.

Cnodii ejusdem funus carmine celebraſſe Nicolaum Ciſnerum patet ex ſequenti apud J. Poſthium carmine. Obſervent poëticae imitationis ſtudioſi Poſthium omne hujus Epigrammatis acumen debere Sannazario Lib. I. Epigr. 42. in tumulum Neaerae: quod incipit,

Quae voces? Charitum. quae circum pompa? Neaerae.
Unde odor hic? cineri tura miniſtrat Amor.
Unde pyra? ex pharetra. quinam ſtruxere? Lepores.
Aſt haec illacrymans quae legit oſſa? Venus.

ſed, quod magis mirari licet, Sannazarius illud totum ſibi vindicavit ex antiquo Epigrammate, a multis prolato:

Qui ſunt hi gemitus? Charitum. quae pompa? Camillae.
Unde odor hic? cineri tura miniſtrat Amor.
Unde pyra? ex pharetra. quisve ardet in igne? Lepores.
Quaeve eſt illacrimans? quae legit oſſa? Venus.

ut ad veterum poëtarum Catalecta videbimus. Ceterum Johannem hunc Cnodium Senae Interpretem juris & legum fuiſſe, & Ziegleros, patrem aeque ac filios, laurea ornaſſe patet ex iis quae infra occurrunt ✝. 110. ſeqq. his verſibus porro jurisconſultum hunc celebrat, ut facundum ſenem, inſtar Neſtoris Homerici Il. α. 249.

Τῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

quod decantatum Neſtoris elogium reſpexiſſe hic noſtrum puto: & vertit illud Cicero de Senect. c. 10. *vidiſtine ut apud Homerum ſaepiſſime Neſtor de virtutibus ſuis praedicet?* &c. *etenim (ut ait Homerus) ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio.* hinc *nectar*, *mel*, & *favus*, quaſi proverbiali locutione de eloquentia dicuntur. quod pluribus illuſtrant Graevius in Lect. Heſiod. cap. XXII. & N. Heinſius Lib. IV. Adverſ. cap. I. pag. 557.

85. *Tithonia ſurgeret uxor*] *Titania* ubique ſcribendum eſſe cenſebat Heinſius ad Ovid. IV. Faſt. 943. ſed quod ipſe revocavit in notis ad Valer. Fl. Lib. III. init. & recte. vide Markland. ad Statium Lib. I. Sylv. 2. pag. 21. & ad Lib. IV. Sylv. 6. 16. qui bene docet *Tithonia* ſemper de Aurora, ſed *Titania* de Luna dici, ſive ſimpliciter ponatur, ſive *uxor* addatur.

87. — *pharetra ſuccinctus & arcu,*
Ales, egens oculis, & ſine veſte puer]
Uno verſu conplexus eſt Lotichius, quod alii

Hunc fenior Celadon formofum dixit Amorem,
Dixit & accenfas virus habere faces.
Ille Deos omnes uffit, fluviumque tenentes
Naïdes: in ripa tela relicta jacent.
Venit & alma Venus (nec enim Dea notior ulla eft)
Et blandus Veneris terga fecutus Hymen.
Felices ripae, fortunatiffima tellus,
Numina tot pedibus quam tetigere fuis.
Fallor? an antiquae celfis in moenibus urbis
Tympana cum citharis rauca dedere fonum?
Templa petit fponfus, facras ut firmet ad aras
Promiffam thalami, numine tefte, fidem.
Qualiter inriguo flos intemeratus in horto,
Gramineum fuavi mulcet odore folum.

Sic

alii vel totis Elegiis vel Epigrammatibus, ad formam Propertii Lib. II. Eleg. IX. ubi quomodo pingatur Cupido, erudite defcribit. vide notas Broukhufii ad finem Elegiae, ubi inter alia adfert Marulli Epigramma doctum & venuftum, ut vocat, Graeculo ifti ceteroquin minus benignus, quod habetur Lib. I. Epigr. 59. idemque Marulli & Hieronymi Angeriani Epigramma comparavit Claud. Minos cum Alciati Emblem. 113. qui plura ex poëtis huc facientia illic notavit.

91. *Ille Deos omnes uffit*] An refpicit Virgilii locum elegantem in Ciri ✠. 137. de Cupidine:

Sed malus ille puer, quem nec fua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem
Jupiter. Ille etiam Poenos domitare leones,
Et validas docuit vires manfuefcere tigris,
Ille etiam Divos omnes: fed dicere magnum eft.

ita enim legendum putabat Heinfius, ut notavimus in Specim. Antholog. Lat. p. 2. cum vulgo edatur, *Ille etiam Divos, homines.* confer totum Senecae chorum in Hippolyto a ✠. 274. & feqq.

101. *Qualiter inriguo flos &c.*] fic nofter Lib. II. carm. 6. ✠. 25.

Halans qualis amaracus,
Dulcis quam liquor irrigat,
Cultos mane per hortulos
Auras mulcet odore.

quae fapiunt Catulliana Epithalamio Manlii ✠. 21.

Floridis velut enitens
Myrtus Afia ramulis,
Quos Hamadryades deae
Ludicrum fibi rofcido
Nutriunt humore.

Sic tenero vernat jucundae flore juventae,
Formoso juvenis corpore, mente senex.
Hoc faciunt mores, & docti pectoris artes,
Judiciumque sagax, eloquiique nitor.
At juxta celebres, Juris tria lumina, fratres,
Praesidium nuptae dulce sororis, eunt.
Una manus patrem (quis crederet?) unus eodem
Laurigero natos auxit honore senex:

In-

104. *Formoso juvenis corpore, mente senex*] Ita saepe juvenes prudentia insignes laudant poëtae, quem loquendi modum prolixe illustrat Rittershus. ad Guntheri Lib. I. ỷ. 286.

Mente senex, aetate puer.

sic in Epitaphio antiquo apud Almeloven. pag. 61.

Vicisti priscos longaeva aetate parentes,
Annis parve quidem, sed gravitate senex.

& apud Venantium Honorium Lib. I. p. 40.

Parvus eras annis, sed gravitate senex.

in quibus apparet imitatio Rutilii Lib. I. Itin. 470.

Vitae flore puer, sed gravitate senex.

ubi vide Castalion. & Barth. apud Virgilium Lib. IX. Aen. 311.

Ante annos animumque gerens curasque viriles.

quem expressit auctor Epitaphii apud Sirmond. ad Ennod. p. 36.

Ante annos animumque gerens aetatis avitae
Clarior in patria nobilitate Probus.]

& in alio Epitaphio apud eumdem p. 85.

Hinc est quod toto semper te flebimus aevo.
Quod fuerit juveni vis tibi multa senis.

Silius Italicus Lib. VIII. ỷ. 466.

Ora puer, pulcherque habitum, sed corde sagaci
Aequabat senium, atque astu superaverat annos.

ubi vide quos in notis suis laudat Cel. Drakenborchius. in Epitaphio Ludovici II. apud Pithoeum Lib. III. Epigr. vet. p. 92.

Quam sic pacifico sic forti pectore rexit,
Ut pueri brevitas vinceret acta senum.

& in Epigrammate Symmachi de Baulis Lib. II. pag. 53

Hos inter juvenile decus, sed honore senili
Bisseno celsus, Symmache, fasce cluis.

Ausonius in Parentalib Epigr. XIII.

Minor iste natu me, sed ingenio prior
Artes paternas inbibit.

similia e Graecis collegit B. Martinus Lib. II. Var. Lect. cap. 6. & Meursius in nota ad Callimach Hymn. in Jovem. ỷ. 57. & plura vide in notis ad Ovid. I. A. A. ỷ. 184. apud Dresem. ad Joseph. Iscan. Lib. I. 19. & Lib. IV. 62. Morell. ad Stat. Lib. II. Sylvar. p. 273. Ed. Cruc. & Barth. ad Claudian. p. 24. in hanc sententiam Plinius Lib. V. Epist. 16. *nondum annos quatuordecim impleverat & jam illi anilis prudentia, matronalis gravitas erat.* ubi Hearnius putans *anilis* vocem in malam partem semper accipi, legebat *senilis prudentia.* qua emendatione, licet ei adstipuletur codex prior Leidensis, quem aliquando contuli, tamen opus non est. nam sic *animum anilem* pro prudenti dixit Ovid. Epist. XI. 33.

Prima malum nutrix animo praesensit anili.

ita apud Ausonium Epitaph. XXXII. habes, *meritis anus est, aetate puella.* & in Parentalib. Ep. XII.

Moribus austeras aequiparavit anus.

Inclita ſublimi qua ſurgit vertice Sena,
Arbiaque Umbronae limpidus auget aquas;
Sena, domus quondam Phoebi, nunc turbine Martis
Triſte ſub Etruſci Principis acta jugum.

112. *Arbiaque Umbronae limpidus auget aquas*] Forte melius *Umbroni* ſcripſiſſet, quia *Umbro*, non *Umbrona* vel *Umbrone*, veteribus dicitur hic Etruriae fluvius, qui hodie *Ombrone* eſt. ſic Rutilio Lib. I. Itin. ℣. 337. ubi *non ignobile flumen* vocat:

Tangimus Umbronem: non eſt ignobile flumen,
Quod toto trepidas excipit ore rates.

quo loco optime illuſtratur, cur Umbro *navigiorum capax* laudetur Plinio Lib. III. cap. 5. apud Ravennatem Anonymum Lib. IV. Geogr. p. 222. inter Tuſciae civitates, quibus & fluvii inmiſcentur, *Umbro* & *Sena Julia* junguntur, cui tamen *Umbrone* vocatur pag. 211. vide Leandr. Albertum in Deſcript. Ital. pag. 48. qui & de *Arbia* flumine agit pag. 89. ubi docet extra Senam flumen Arbiam e montibus in Umbronem juxta Bonconventum defluere. Sed quod addat Volaterranum exiſtimare *Almam* Antonini eſſe, ſe vero excuſſo Antonini Itinerario nullibi nomen *Almae* repeřiſſe, in eo aut fallitur, aut inemendato Antonini codice uſus eſt. apud illum enim *Alma* flumen ſimul cum *Umbrone* memoratur pag. 500. editionis, quam luculentae eruditionis copiis inſtruxit Petrus Weſſelingius, vir in his literis maximus, qui, adnotato etiam Rutilii loco, verba Antonini ita conſtituenda recte arbitratur:

A portu Telamonis Umbronis fluvius.
Ab Umbrone fluvio lacu Aprile (vel *Prille*)
A lacu Aprile in Alma flumen &c.

an autem *Alma* Antonini eadem ſit ac *Arbia*, non definio. ita tamen, ad Leandri Alberti verba reſpiciens, cenſuiſſe videtur Ortelius in Theſauro ſuo Geograph. qui notat, *Alma, Etruriae fluvius Antonino, qui Leandro Arbia eſt.* memorat quoque hunc fluvium Arbiam, quam *frigidam* vocat, Georgius Fabricius in ſuo Itinere Patavino, ubi Senae urbis delicias valde celebrat, poſt Romam ejus edito, & in Itinerariis Reuſneri pag. 216.

Mox in equis rurſus, poſtquam Arbia frigida curſu
Praeterita eſt, altam Senae ſuperavimus urbem,
Delitias Italum &c.

113. *Sena, domus quondam Phoebi, nunc turbine Martis*
Triſte ſub Etruſci principis acta jugum] Reſpicit procul dubio Lotichius, cum Senam olim *Phoebi domum* fuiſſe dicit, ad celebratum Senae Gymnaſium omnium disciplinarum, quod deſcribit, & ſimul viros aliquot Senae eruditos ac celebres recenſet Leander Albertus Deſcript. Ital. p. 87. & ſuo adhuc tempore ſuperfuiſſe indicat G. Fabricius, loco modo laudato:

Vidimus hic ſedem Muſarum, & docta virorum
Nomina, qui cultas paſſim celebrantur ob artes.

id autem Fabricius, quem juvenis Lotichius vidit, cujusque Itineraria ſe legiſſe teſtatur Lib. V. Eleg. XV. 17. ſcripſit, antequam noſter hanc Elegiam conponeret, quo tempore Senam ſub poteſtatem Etrutriae Principis redactam hic teſtatur, per quem intelligit Coſmum Mediceum, qui bello Germanico Carolum Imp. copiis & opibus adjuvans per Marchionem Marignanum, vel Melenianum, Senas deditione cepit an. 1555. ibique mox omnem reipublicae ſtatum ordinavit, & tandem an. 1555. magno aſtu Philippum, Caroli filium, ad tra-

Te quoque non ausim dulci cum fratre silere,
O decus Agninae nobile, Marce, domus.
Condita nam memori sub corde recentia servo
Signa voluntatis non moritura tuae.
Sed jam sponsa venit, manibus deducta suorum,
Virgineumque regit conspicienda chorum.
Qualiter astrorum coelo Regina sereno
Luna, repercussis nocte refulget aquis:

Quale

tradendam sibi totam ditionem Senensem adegit; ut copiose narrat Thuanus Lib. xv. Hist. cap. viii. & xiii. & Lib. xviii. cap. x. & Natalis Comes Lib. ix. Historiar. pag. 191. & Lib. xi. pag. 239. aliique illius temporis Historici.

121. *Qualiter astrorum coelo Regina sereno Luna, repercussis nocte refulget aquis*] Comparatio est Virgiliana, de fonte Homeri petita, Lib. viii. Aen. 589.

Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum coelo, tenebrasque resolvit.

poëtis autem antiquis & recentioribus frequentissima est. pulchre Valerius Flaccus Lib. iii. ℣. 558.

Stagna vaga sic luce micant, ubi Cynthia coelo
Prospicit, aut medii transit rota candida Phoebi:
Tale jubar diffundit aquis: nil umbra, comaeque,
Turbavitque sonus surgentis ad oscula Nymphae.

ubi vide Patrui mei notas. & quae supra notavimus ad Lib. i. Eleg. 5. ℣. 17. sic de Phyllide sua noster Lib. ii. Carm. pag. 182. ed. vulg.

Qualiter, Eois cum surgit Lucifer undis,
Oceanum radiis vestit & arva suis.
Blanda verecundo sic ardent lumina vultu,
Sic oculis fiunt cuncta serena tuis.

Joh. Jov. Pontanus in Hymnis de Laudib. Divin. pag. 242.

Ipsa patris natique sinu gestata corusco
Inter mille Deûm numina prima micas:
Qualis ubi Oceani nitidum jubar extulit undis
Inter sidereos candida Luna choros.

pulcherrime Basilius Zanchius Lib. ii. Poëm. pag. 50.

Talis eras, qualem coelo redeuntibus astris
Hesperon argento similis vehit aurea Phoebe,
Talis eras, qualem coelo fugientibus astris
Luciferum rubicunda refert Matuta per auras,
Talis eras, qualem primaevo a cardine mundi
Fulgentem radiis, radianti & lampade Solem
Mirata est perfusa novis splendentibus aethra.

& Lib. vi. Poëm. p. 156.

O quoties, dum plena vago sese exserit orbe,
Puraque nocturnis Luna renidet aquis;
Suspiciens dixi, propior mea cura decentis
Est humeros, roseo sic decus ore nitet:
O quoties liquido vibrat dum lumine pontus,
Sic geminae fulgent sidera nostra faces.

Laurentius Gambara Ecl. iv. Lib. ii. Poëm. pag. 370.

Hinc faciem, roseoque genas fucata colore
Effulsit, ceu purpureo quum Lucifer ortu

Sur-

Quale vel Oceani liquidis jubar exserit undis
  Lucifer, Aurorae praevia stella suae:
Sic vivus micat ore nitor, sic lumina flagrant,
  Cincta superciliis lumina nigra suis.
Florida nativos comitatur gratia mores,
  Pone subit roseus subsequiturque decor.
Scilicet ingenuo cunctas in pectore dotes,
  Casta quibus laudem virgo meretur, habet.
Nec genus aut proavi desunt, & sortis amicae
  Munera inexhausto fonte beata fluunt.
Illa sed argutos in me quae figit ocellos,
  Adspicis ut molles erubuere genae?
Quaecumque est, utinam sese patiatur amari,
  Naturae facies arguit esse bonae.
Fortunata, sacro si qua es dilecta Poëtae,
  Spectabis cineres nomen habere tuos.
Ah pereat, quisquis praefert virtutibus aurum.
  Ingenium cunctas nobile vincit opes.

Surgit, & auratos ostentat ab aequore crines,
Et late spargit tremulum mare luce corusca.

Politianus Epicedio Albierae:

Tamque suas vincit comites, quam Lucifer ore
Purpureo rutilans astra minora premit.

vide Barth. ad Claudian. pag. 522. & 771.

128. *Pone subit roseus, subsequiturque decor*] apposite Valerius Flaccus Lib. VIII. ℣. 30.

Tum quoque siderea clarus procul ora juventa,
Qualis adhuc spatiis comitum per lustra caterris
Latmius aestiva residet venator in umbra,
Dignus amore Deae, velatis cornibus & jam
Luna venit. roseo talis per nubila ductor
Inplet honore nemus, talemque exspectat amantem.

quae simili Statii loco illustrat Patruus meus. sed levi emendatione eriges illic sensum, si legatur,

— velatis cornibus ut jam
Luna venit.

idest, exspectat Endymion Lunam, cum coelo jam fere delabitur nocte obscura.

Hactenus haec: Dea flecte genu, bona verba sacerdos
  Incipit, & sacras fundit ab ore preces.
Et canit, ut fuerit post prima exordia mundi
  Illa creatori proxima cura Deo:
Ut peragens dulci conjux cum conjuge vitam,
  Cognatum porro traderet usque genus.
Ergo velut patula vitis se tollit in ulmo,
  Vitis & inpositum sustinet ulmus onus:
Sic pius uxori vir adhaereat, uxor amati
  Sedula procuret remque domumque viri.
Sed bene habet, junxere manus, arasque relinquunt,
  Agmen & e sacra jam redit aede domum.
Nunc locus adfari sponsum, nunc jungere dextras
  Res sinit, & dulci solvere verba sono.
Marce, decus patriae, faciles cui munera Divi
  Omnia munifica contribuere manu,
Hospita linquentes vicini flumina Nicri,
  Venimus ad thalami gaudia festa tui.

Accipe,

147. *Ergo velut patula vitis se tollit in ulmo,*
Vitis & inpositum sustinet ulmus onus]
In animo iterum habuit Catullum Epithal. Manli ℣. 33.

Mentem amore revinciens
Ut tenax hedera huc & huc
Arborem implicat errans.

ubi ex Bodlejano codice lege *huc* & *illuc*. & ℣. 106.

Lenta qui velut assitas
Vitis implicat arbores
Implicabitur in tuum
Complexum &c.

sic in carmine Asmeni de laudibus Horti, in Catalect. Pithoei Lib. II. pag. 73.

Foecunda vitis conjuges ulmos gravat,
Textasve inumbrat pampinis arundines.

& in Epigrammate Pentadii de adventu Veris Lib. IV. pag. 173.

Vitea musta tument vicinas vincta per ulmos,
Fronde maritata vitea musta tument.

sic lege, non *juncta*. egregie haec illustrant notae N. Heinsii ad Ovid. XIV. Met. 666.

151. *Sed bene habet*] vide infra ad Eleg. IV. 201.

Accipe, quo potuit, confectum carmine munus,
  Aeternum nostrae pignus amicitiae.

Mm 3 Nos

159. *Accipe, quo potuit, confectum carmine munus* &c.] Noli dubitare quin Lotichius ipse scripserit,

Accipe, quod potui, confectum carmine munus.

est enim imitatio Catulliana carm. LXV. ✡. 150.

Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus
Pro multis, Manli, redditur officiis.

quam lectionem illic confirmant Bodlejanus & meus codex, licet in aliis editionibus habeatur, *quo potui.* & saepe haec formula a librariis permutata est in aliis veterum locis. Ovid. Epist. VIII. ✡. 5.

Quod potui, renui, ne non invita tenerer.

ubi in aliis *Quam potui.* vide istic notas, & ad Albinovan. ad Liv. ✡. 167.

Quod potuit, fecit, ne nil ageretur, amavit.

Virgilius Ecl. III. ✡. 70.

Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi.

in epigrammate antiquo apud Pithoeum Lib. III. Epigr. vet. in fine:

Quod potui, posui tibi, fida catella, sepulcrum.

vide Gronovii notas ad Livium Lib. XXVI. 32. sic apud Sannazarium, antiquis minime inferiorem poëtam, Lib. I. Epigr. 10.

Quod potuit tamen, auratas puer ille sagittas
Fregit, & extinctas maesta Erycina faces.

similiter apud Ovidium Lib. IV. Trist. 10. ✡. 112. forte corrigendum:

Tristia, quod possum, carmine fata levo.

vulgo *quo possum.* pro quo in aliis *qua possum.* Auctor Elegiae in Obitum Maecenatis ✡. 141. ut emendabat Scaliger,

Nunc ego, quod possum: Tellus levis ossa teneto.

male enim in aliis, & Pithoei editione, *Nunc ego quid possum?* Possis &, *Nunc ego, quod possum.* nisi *precor* vel simile quid subintelligas. ita in Epitaphio Homonaeae ab Atimeto scripto apud Pithoeum Lib. III. Epigr. vet. pag. 119.

At nunc, quod possum, fugiam lucemque
Deosque.

noster Lib. IV. El. 4. ✡.

Quod possum, tibi mane novo, tibi vespere sero,
Maesta tibi media carmina nocte canam.

imitationem vero hanc loci Catulliani aliter variavit Lotichius in Elegia ad Car. Clusium, quae exstat in Juvenil. pag. 301. Lipss. edd.

Cujus, quod licuit, confectum in funere carmen
Tecum per longas jussimus ire vias.

Ratio quae editores carminum Lotichianorum impulerit, ut ipsius poëtae scripturam mutarent, & nobis dederint, *quo potuit* subintell. fieri vel confici, forsan haec fuerit, quod eos offenderit variatio numeri *quod potui*, cum praecessisset *linquentes venimus* & sequatur *nostrae.* quae enallage numeri etiam non semel ansam dedit librariis corrumpendi antiquorum scriptorum loca, vitiosa illis visa. notum est illud Nemesiani initio Cynegetici:

Venandi cano mille vias, hilaresque labores,
Discursusque citos, securi praelia ruris
Pandimus.

quod alii mutarunt. & ut minus prudenter a Nemesiano factum censebat Scaliger de Re Poët. Lib. VI. pag. 851. Sed vide illic Vlitii notas. pariter exordio Argonauticon Valerius Flaccus:

Prima Deum magnis canimus freta pervia nautis.

& sequitur ✡. 5. *si Cumaeae mihi conscia vatis.* & ✡. 10. *Eripe me populis.* Tibullus Lib. II. El. 4. ✡. 5.

Et seu quid merui, seu quid peccavimus, urit.

Propertius Lib. II. El. 1. ✡. 3.

Non haec Calliope, non haec mihi dictat Apollo,
Ingenium nobis ipsa puella facit.

& Lib. I. El. 10. ✡. 13.

— didici reticere dolores,
Est quiddam in nobis majus, amice, fide.

ubi

Nos Liger, & Rhodanus, nos pubescentibus annis
  Junxit honoratae Sequana rector aquae.
Quique tot egregias urbes, nemorumque recessus
  Coeruleus tardis flexibus ambit Arar.

Nos

ubi vide Passeratium pag. 192. nihil etiam apud Ovidium frequentius. Epist. xviii. ✝. 13.

Non poteram celare meos, velut ante, parentes,
Quemque tegi volumus, non latuisset amor.

Lib. i. Am. 7. 61.

Omnia consumsi, nec te precibusque minisque
Movimus.

Lib. ii. Trist. v. 30.

— nec me meruisse negabo,
Non adeo nostro fugit ab ore pudor.

Lib. iv. El. i. ✝. 35.

Nos quoque delectant, quamvis nocuere, libelli,
Quodque mihi telum vulnera fecit, amo.

& El. 10. ✝. 199.

— tu nos abducis ab Istro,
In medioque mihi das Helicone locum.

iv. Fast. 862.

Dicta Pales nobis. idem Vinalia dicam.

Lib. i. ex P. Ep. 3. 91.

Nec loquar haec, quia sit major prudentia nobis.

sic Lib. ii. Epist. xi. initio, ter quaterve *nos* & *me* aeque ac pluralem & singularem numerum variat. Statius initio Achilleidos ✝. 8.

Tu modo, si veteres digno deplevimus haustu,
Da fontes mihi, Phoebe, novos.

idem in praefat. Lib. iii. Silvar: *Metium Celerem, quia sequi non poteramus, sic prosecutus sum.* & Lib. v. Silv. 2. ✝. 158.

— nos fortior aetas
Jam fugit: hinc votis animum precibusque juvabo.

ubi nonnulla notavit Marklandus. & plura Barthius ad Rutil. Lib. i. ✝. 35. Robbigius in Cod. Critic. Lib. iii. cap. xi. Cortius ad Cic. v. ad Fam. Ep. 14. Patruus meus ad Ovid. Ibin ✝. 5. & ad Virg. ii. Aen. 32. neque id rarum apud Graecos poetas. Euripides in Phoeniss. ✝. 500.

Ἐμοὶ μὲν, εἰ καὶ μὴ καθ' Ἑλλήνων χθόνα
Τετράμμεθ' &c.

Mihi quidem, licet non in Graecia
Simus educatae.

sic μέ post λαβώμεθα pro ἡμᾶς apud Anacreont. Od. xiv. ✝. 19. & 20. & ἐγὼ ὑμνήσαιμεν Theocrit. Idyll. xvii. 8. apud quem similem numeri variationem observavi in Epigrammate illo, quod operibus ejus praefigi solet, εἰς τὴν ἑαυτοῦ βίβλον:

Ἄλλος ὁ Χῖος· ἐγὼ δὲ Θεόκριτος, ὃς τάδε γράψα,
Εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμι Συρακοσίων.
Υἱὸς Πραξαγόραο, περικλειτῆς τε Φιλίνας,
Μοῦσαν δ' ὀθνείην οὔποτ' ἐφελκυσάμεν.

quod in suo exemplari in Leidensi Bibliotheca adservato ita vertebat Isacus Vossius:

Edidit & Chius: verum illa Theocritus alter
Unus & ex multis urbe Syracusiis.
Natus Praxagora, & praeclara matre Philinna,
Non colui Musas umquam alienigenas.

plura e Graecis dabunt Stolberg. ad Sophocl. Ajac. ✝. 732. & Rittershus. ad Opplan. Lib. iv. Cyneg. 217. Haec paullo uberius pro ratione harum notarum, ut tot exempla hujus enallages post alios e solis poetis prolata in posterum vel a censuris vel intempestivis emendationibus veterum loca vindicent.

161. *Nos Liger & Rhodanus* &c.] vide supra ad Lib. iii. El. 10. ✝. 7. eademque habentur Lib. ii. carm. 20.

Nos Arar & Ligeris, nos Sequana vidit, & ingens
Hospitio Rhodanus fovit utrumque suo.
Vidit & ad Ledi ripas praerupta Pyrene,
Qua tumidum praeceps in mare fertur Atax.

Nos ſimul Hadriacas puppi ſulcavimus undas,
Aequora qua Venetus proſpicit alta Leo.
Nec pater Eridanus, nec amoris neſcia noſtri
Felſina, quae lauro cinxit utrique comam.
Saepe graves tulimus morboſi ſideris aeſtus,
Inque pruinoſis Alpibus acre gelu.
Tempore tam longo nullis molleſcere vidi
Inlecebris ſenſus delitiisve tuos.
Unus amor nobis, eadem domus, una voluptas,
Laedere quam potuit nulla querela, fuit.
Nunc tibi parta quies, &, quod ſperare ſolebas,
A Superis caſti munus amoris habes.
Munus habes, regum gemmas quod vincit & aurum,
Et quidquid rubri volvit arena maris.

Quis

165. *Nos ſimul Hadriacas puppi ſulcavimus undas* &c.] vide notata ad Lib. II. El. 5. ℣. 41.

171. *Inque pruinoſis Alpibus acre gelu*] ſimilia occurrunt Lib. III. El. 10.

Inde ferax Latium petii, tendensque per Alpes
Frigus in aeriis rupibus acre tuli.

173. *Unus amor nobis, eadem domus, una voluptas* &c.] idem diſtichon habuimus ſupra Lib. I. El. 3. ℣. 17.

175. *Nunc tibi parta quies*] ſic ſupra Lib. III. El. 2. ℣. 51.

Vobis parta quies, de me Deus auctor amoris
Viderit &c.

quod deſumtum eſt e Virgilio Æn. III. 495.

Vobis parta quies: nullum maris aequor arandum.

& ſic ille ſaepe & alii poëtae. vide Markland. ad Statii Silvas pag. 87.

178. *Et quidquid rubri volvit arena maris*] Infra Eleg. ſeq. ℣. 98.

Non mihi maluerim, quidquid Tagus egerit auri,
Quidquid habet rubri dives arena maris.

179. *Quis non divitiis fidos uxoris amores Praeferat* &c.] Adhaeret Tibullo Lib. II. El. 2. ℣. 11.

Auguror uxoris fidos optabis amores,
Jam reor hoc ipſos edidiciſſe Deos.

Sannazarius Lib. I. El. 9. ℣. 53.

Felix qui fidos expertus conjugis ignes
Vidiſti ſobolis pignora certa tuae.

181. *Sis felix*] De hac bene precantis formula vide Broukhuſ. ad Tibull. III. 6. 30. noſter Lib. II. Carm. pag. 186.

Sit felix Marius, veteresque reviſat amores.

Nos Liger, & Rhodanus, nos pubefcentibus annis
   Junxit honoratae Sequana rector aquae.
Quique tot egregias urbes, nemorumque receffus
   Coeruleus tardis flexibus ambit Arar.

Nos

ubi vide Pafferatium pag. 192. nihil etiam apud Ovidium frequentius. Epift. xviii. ℣. 13.

Non poteram celare meos, velut ante, parentes,
Quemque tegi volumus, non latuiffet amor.

Lib. i. Am. 7. 61.

Omnia confumfi, nec te precibusque minisque
Movimus.

Lib. ii. Trift. v. 30.

— nec me meruiffe negabo,
Non adeo noftro fugit ab ore pudor.

Lib. iv. El. 1. ℣. 35.

Nos quoque delectant, quamvis nocuere, libelli,
Quodque mibi telum vulnera fecit, amo.

& El. 10. ℣. 199.

— tu nos abducis ab Iftro,
In medioque mibi das Helicone locum.

iv. Faft. 862.

Dicta Pales nobis. idem Vinalia dicam.

Lib. i. ex P. Ep. 3. 91.

Nec loquar haec, quia fit major prudentia nobis.

fic Lib. ii. Epift. xi. initio, ter quaterve *nos & me* aeque ac pluralem & fingularem numerum variat. Statius initio Achilleïdos ℣. 8.

Tu modo, fi veteres digno deplevimus hauftu,
Da fontes mibi, Phoebe, novos.

idem in praefat. Lib. iii. Silvar: *Metium Celerem, quia fequi non poteramus, fic profecutus fum.* & Lib. v. Silv. 2. ℣. 158.

— nos fortior aetas
Jam fugit: hinc votis animum precibusque juvabo.

ubi nonnulla notavit Marklandus. & plura Barthius ad Rutil. Lib. i. ℣. 35. Robbiglus in Cod. Critic. Lib. iii. cap. xi. Cortius ad Cic. v. ad Fam. Ep. 14. Patruus meus ad Ovid. Ibin ℣. 5. & ad Virg. ii. Aen. 32. neque id rarum apud Graecos poëtas. Euripides in Phoeniff. ℣. 500.

Ἐμοὶ μὲν, εἰ καὶ μὴ καθ' Ἑλλήνων χθόνα
Τεθράμμεθ' &c.

Mibi quidem, licet non in Graecia
Simus educatae.

fic με poft λαβώμεθα pro ἡμᾶς apud Anacreont. Od. xiv. ℣. 19. & 20. & ἐγὼ ὑμνήσείομεν Theocrit. Idyll. xvii. 8. apud quem fimilem numeri variationem obfervavi in Epigrammate illo, quod operibus ejus praefigi folet, εἰς τὴν ἑαυτοῦ βίβλον:

Ἄλλος ὁ Χῖος; ἐγὼ δὲ Θεόκριτος, ὃς τάδε γράψα,
Εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμι Συρακοσίων.
Υἱὸς Πραξαγόραο, περικλειτῆς τε Φιλίνας,
Μοῦσαν δ' ὀθνείην οὔποτ' ἐφελκυσάμεν.

quod in fuo exemplari in Leidenfi Bibliotheca adfervato ita vertebat Ifacus Voffius:

Edidit & Chius: verum illa Theocritus alter
Unus & ex multis urbe Syracufiis.
Natus Praxagora, & praeclara matre Philinna,
Non colui Mufas umquam alienigenas.

plura e Graecis dabunt Stolberg. ad Sophocl. Ajac. ℣. 732. & Rittershuf. ad Oppian. Lib. iv. Cyneg. 217. Haec paullo uberius pro ratione harum notarum, ut tot exempla hujus enallages poft alios e folis poëtis prolata in pofterum vel a cenfuris vel intempeftivis emendationibus veterum loca vindicent.

161. *Nos Liger & Rhodanus* &c.] vide fupra ad Lib. iii. El. 10. ℣. 7. eademque habentur Lib. ii. carm. 20.

Nos Arar & Ligeris, nos Sequana vidit, & ingens
Hofpitio Rhodanus fovit utrumque fuo.
Vidit & ad Ledi ripas praerupta Pyrene,
Qua tumidum praeceps in mare fertur Atax.

Nos simul Hadriacas puppi sulcavimus undas,
Aequora qua Venetus prospicit alta Leo.
Nec pater Eridanus, nec amoris nescia nostri
Felsina, quae lauro cinxit utrique comam.
Saepe graves tulimus morbosi sideris aestus,
Inque pruinosis Alpibus acre gelu.
Tempore tam longo nullis mollescere vidi
Inlecebris sensus delitiisve tuos.
Unus amor nobis, eadem domus, una voluptas,
Laedere quam potuit nulla querela, fuit.
Nunc tibi parta quies, &, quod sperare solebas,
A Superis casti munus amoris habes.
Munus habes, regum gemmas quod vincit & aurum,
Et quidquid rubri volvit arena maris.

Quis

165. *Nos simul Hadriacas puppi sulcavimus undas* &c.] vide notata ad Lib. II. El. 5. ✝. 41.

171. *Inque pruinosis Alpibus acre gelu*] similia occurrunt Lib. III. El. 10.

Inde ferax Latium petii, tendensque per Alpes
Frigus in aeriis rupibus acre tuli.

173. *Unus amor nobis, eadem domus, una voluptas* &c.] idem distichon habuimus supra Lib. I. El. 3. ✝. 17.

175. *Nunc tibi parta quies*] sic supra Lib. III. El. 2. ✝. 51.

Vobis parta quies, de me Deus auctor amoris
Viderit &c.

quod desumtum est e Virgilio Æn. III. 495.

Vobis parta quies: nullum maris aequor arandum.

& sic ille saepe & alii poëtae. vide Markland. ad Statii Silvas pag. 87.

178. *Et quidquid rubri volvit arena maris*] Infra Eleg. seq. ✝. 98.

Non mihi maluerim, quidquid Tagus egerit auri,
Quidquid habet rubri dives arena maris.

179. *Quis non divitiis fidos uxoris amores Praeferat* &c.] Adhaeret Tibullo Lib. II. El. 2. ✝. 11.

Auguror uxoris fidos optabis amores,
Jam reor hoc ipsos edidicisse Deos.

Sannazarius Lib. I. El. 9. ✝. 53.

Felix qui fidos expertus conjugis ignes
Vidisti sobolis pignora certa tuae.

181. *Sis felix*] De hac bene precantis formula vide Broukhus. ad Tibull. III. 6. 30. noster Lib. II. Carm. pag. 186.

Sit felix Marius, veteresque revisat amores.

Quis non divitiis fidos uxoris amores
  Praeferat ? & sobolis gaudia spemque suae?
Sis felix , faveatque tuis concordia votis,
  Mella fluant thalamo lacque merumque tuo.
Huc ades, o Hymenaee, novos jam vesper amores
  Advehit , Aonium Musa revise nemus.
Intrat Hymen thalamos: valeas, dulcissime Marce,
  I prior , exemplo mox sequar ipse tuo.

182. *Mella fluant thalamo lacque merumque tuo*] Formulam hujus adagii ad felicitatem omnem alicui adprecandam bene illustravit Cerda ad Virgilii Eclog. III. ℣. 89.

Mella fluant illi, ferat & rubus asper amomum.

ejusdem notae est Graecorum proverbium, ὦ Ζεῦς βρέχε μέλι, *o Jupiter, plue mel.* de quo vide Brassicanum in Chiliad. Erasmi pag. 733. e recentioribus Joh. Jovianus Pontanus Lib. II. Eridanor. pag. 135.

Maternos inple affectus, sedisque beatae
Dona fluant nato mellaque lacque tuo.

& Hier. Fracastorius Lib. I. Josephi, eximii poëmatis, ℣. 291.

— mox haec in regna reducet,
Lacte novo quae regna fluent, & melle perenni.

vide & Titii notas ad Nemesian. Ecl. I, ℣. 76.

184. *Aonium Musa revise nemus*] Sannazario forsan adhaeret Lib. II. El. 4. in fine:

Hactenus insigni cecinit testudine Musa,
Aoniasque volans laeta revisit aquas.

El E-

* Elegia IV.

AD GEORGIUM CRACOVIUM, JURECONSULTUM,

In obitum PHILIPPI MELANCHTHONIS.

Dum tepet apricus, Zephyris ſpirantibus, aër,
Blandaque purpurei tempora veris eunt:
Almaque foecundo ſe veſtit gramine tellus,
Arbor & umbroſas induit alta comas:
Errabam Nicri ſeceſſus inter amoenos,
Mollis adhuc vitreo rore madebat humus.
Prata videns circum, florum mirabar honorem,
Lenis ab herboſis dum ſtrepit aura jugis.
Grata ſalutabant orientis lumina Solis,
Dulce viatori mane levamen, aves:

* Elegiam hanc Lotichius Cracovio miſit addita Epiſtola, quae legitur Lib. I. Epiſt. 29. hujus edit. quaeque in editione Voegeliana pag. 116. huic Epicedio Melanchthonis praefigitur. ceterum Elegiae hujus initium eodem fere modo auſpicatus eſt Lotichius, ac Laurentius Gambara ſuum Epicedium valde egregium in obitum Marc. Antonii Anglerii Lib. III. Poëm. pag. 443. quod ex utriusque conparatione patebit. Sic enim ille:

Praevius Aurorae dum Lucifer exit ab undis,
Surgit & exacta nocte ſerena dies.
Brachia dum, viridesque comas nemora ardua pandunt,
Seque novo laetus gramine veſtit ager.
Errabam magni qua ſeſe effundit Juli
Fons ſacer, & Libyco marmore monſtrat opus &c.
Quum mihi fama tuos, Anglerì, nuncia caſus
Adtulit, & nati funera ſaeva tui.

illius autem Laurentii Gambarae poëmata non merebantur certe, ut tam inique ac ſordide de iis judicaret Muretus, ut vel ex Menagianis notum eſt Tom. IV. p. 179.

10. *Dulce viatori mane levamen*] Forſan reſpexit Catullum carm. LXVI. ad Manlium:
Dulce viatori laſſo in ſudore levamen.
ubi probare non poſſum codicum nonnullorum veterum lectionem *baſſo*, licet ita quoque in uno Palatino, & in noſtro codice MS. diſertim legatur, & placuerit valde Iſ. Voſſio, qui *baſſum ſodorem* pro craſſo & pingui interpretatur. ea certe *baſſi* ſigni-

Nuncia quum luctus tua venit epiſtola, Craco,
O quoties lacrimis humida facta meis.
Sic igitur moriens, ſic, o divine Melanchthon,
Funere perturbas gaudia noſtra tuo!
Raptus es, heu (nec vana fides) tumulumque recentem
Adtonitus muta praeterit Albis aqua.
Scilicet haec miſeris deerat ſors ultima rebus.
Hic cumulus noſtris debuit eſſe malis.
Deſeris inſanis puppim, bone rector, in undis.
Nutat, & in medio fluctuat illa mari.
Te ſine nil laetum nobis, nec amabile quidquam,
Delicias mundi ſuſtulit una dies.
Morte tua coeli facies mutata ſereni,
Terraque vix natas maeſta recondit opes.
Paſtoresque ſonant vacuos lugubre per agros,
Atraque mutato ſidere ſquallet hiems.
Ipſe ego, qui viridi redimitus tempora myrto
Laetus odorati tempore veris eram,

Fin-

ſignificatio eſt. Gloſſae MSS. Voſſianae: *Baſſos, pingues, obeſos.* & in alio Gloſſario inedito: *Baſſa, pinguis, obeſa. Baſſa, pinguis.* vide Du Cangii Gloſſar. Lat. in *baſſus.* Palmerius in Spicilegiis pag. 205. legit *viatori paſto*, vel cum hiatu *aſſo in ſudore.* ſed fruſtra. nam *viatori laſſo* jungenda ſunt. ut apud Ovid. I. Am. 13. ✝. 13. ad Auroram:

Te ſurgit, quamvis laſſus, veniente, viator.

19. *Deſeris inſanis*] Ovidium imitatur Triſt. 5. 6. 7.

Fluctibus in mediis navem, Palinure, relinquis. Hoogst.

21. *Nec amabile quidquam*] ſic ſupra Lib. III. El. 7. ✝. 19.

Nunc dolor includit vocem, nec amabile quidquam
Suggerit ingenio Muſa vocata meo.

& Eclog. II. ✝. 52.

Sed neque jam pulchrum ſupereſt, nec amabile quidquam,
Nec prior illa colit ſilvas & rura voluptas.

23. *coeli facies*] Elegantiſſimus fabulator Phaedrus Lib. IV. 16. 5.

Faciem ad ſerenam ſubito mutatur dies.

Hoogst.

Fingebamque tuas quae poſſent ire per aures,
  Tutaque judicio docta per ora tuo,
Nunc ſtudium, Muſasque omnes, lucemque peroſus,
  Carmina lugubri concino maeſta lyra.
Haec cineri ſuprema tuo ſint munera, quamvis
  Gratia par meritis non queat eſſe tuis.
Nec mihi ſpes aequare tuae praeconia laudis.
  Arduus ingenii divitis ille labor.
Qui volet, is Libycae numerum ſubducat arenae,
  Cum rapidum Pleias turbat aquoſa fretum.
Sat mihi, ſi noſtrum dolor hic teſtetur amorem,
  Meque obitu gemitus non tenuiſſe tuo.

37. *Qui volet, is Libycae numerum ſubducat arenae* &c.] Felix imitatio Virgiliana Lib. II. Georg. 105.

Sed neque quam multae ſpecies, nec nomina quae ſint
Eſt numerus; neque enim numero conprendere refert:
Quem qui ſcire velit, Libyci velit aequoris idem
Diſcere quam multae Zephyro turbentur arenae:
Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Noſſe, quot Jonii veniant ad litora fluctus.

ſic alia in re Catullus carm. VII.

Quaeris, quot mihi baſiationes
Tuae, Lesbia, ſint ſatis ſuperque?
Quam magnus numerus Libyſſae arenae
Laſerpiciferis jacet Cyrenis.

idque imitatus Joh. Jovianus Pontanus de Laudib. Divin. p. 244. b. Poëm.

Deſino. nam levius Libycae numerentur arenae,
Ocyus & medio quae ſalit alga mari.

noſter ſupra Lib. II. El. 6 ℣. 73.

Ille ſed aequoreae numerum ſubducat arenae,
Qui volet undivagos enumerare greges.

quibus eadem ſed paullo ampliora habes in carmine in Rondeletii Hiſtor. Piſc. quod exſtat in Juvenil. p. 305. edd. Lipſſ.

Ille ſed aequoreae numerum ſubducat arenae,
Quotque tegat coelum noſſe laborat aves.
In ſcopulis frutices, in litore conputet algas,
Qui velit undivagos enumerare greges.

Ovidius Lib. I. Artis ℣. 254.

Quid tibi femineos coetus, venatibus aptos,
Enumerem, numero cedet arena meo.

Calpurnius Ecl. 2. ℣. 72.

Qui numerare velit, quam multa ſub arbore noſtra
Poma legam, citius tenues numerabit arenas.

Iisdemque veſtigiis inſiſtit Guntherus, egregius optimorum poëtarum imitator, Lib. V. Ligur. ℣. 333.

Qui velit expreſſis metiri ſingula verbis,
Hunc ego litoreas numerare fatebor arenas
Poſſe, vel in magno radiantia ſidera coelo.

Nam licet occiduo traherem ſub cardine vitam,
Veſpere qua laſſis Sol juga demit equis:
Seu populos inter Phoebi quos inficit ignis,
Sidera quos extra noſtra jacere ferunt:
Has tamen inferias quocumque ſub aethere ferrem,
Et memor ignoto ſtaret in orbe lapis.
Te puerum vix linquentem cunabula Muſae
Certatim donis excoluere ſuis.
Maternaque tibi conſanguinitate propinquus
Monſtravit verae Capnio laudis iter:

Cap-

ubi utroque utitur poëtico ἀδυνάτῳ arenas litoreas & ſtellas numerare. de quo altero vide Barthii notas ad Rutil. Lib. I. ỽ. 91. & ſic utrumque conjungit e recentioribus Joh. Jov. Pontanus pag. 245. Poëm.

At veluti numero ſtellas comprendere non eſt,
Quantaque in Oceani litore arena jacet.

& e veteribus Catullus Epithalamio Manlii & Juliae carm. LXII. ỽ. 206.

Ille pulvis Erythrii
Siderumque micantium,
Subducat numerum prius,
Qui voſtri numerare volt
Multa millia ludi.

ſic locum emendavit Iſ. Voſſius in notis pag. 145. *pulvis* genitivo antiquo, pro *pulveris*, & *Erythrium pulverem* dici, quas arenas Cyrenaicas vocavit loco ſupra prolato, interpretatur. Broukhuſius tentabat, *Ille pulveris aridi.* ut *ſicca arena* Virgilio. *eritbrei* in meo codice. ſed quia *pulveris* conſtanter legitur in MSS. hinc *pulveris aetheri*, ideſt *aetherii*, corrigit Heinſius ad Catullum pag. 644. poſt Adverſaria. ut atomos innuat, vel *pulveris Africi.*

50. *Capnio*] Intelligitur Joannes Reuchlinus, qui excitatis in Germania literis Latinis Graecis, & Hebraicis, inter primos viam elegantioribus literis aperuit, quemque Eraſmus in ſuis Epiſtolis Lib. II. Epiſt. I. hoc inſigni elogio ornat: *Eximius ille vir Joannes Reuchlinus Phorcenſis, trium linguarum Graecae, Latinae, & Hebraicae paene ex aequo peritus: ad haec in nullo doctrinae genere non verſatus, ita ut cum primis certare poſſit. unde merito virum hunc ceu Phoenicem & unicum ſuum decus tota ſuſpicit ac veneratur Germania.* Hujus viri magni, ſed indignis modis a rudibus ſuae aetatis monachis vexati, & Judaismi accuſati, cauſſam prolixe agit Eraſmus in ejusdem Epiſtolae fine apud Leonem X Papam, & apud Raphaelem Cardinalem S. Georgii in Epiſt. 3. totiusque rei ſummam exponit in Epiſtola ad Jacobum Hoogſtratum, ſummum Capnionis adverſarium, Lib. XVI. Ep. 19. & peculiari narratione praeceptoris ſui famam vindicavit Philippus Melanchthon. vide Camerar. in vita Melanchth. p. 16. 17. ſeqq. unde patebit Reuchlino Melanchthonem conſanguinitate materna junctum fuiſſe. Adde Struvium in Actis Literar. T. I. pag. 97 & ſeqq. Sed inter illos, qui Capnionis cauſſam adverſus Monachorum rabiem egregie ſuſcepit.

Capnio, quem Tybris, quem frater Tybridis Arnus
  Progeniem nostri sanguinis esse negant.
Illius Arctoas jussu digressus in oras,
  Coepisti ingenii spargere dona tui.
Et velut exiguus primum sine nomine rivus
  Per viridem tenui murmure serpit humum,
Mox magis atque magis labendo viribus auctus,
  Communes populis sufficit uber aquas:
Sic artes crevere bonae, tua gloria crevit,
  Adjecitque aliquid proxima quaeque dies.

For-

pit, memorandus est Hermannus Comes Nuenarius seu Novae Aquilae, vel sola Eginharti & Annalium Monachi Benedictini editione bene de literis meritus, tum eques ille illustris Ulrichus Huttenus, genere Francus, qui sociata cum Capnione, Erasmo aliisque opera, editis Obscurorum Virorum Epistolis, lepidissimo Satyrarum genere, barbariem & ruditatem eorum tam feliciter expressit, ut in initio ab ipsis Monachis magno cum plausu exceptae fuerint, tamquam in suas laudes & Reuchlini invidiam conpositae essent, ut scribit Erasmus Lib. XXII. Epistolar. pag. 1195. sed quomodo deinceps, minime seriam esse rem admoniti, in pudorem acti, & a Leone X. earum publicationem inpetrare conati fuerint, enarrat Jovius in Elogiis p. 285. vide Amoen. Liter. Tom. IX. p. 660. & prolixe Burchardum de Fatis L. L. in German. cap. V. pag. 319–338. *Capnio* vocari maluit, Germano nomine ex more illius temporis Graece expresso, ne Latine *fumeus* vocaretur. quo respiciens Morhofius Lib. I. Polyh. c. XIX. § 36. scribit eum potius Phosphorum a luce, quam a fumo Capnionem dicendum, quia ab eo prima quasi aurora eruditionis elucescere coepit. adeo ut Horatianum illud *Non fumum ex fulgore sed ex fumo dare lucem* vere de Reuchlino dici possit. plura de eo vide apud Gesnerum in Biblioth. pag. 398. ubi omnia ejus opera recensentur. Pantaleon. de viris Illustrib. German. Part. III. pag. 23. Konigium in Biblioth. vet. & nov. pag. 164. & Melch. Adam. in vitis Germ. Philosoph. pag. 17. seqq. in funere Reuchlini elegans Epicedium est Eobani Hessi inter ejus Poëmata pag. 302. Sed meretur vir suae aetatis absque controversia maximus, ut cum cura ejus vita ac fata perlegantur, quorum plenissimam descriptionem civis ejus Johannes Henricus Majus Phorcensis copiose perscripsit libro Durlaci edito an. 1687.

54. *Coepisti ingenii spargere dona tui*] simile illud Lib. II. El. 2. ℣. 34.

Nunc tibi parta quies, geminasque reversus ad Arctos
Ingenii profers munera larga tui.

quod imitatus Joh. P. Lotichius pag. 108. Poëmat.

Qui modo Palladias excultus rite per artes
Ingenii profers dona polita tui.

60. *Adjecitque aliquid proxima quaeque dies*] Forte respicit Ovid. III. A. A. 152.

Nec mihi tot positus numero conprendere fas est,
Adjicit ornatus proxima quaeque dies.

Fortunata nimis sub sidere Maenalis ursae
  Terra, prius foedo squallida tota situ.
Ille tuas jussit Musas regnare per urbes,
  Et pulsare novo pectine fila lyrae.
Inclita tunc geminae rediit facundia linguae,
  Barbariesque dedit, cedere jussa, fugam.
Calliopeque suis comitata sororibus ultro
  Moenalio posuit laeta sub axe domum.
Tum pater, ignotum prius atque ignobile flumen,
  Cornua limosa sustulit Albis aqua.
Et, quos nulla prius flores conspexerat aetas,
  Fudit odorifero terra benigna sinu.
Hinc legere novi sibi serta recentia vates,
  Gloria quos humeris evehit alta suis.
Seu vada, care senex, habitasses Syrtis iniquae,
  Sive sub Haemoniis invia saxa jugis:
Illuc Castaliae migrassent sponte sorores,
  Ortus & Aoniae fons novus esset aquae.
Fallor? an hoc terris Superi restare monebant,
  Sideraque in cunas officiosa tuas?
Cum Jove Mars primo fulsit tibi mitis in ortu,
  Thessalus hospitio fovit utrumque senex.
Inventorque lyrae faustos tibi praebuit ignes,
  Humida qua liquidas urna refundit aquas.

Fal-

61. *sub sidere Maenalis ursae*] vide ad Lib. 1. El. 1. ỳ. 1.

68. *Moenalio*] *Moenalia* vitiose in edd. vulg.

Falciferumque ſenem, quamvis nil triſte minantem,
  Molliit in quinta candida ſede Venus.
Cynthia per felix in culmine virginis aſtrum
  Oppoſitos fratris currere vidit equos.
Inde tot egregiae culto ſub pectore dotes,
  Dona tot, ignorat quae rude vulgus, erant.
Gratia Dìs, quod laeta tuo mihi tempore naſci,
  Praeceptisque tuis fata dedere frui.

Sep-

84. *urna refundit*] in vulgatis *vena refundit.* in apographo Hoogſtratani, *vena recondit.* quod tamen in nulla editione inveni. forte ſcripſit Lotichius *urna recondit aquas.* ut ſit imitatio Propertii Lib. II. El. 23. ℣. 50.

Et leviter nymphis tota crepitantibus urbe,
Quum ſubito Triton ore recondit aquam.

ubi *recondit* idem notat quod revomit, refundit. vide illic Broukhuſium, & quos in notis ſuis laudat. praetuli tamen editionis Voegelianae lectionem *urna refundit aquas.* ſimiliter de Aquario in Epigrammate Euphorbi apud Pithoeum Lib. IV. Epigr. vet. pag. 170.

Quique refundit aquas, & Piſces ultimus ordo.

& apud Avienum in Arateis Phaenomenis ℣. 550.

Troicus haurit quas fundit ephebus ab urna.

ut cum Heinſio legendum eſſe notavimus ſupra ad Lib. II. El. 8. 23. ubi plura de ſignis illis Genethliacis. *urna* autem, non *vena*, recte ſe habet, ut in illo Avieni loco. hinc *puer urniger* in Epigrammate Hilaſii de ſignis coeleſtibus apud Pithoeum Lib. IV. pag. 168.

Et qui portat aquam puer urniger, & duo Piſces.

& in carmine Aſclepiadii,

UrnaqueNimbiferi,Piſcesque noviſſima forma.

& Baſilii pag. 169

Quique urnam gerit, & Piſces duo ſigna ſub imo.

ſic ſcribe ex cod. Voſſiano, non *ſub uno.* quomodo noſtrum etiam legiſſe conjici poſſet ex ejus imitatione Lib. II. El. 13. ℣. 33.

Iliacusque puer liquidas fundebat in imo
Cardine, qui ſuperis pocula miſcet, aquas.

vide imaginem Aquarii ex urna aquas fundentis in Grotii Syntagm. Arat. pag. 49. ubi in verſibus Germanici lege cum Heinſio,

Nec procul hinc dextra defundit Aquarius undas,
Atque imitata cadunt errantes ſigna liquores.

91. *Gratia Dìs, quod laeta tuo mihi tempore naſci* &c.] pariter noſter Eclog. VI. ℣. 371.

Felices animae, quibus illo tempore naſci
Contigit &c.

Hercules Strozza Lib. I. Amor. El. 2. p. 63.

Felices nimium, quibus illo tempore naſci
Contigit, & tanta commoditate frui.

quae videntur expreſſa ex Elegia I. Pſeudo Galli ℣. 69.

Cur mihi non illis naſci, mea vita, diebus
Contigit, invidit quis bona tanta Deus.

non diſſimile illud Naſonis Lib. III. A. A. 121.

— ego me nunc denique natum
Gratulor; haec aetas moribus apta meis.

Rutilius Lib. I. Itiner. ℣. 5.

O quater & quoties non eſt numerare beatos
Naſci felici qui meruere ſolo!

ut emendat N. Heinſius ad Ovid. II. A. A. 25 Valerius Cato in Diris prope finem:

Infelix ego, non illo qui tempore natus,
Quo facilis natura fuit: ſors o mea laeva
Naſcendi, miſerumque genus, & ſera libido
Tanta meae &c.

ubi

Septimus a decimo (memini) jam ducitur annus,
(Tam cito tot laeti praeteriere dies)
Cum tibi praeclaras puer erudiendus in artes
Traditus, Aonidum captus amore, fui.
Non mihi maluerim quidquid Tagus egerit auri,
Quidquid habet rubri dives arena maris.
Tu mihi monſtrabas bifidi juga frondea montis,
Deducens fida, ceu pater ipſe, manu.
Non tibi per Latium, tot clara per oppida, vidi,
Sequana nec tumido qua fluit amne, parem.
Clara per Europam tua fama, per Aſida terram,
Nec Libye laudes neſcit aduſta tuas.

Tu

ubi D. Heinſius in notis ad Heſiodum ℣. 172. legit, — *ſors o mea lenta Naſcendi* &c & ex illo Heſiodi loco totum adumbratum notat. Ceterum ut hic Lotichius ſibi gratulatur ſe Melanchthonis aetate natum eſſe, ita Patrui ſui tempore ſe non vixiſſe dolet J. P. Lotichius p. 104. Poëmatum:

Hei mihi quod tali me non quoque tempore naſci
Contigit, aut vita te propiore frui.
Me tua Caſtalias puerum duxiſſet ad undas
Dextra per ignotas fida magiſtra vias.

quae expreſſa ſunt ex iis, quae ſupra occurrunt Lib. II. El. 2. ℣. 55.

Me miſerum quod non alio mihi tempore naſci
Contigit, aut vita non meliore frui.

93. *ducitur annus*] In editionibus, quas equidem vidi, *aetas*. vitioſe. niſi forte in ſchedis auctoris fuerit,

Septima poſt decimam (memini) jam ducitur aetas.

ut apud Virg. I. Georg. 284.

Septima poſt decimam felix.

ſed tunc praeſtaret,

— *jam ducitur aeſtas.*

ut apud Ovid. IV. ex P. Ep. 10. 1. *bis tertia ducitur aeſtas. aetas* enim non de anno, ſed de ſeculo dicitur. ut Neſtor apud Ovid. XII. Met. 198. *vixi Annos bis centum, nunc tertia ducitur aetas.* ut in nonnullis melioris notae codicibus illic legitur, non *vivitur*. ſed *ſeptimus a decimo annus* pro ſeptimo decimo dicitur, ut *alter ab undecimo* pro duodecimo eidem Virgilio Ecl. VIII. ℣. 39.

Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus.

ubi male tertium decimum exponit Servius. vide illic notas, & Perizon. Animadv. Hiſt. cap. VII. pag. 282.

97. *Non mihi maluerim* & ſeqq.] vide ad Lib. V. El. 17. 69.

99. *Tu mihi monſtrabas bifidi juga frondea montis*] vide ſupra El. 2. ℣. 35 Lib. III. El. 7. ℣. 29. & Lib. II. El. 15. ℣. 39.

104. *Nec Libye laudes neſcit aduſta tuas*] Joh. Jovianus Pontanus Lib. I. de Amor. Conj. pag. 36. b.

Non uſta adſiduo ſole Libyſtis humus.

ſic *Libyco ſole peruſta coma* apud Propert. Lib. IV. 9. 46.

Tu praecepta Dei pandens arcana, docebas,
Gaudeat ut pura mente fideque coli.
Doctrinaeque pio coelestis amore, ferebas
Mille viae casus, taedia mille senex.
Non magis hac judex, quam parte severus in illa,
Justa velut premitur pondere libra pari.
Inpia nec contra dirae convicia linguae
Caussa lacessitas inpulit aequa manus.
Non ego mordaci perstringam carmine quemquam,
Nullus in hoc umquam pectore livor erit.

106. *Gaudeat ut pura mente fideque coli*] Aperte respicit ad initium Distichorum Moralium Catonis nomen male venditantium:

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi praecipue sit pura mente colendus.

quibus in versibus recte Ill. Cuperus Lib. II. Observ. cap. 17. exponendum censet, aliter ac vulgo fieri solet, *Si animus est Deus.* quod Wachius in notis suis etiam probavit. Est enim ex dicto Platonis ὁ νῦς ἀνθρωπινὸς θεος, quam sententiam refert Fabius Planciades, seu Fulgentius de Contin. Virg. pag. 144. ubi vide Munckeri notas. idem ex Menandro apud Plutarchum notant viri docti, ὁ νῦς γὰρ ἡμῶν ὁ θεὸς. & in eamdem rem apud eumdem Heraclitus ἦθος ἀνθρώπυ δαίμων. *Mores hominis Deus.* vide Davies. ad Cic. I. Tusc. Quaest. 26. n. 6. Itaque distinguendum,

Si Deus est animus nobis, ut carmina dicunt.

& per *carmina* intellige Philosophorum sententias. vide D. Heins. ad Hesiod. p. 206. Barthii Epist. ad Daum. in Miscell. Lips. Vol. VIII. p. 372. & Cl. Corn. Val. Vonckii Observ. Misc. post Specim. Crit. cap. IV.

113. *Non ego mordaci perstringam carmine quemquam*] Rectius esset *destringam*, ut in loco Ovidii, quem mutuatur auctor, Lib. II. Trist. 563.

Non ego mordaci destrinxi carmine quemquam.
Nec meus ullius crimina liber habet.

ubi glossam sapit codicis illius lectio, quae habet, *detraxi carmine cuiquam.* imitatur Ovidium Sidonius Apollinaris carm. IV. 15.

Non ego mordaci fodiam modo dente Maronem.

Phaedrus Lib. I. fab. 29. 2.

Gravi destringunt alios contumelia.

& Lib. IV. fab. 6.

Tu, qui, nasute, scripta destringis mea.

Ovid. II. Trist. 466.

Destrictus minima nec tamen ille nota est.

similia vide apud Ciofan. ad Ovid. II. Trist. ℣. 350. *mordacia carmina* bene illustrat Markland. ad Stat. I. Silv. 2. 27. ubi emendat:

Cessent mordaces obliqui carminis aestus.

pro vulgato *mendaces.*

Si tamen audebunt manes violare fepultos,
Tifiphone furiis quos agit atra fuis:
Non cineres, venerande, tuos patiemur inultos.
Pro tumulo pietas induet arma tuo.
Albi pater, pater Albi, leves abiere per auras
Omnia, quae propter vivere dulce fuit.
Si quid habent veri timidae praefagia mentis,
Poena venit lento fera, fed ampla, pede.
Jam video inftantes fatali lege ruinas,
Praeliaque & fufo pingue cruore folum.
Volvimur huc illuc, veluti fpoliata magiftro
Cymba per Aegeas naufraga fertur aquas.

Ergo

122. *Poena venit lento fera, fed ampla, pede:*] Ex Propertio Lib. III. El. 4. ℣. 32.

Poena erit ante meos fera, fed ampla, pedes.

fupra nofter Lib. I. El. 8 ℣ 98.

Nefcio quae clades fera, fed ampla, venit.

in hunc fenfum fimile illud Balth. Caftilionei in Carm. Poët. Ital. Tofcani p. 66. b.

Inque malos, fit lenta licet, certa ira Deorum eft,
Poenaque tam gravior, quam mage fera venit.

rurfus Propertius Lib. II. El. 19. ℣. 68.

Si qua venit fero, magna ruina venit.

unde imitatus eft Janus Secundus Lib. II. El. VII. initio:

Si qua venit fummo pofitis in culmine rerum,
Illa ruina fuo pondere magna venit.

id ita exprimit Jofephus Ifcanus Lib. I. de B. Troj. ℣. 38.

— premit ultio noxas
Tunc gravior, cum tarda venit.

fic lege. vitiofe *fremit* editur in vulgatis.

125. *Volvimur huc illuc, veluti fpoliata magiftro*
Cymba per Aegeas naufraga fertur aquas]

Eleganti hac conparatione faepe ufi funt poëtae. Balthafar Caftilioneus in Epiftola nomine uxoris Hippolytae fcripta:

Namque ego fum fine te, veluti fpoliata magiftro
Cymba, procellofi quam rapit ira maris.

Bafilius Zanchius Lib. II. Poëm. p. 58.

Ac veluti deprenfa noto, & pluvialibus Haedis
Indefenfa ratis, proprioque excuffa magiftro
Fertur in abruptum praeceps, & vortice nigro
Obruitur, fractoque natant vaga lintea malo.

quo loco imitatur Virgilium VI. Aen. 353.

— maria afpera juro,
Non ullum pro me tantum cepiffe timorem,
Quam tua ne, fpoliata armis, excuffa magiftro,
Deficeret tantis navis furgentibus undis.

nofter

Ergo nec adfari mihi te, dulcissime, saltem
Extremum licuit funeris ante diem.
Quum pectus tibi dira sitis torreret anhelum,
Ureret & miserum febris acerba jecur.
Ipse salutiferas herbas succosque dedissem,
Quos miscere aliae non didicere manus.
Ipse Deum supplex in vota precesque vocassem,
Adsistens lecto pervigil usque tuo.
Namque preces castae pallentes pellere morbos
Votaque Poeonia fortius arte solent.
Non licuit saltem voces audire supremas,
Atque anima tecum deficiente loqui.
Non positum lacrimis sparsi venerabile corpus,
Florida non cineri serta rosasque dedi.
Quod possum, tibi mane novo, tibi vespere sero,
Moesta tibi media carmina nocte canam.
Nec brevis haec finem statuet mihi vita doloris,
Si quid adhuc vitae Di superesse volent.
Non animum verni mulcet clementia coeli,
Non levis adflatu me juvat aura suo.

noster supra Lib. II. El. 3. ✻. 48.
Nunc sine te, postquam jucundum lumen ademtum est,
Ut vaga nimboso turbine pinus, agor.
Patruus meus in Epicedio Graevii, Lib. III. Poëm. pag. 180.
Nunc duce destituor, certum nunc occidit astrum,
Per freta quod fidum caeca regebat iter.
Jactor, ut excusso quae tempestate magistro
Jactatur dubiis naufraga puppis aquis.

131. *Ipse salutiferas herbas succosque dedissem,*
Quos miscere aliae non didicere manus.] Imitatus est Joh. Posthius Lib. I. El. 6. pag. 15.
Ille tibi sacras herbas succosque dedisset,
Quos alii e medicis non didicere libris.

Foecundisque rosae laurique videntur in hortis,
  Cumque maris viridi lilia rore mori.
Alma parens tellus, cujus cognomen habebas,
  Deficit, & foetus negligit aegra suos.
Ipse etiam veteris Nicer haud oblitus alumni
  Coeruleas largis fletibus auget aquas.
Hic fuit, hic studuit, puer hoc in cespite lusit:
  Hic pater, hic genetrix, hic habitavit avus.
Colle sub hoc tenui deduxit carmen avena:
  Hic decor, haec doctae gratia vocis erat.
Talia dum recolit, lacrimarum gurgite flumen
  Crescit, & undosis fluctibus antra fremunt.
Moestaque vicina residens Philomela sub umbra
  Flebile moerentes concinit inter aves,
Aemula facundi Philomela Melanchthonis ales,
  Par honor, & linguae candor utrique fuit.
Omnia quae tellus, quae pontus, & educat aër,
  Interitu lugent, magne Philippe, tuo.

Si

153. *Hic fuit, hic studuit* &c.] Elegans imitatio. quae enim Ovidius de locis pristini amoris gaudia admonitu suo revocantibus habet in Rem. Am. ℣. 727. ea hic Lotichius optime inmutavit, & in suos usus transtulit. sic enim Naso:

Et loca multa nocent. fugito loca conscia vestri
  Concubitus: caussas mille doloris habent.
Hic fuit, hic cubuit; thalamo dormivimus isto,
  Hic mihi lasciva gaudia mente dedit.
Admonitu refricatur amor &c.

161. *Aemula facundi Philomela Melanchthonis ales* &c.] Passim in scriptis doctorum Germanorum istius temporis Melanchthonem cum Philomela conparari videbis in notis Joachimi Felleri ad Joannis Majoris Synodum Avium, pag. 52. quae habentur in Struvii Actis Literariis T. I. Fasc. IV.

163. *quae tellus*] Imitatio loci Ovidiani Epist. ex Ponto I. 10. 9.

Quod mare, quod tellus, adpone, quod educat aër. Hoogst.

Si tamen illa Dei fuit (ut fuit) alma voluntas,
Noſtra nec infectum reddere vota queunt.
Corporis exuviis & mortis lege ſolutum
Gratulor aetherea te regione frui.
Poſtque tot infidos maris inplacabilis aeſtus,
Nubila jam pedibus cuncta ſubeſſe tuis.
Jam canis unigenam natum, rerumque parentem,
Per fortunati culta vireta ſoli.
Illic ſunt, quicumque Dei praecepta ſecuti
Juſtitiae certas nos docuere vias.
Non illic morbi, non aerumnoſa ſenectus,
Non grave pauperies urguet acerba malum.

 Sed

173. *Illic ſunt, quicumque Dei praecepta ſecuti Juſtitiae certas nos docuere vias* &c.] Conferri haec merentur cum iſtis H. Fracaſtorii in Elegia pulcherrima, numeris Catullianis ſcripta, in obitum M. A. Turriani ℣. 131. & ſeqq.

Semideûmque domos, & Divum morte carentum,
Hic, ubi non aeſtas, nec fera ſaevit biems.
Nec dolor, aut deſideria infelicia noſtri,
Nec ſors partem aliquam, nec rude vulgus babet.
At ſancti Heroes babitant, gens inclyta bello,
Ingenuique, novem qui coluere Deas.
Quique pii, juſtique, Deûm praecepta ſecuti,
Et ſancta inſignes qui fuerunt Sopvia.

Janus Secundus in Epicedio Patris Lib. I. Funerum pag. 175.

Obvius ingredienti omnis ruit agmine longo
Coetus, & antiquis ſocium te Manibus addunt,
Manibus antiquis; qui jus coluere, fidemque,
Tunc cum ſola ſibi merces pulcberrima Virtus
Eſſet, & utilitas numquam certaſſet boneſto.

175. *Non illic morbi, non aerumnoſa ſenectus*, &c.
Sed citbarae, cantusque vigent] Adducor fere ut credam Lotichium hoc loco imitatum eſſe Baſilium Zanchium Lib. III. Poëm. El. VI. pag. 84. editionis noviſſ. Seraſſianae:

Contra autem quis cura poli quis cura ſalutis
Aeternae, aeternum regna beata dedit.
Hic nova jucundo ſemper loca lumine rident,
Et ſuperi obtutu lumina fixa tenent.
Hic citbaraе cantusque vigent, & carmina paſſim,
Carmina mortali non referenda ſono.

& ejusdem Libri Eleg. I. ubi de coelo:

Hic ubi fulgentesque chori, & ſine corpore vitae
Perpetuos degunt & ſine fine dies.
Permiſtaeque choris animae felicibus ora
Conſpiciunt ſolis cognita coelitibus &c.
Nulla ubi pallentes poſuere cubilia morbi
Triſtia, nec tremulo curva ſenecta gradu.
Impia nec dirus portendit bella cometes,
Nec madet bumano ſanguine pinguis bumus.

Fe-

Sed citharae, cantusque vigent, animaeque piorum
Ipsius e vitae fonte perenne bibunt.
Aeternique patris mens & sapientia Christus
Fervida divino lumine corda rigat.
Salve magne parens, alti nunc aetheris haeres,
Et fruere aeternis, quae tibi parta, bonis.
Discipulique tui vocem cognosce supremam,
Nec pietas cineri sit gravis ista tuo.
Terra tuum violis ornet lauroque sepulcrum,
Floreat aeternis urna beata rosis.

Ossa-

Felices tantum cantus, felicia Divûm
Carmina, & aurato pectine pulsa chelys.
non dissimili modo in descriptione Gaudii coelestis, pag. 90. Poëm.
Hic ubi vos sine fine juvant redolentia prata,
Purpureasque rosas
Nectitis, & niveis & cyaneis hyacinthis.
Hic ubi perpetuo
Vere tepet geniale solum, nec solibus aestas
Nec nive saevit hiems. &c.
Sed sedes Pax alma colit, Pax optima rerum
Pacis & alma comes
Summa quies, cantusque vigent: choreasque juventa
Florida semper agit.
nec minoris elegantiae sunt illa Laurentii Gambarae in Epicedio M. H. Anglerii Lib. III. Poëm. pag. 445.
Namque illic choreas exercet laeta juventus,
Carminibusque Deum sacra Deosque canunt.
Fert tellus passim flores inarata, nec aestus,
Aut hiemis saevae frigida signa timet.
Aether purpureo felices lumine campos
Vestit, & aeternis induit arboribus.
Illic non habitant morbi, pestisque famesque,
Non luctus, non qui concutit ossa pavor.
quae omnia adumbrata sunt ex Tibullo, in descriptione sedis Elysiae Lib. I. El. 3. ℣. 59.
Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hic choreae, cantusque vigent, passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves.
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.
similis etiam coloris est illud Propertii de sedibus Elysiis Lib. IV. El. 7. 60.
Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas,
Qua numerosa fides, quaque aera rotunda Cybebes,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.
quibus vestigiis etiam eadem in re inhaeret Hercules Strozza Lib. I. Amor. pag. 69.
Hic ver perpetuum fragrantes educat herbas,
Muneraque autumni praebet amoenus ager.
Hic casiam, segetesque parit sine vomere tellus,
Hic rigidae quercus dulcia mella ferunt. & seqq.
Broukhusius Epicedio Graevii Lib. III. El. 9.
O quem purpureo nova lumine gloria vestit,
O cui coelestes fas habitare domos!
Cantus ubi felix, & sine carentia semper
Gaudia, & ad dulces nablia nata modos!

Oſſaque tranquilla ſemper tua ſede quieſcant,
Semper ad Albiacas vox tua vivat aquas.
Hoc precor, his ſaltem mundi ſator adnue votis,
Ipſe vagi curam ſuſcipe, Chriſte, gregis.
Per nomen, venerande, tuum, noſtramque ſalutem,
Sanguine quae miſeris eſt reparata tuo:
Perque tuos, dum corpus erat mortale, labores,
Per majeſtatem numinis, oro, tui.
Extremae per dira, precor, ludibria mortis,
Reſpice deſertas, optime paſtor, oves.
Reſpice nos, tenues quum ſpiritus ibit in auras,
Summaque quum terris fulſerit illa dies,
Qua tuba per trepidas ſonitum dabit horrida nubes,
Hocque triplex mundi flamma reſolvet opus.

194. *Per majeſtatem numinis, oro, tui*] Ultimam in *oro* corripi vix imitandum arbitror, ſi Ovidium ſequi velimus, qui ſemper producit, nam dubia eſt apud Naſonem ſcriptura Lib. III. Met. 477.

Quo fugis oro, mane, nec me crudelis amantem
Deſere.

quam lectionem miror Heinſio placuiſſe. ſed recte Voſſiani codicis ſcripturam Patruus meus recepit, *Quo fugis, o remane.* corripit denuo noſter infra Lib. V. El. 13. 45.

Oro per arcanas, quondam tua gaudia, flammas.

producit tamen eadem Elegia in fine:

Cum lacrimis, oro, dic Helicana vale.

produxit etiam Tibullus Lib. III. 1. 15.

Per vos auctores hujus mihi carminis oro.

produxit, inquam, quia vix unum in illo poëta exemplum eſt, quo verba in *o* corripiat, ſi excipias *Deſino* Lib. II. 7. 23. quae cauſſa eſt, cur in notis ad Lib. I. El. 1. ℣. 51. inprobaverim in *detracto* ultimam corripere Lotichium.

196. *Reſpice deſertas, optime paſtor, oves*] Titus Strozza Pater Lib. V. Erotic. p. 58. b.

Quare age, & inceptum, pater optime, perfice munus,
Et tibi commiſſas reſpice paſtor oves.

197. *Reſpice nos, tenues &c.*] Sic ſupra Lib. I. El. VII. ℣. 31.

Reſpice me, tenues cum ſpiritus ibit in auras.

eadem fere, ſed verbis paullo variatis, occurrunt infra Lib. I. Carm. 14. 5.

Reſpice nos, fragiles cum deſeret halitus artus,
Summaque cum terris fulſerit iſta dies.
Cum Tuba per denſas ſonitum dabit horrida nubes,
Hocque triplex mundi flamma reſolvet opus.
Quidquid erit, breve erit: nec enim, dulciſſime, longe
Auguror adventus tempus abeſſe tui.

Et bene habet: nec enim, genitor dulcissime, longe
Auguror adventus tempus abesse tui.
Interea laudesque tuas, nomenque canamus.
Tu modo da dulci, Christe, quiete frui.

200. *Horque triplex mundi flamma resolvet opus*, Ex Ovidio Lib. II. Trist. 426.

Explicat ut caussas rapidi Lucretius ignis,
Casurumque triplex vaticinatur opus.

ubi recte notant viri docti respicere Nasonem ad Lucretii versus, qui exstant Lib. V. ỿ. 95. quibus *triplex opus* mundi casurum ita describit:

Principio maria, & terras, coelumque tuere,
Quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Tres species tam dissimiles, tria talia texta
Una dies dabit exitio &c.

vide Heinsii notas ad Albinovani Epiced. Drusi ỿ. 362.

Ecce necem intentam coelo, terraeque, fretoque,
Casurumque triplex vaticinantur opus.

sic *opus triplicis mirabile mundi*, apud nostrum infra Eleg. VII. ỿ. 21.

201. *Et bene habet. nec enim genitor dulcissime* &c.] Ita hic variavit ac substituit Lotichius pro iis, quae in altero loco paulo ante producto scripsit,

Quidquid erit, breve erit: nec enim, dulcissime, longe
Auguror adventus tempus abesse tui.

unde etiam sua desumsit Joh. Petr. Lotichius Lib. I. El. I.

Quidquid erit, breve erit. nec enim (si vera fatebor)
Auguror exitii tempus abesse procul.

ego tamen hic mallem *Sed bene habet.* ut supra Lib. I. El. 5. ỿ. 115.

Sed bene habet. venit (ecce) venit, lux (ecce) propinquat.

& Lib. IV. El 3. ỿ. 151.

Sed bene habet, junxere manus, arasque relinquunt.

neque aliter Sannazarius Lib. III. El. I. ỿ. 67.

Sed bene habet, cessere metus, cessere pericla.

apud Joh. Jov. Pontanum Lib. I. de Amor. Conj. pag. 39.

En bene habet, placidos intrasti dia penates.

formula est elegans praesentibus acquiescentium vel bene sperantium. similiter corrigenda vulgata Propertii exemplaria, Lib. IV. El. XI. 67.

Sed bene habet. nunquam mater lugubria sumsi.

ubi olim exaratum fuit *Set.* unde omissa prima versus litera descripserunt *Et bene.* quomodo Broukhusium quoque edidisse miror. cum ipse in suis poëmatibus alterum praetulerit. ut Lib. I. Sylv. I.

Sed bene habet. fletus humiles placabilis audit
Rex meus &c.

& sic alibi: Statius Lib. XII. Theb 338.

Sed bene habet, Superi. gratum est, Fortuna, peracta est
Spes longinqua viae.

quem Statii locum expressit auctor Epigrammatis antiqui apud Pithoeum Lib. IV. pag. 116. & Gruterum pag. CCCXXXIX. inf. 4.

Conditus hoc lapide est. bene habet, Fortuna valebis.

similiter Justinus Lib. VI. cap. 8. de moribundo Epaminonda. & Florus Lib. IV. cap. 2. § 68. de Scipione. Senec. Herc. Fur. ỿ. 1035.

Bene habet: pudendi regis excisa est domus.

videSchottum ad Senecae Suasor. VI. p. 552. & Cel. Drakenb. ad Liv. Lib. VI. cap. 35. § 8. *bene est* aliis dicitur. ut in versibus illis apud Sueton. Domit. cap. ult.

Est bene non potuit dicere, dixit, erit.

vide Rutgers. Lect. Venus. cap. XXIV.

ELEGIA V.
IN OBITUM MANGOLDI AB HUTTEN, EQUITIS FRANCI.

Has tuus inferias vates, Huttene, Secundus,
  Haec tibi pro meritis munera folvo tuis:
Quandoquidem viridi nobis te fuſtulit aevo,
  Quae nihil egregium mors finit eſſe diu.
Forſan & haec manes pietas deſcendet ad imos,
  Sera quidem pietas, grata futura tamen.
Flere tuos obitus jubet illud amabile quondam,
  Nunc interruptae foedus amicitiae.
Namque etiam tumulis ſuus eſt honor, inque ſepultos
  Mens pia flebilibus teſtificanda modis.
Et mortem vitae teſtem, finemque laborum,
  Laudibus ornatam convenit eſſe ſuis.
Elyſiis igitur quamvis jam laetus in hortis,
  Inque nova vitam luce perennis agas:
Funeris extremum tamen hunc largimur honorem,
  Virtutis pereant ne monumenta tuae.

9. *Namque etiam tumulis ſuus eſt honor*] Imitatur Naſonem Lib. II. Faſt. 533.

Eſt honor & tumulis;animas placate paternas,
Parvaque in extinctas munera ferte pyras.

11. *Et mortem vitae teſtem finemque laborum,*
Laudibus ornatam convenit eſſe ſuis] Similia prorſus apud Johannem Jovianum Pontanum Lib. I. Tumulor. pag. 68.

Nam mortem vitae pretium, finemque laborum
Indicat, & vitae poſterioris iter.
Sunt teſtes vitae tumuli, finemque fatentur
Eſſe quidem alterius, principium alterius.

& in hunc ſenſum Cornelia apud Propert. Lib. IV. El. ult.

Haec eſt feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.

Invida consumit titulos & busta vetustas,
  Et spolia in templis exuviaeque ruunt.
At si quem dulci celebrarunt carmine Musae,
  Ille vel invita morte superstes erit.

Quos

17. *Invida consumit titulos & busta vetustas,*
Et spolia in templis exuviaeque ruunt &c.] Adhaeret Maximiano Eleg. I. ỷ. 273.
Ipsa etiam veniens consumet saxa vetustas,
Et nullum est quod non tempore cedat opus.
eadem fere supra habuimus Lib. I. El. 2. ỷ. 46.
Longa dies Regum turres consumit, & aurum,
Et spolia in templis exuviaeque ruunt.
ubi in notis monuimus haec adumbrata esse ex illis Propertii Lib. III. El. I. ỷ. 57.
Nam neque Pyramidum sumtus ad sidera ducti,
Nec Jovis Elaei coelum imitata domus.
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri
Mortis ab extrema conditione vacant.
Aut illis flamma, aut imber subducet bonores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.
quae Propertiana feliciter imitatus est e recentioribus poëta elegantissimus Jacobus Wallius Lib. I. El. VI. pag. 189.
Nec tibi maluerim, quos olim Caria sumtus,
Aut quos Assyrius duxit ad astra labor. &c.
Longa dies illis furtim subduxit bonores,
Longa dies illas solvit & ussit opes.
At non venturis & nos reticebimur annis,
Qui cineres tanti duximus esse tuos.
& luculenta aemulatione Angelus Politianus, Sylva praeclara in Virgilii laudes, Manto inscripta, non procul a fine:
Nam neque belligeris Babylon pulsata quadrigis
Moenia, nec liquido pomaria pendula coelo
Conferat, aut dextris constructa altaria Delos
Cornibus, aut vasti molem Rhodos aurea Phoebi.
Non Cares, Mausole, tui caelamina busti,
Phidiacum non Elis ebur, non ipsa superbas
Pyramidas jactet lascivi lingua Canopi.
Namque haec aut valido Neptuni quassa tridenti,
Aut telo, Sumane, tuo traxere ruinam;
Aut trucibus nimbis, aut irae obnoxia Cauri,
Aut tacitis lenti perierunt dentibus aevi.
At manet aeternum, & feros excurrit in annos
Vatis opus &c.
quibus versibus eximiis fere cum Propertio in certamen ingenii descendisse videri possit Politianus.

19. *At si quem dulci celebrarunt carmine Musae* &c.] Iisdem fere verbis Flaminius dulcissimo illo Hyellae Epicedio Lib. IV. Carm. XVII. non aliter ac si ea sibi vindicasset Lotichius,
Quem tamen aeterno celebrarint carmine Musae,
Ille vel invita morte superstes erit.
idem Lib. II. Carm. 4.
Quaeque pio vati prudens si dona dedisset,
Viveret exsequiis invita morte superstes.
noster supra Lib. II. El. XI. ỷ. 54.
At si quis Musas, parvo contentus, amavit,
Ille vel invita morte superstes erit.
pariter de se Hieronymus Amaltheus p. 32.
Nam si me exanimem citbara cantabis eburna,
Post obitum invita morte superstes ero.
notum illud Tibulli Lib. I. El. 4. 59.
Quem referent Musae, vivet, dum robora tellus,
Dum coelum stellas, dum vehet amnis aquas.
At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
Idaeae currus ille sequatur Opis.
praeclare N. Heinsius Lib. II. El. 5.
Qui semel Aonio stimulatur numine mentem,
Funeris ignaros ducit in orbe dies.

Non

Quos libet, hos memori vatum labor eximit aevo,
Longaevi possint ne nocuisse dies.
Te quoque, sublatum quamvis in flore juventae,
Inter honoratos gloria tollet avos.
Florida vix septem jam lustra peregerat aetas,
Injecit rapidas cum fera Parca manus.
Nec tibi nobilitas, nec profuit inclita virtus,
Tam cito belligeri gloria Martis ubi es?
Cynthi, per herbosas gelido qui flumine valles
Laberis, & patriae dividis arva meae:
Inclita tu priscae spectas cunabula gentis,
Illic prima scatet fontis origo tui.
Ardua qua vacuas turres extollit in auras
Arx a praecipiti nomen adepta jugo.
Illic Mangoldus, quem deploramus ademtum,
Vagiit, illustri sanguine natus eques.
Quis veterum referat decus inmortale parentum?
Amplaque victrici praemia parta manu?

Non illi sortem Minoïas urna severam
Versat; inexpletum non subit ille Chaos.
Avertitque minas & in haec trux stamina Clotho
Juris avaritiae nil dolet esse suae.
Sola rogi victrix ea gloria, sola perennat,
Cetera Lethaeis praeda parantur aquis.

24. *Inter honoratos gloria tollet avos*] manifesta imitatio Albinovani, Epicedio Drusi ℣. 330.

Ille pio (si non temere haec creduntur) in arvo
Inter honoratos excipietur avos.

unde Heinsius similiter in noto Propertii loco Lib. IV. El. ult. in fine corrigit,

Cujus honoratis ossa fruantur avis.

quod pluribus firmat Lib. 1. Advers. cap. 3. in fine. & in notis ad Propert. pag. 762. Petrus Francius in codice suo tentabat,

Cujus honoratis umbra vehatur aquis.

sed recte Broukhusius *ossa vehantur avis* praefert, & commode exponit, adscripto hoc ipso Albinovani loco.

29. *Cynthi, per*] ultima in *Cynthi* quomodo corripi possit non video. Expendant poëticae rei peritiores. HOOGST.

Bis tria jam coelum permenſus ſecula Titan
Et totidem roſeis luſtra peregit equis;
Cum celebres atavi factis, & equeſtribus armis,
Sanguinis auxerunt nomina clara ſui:
Aucupii Caeſar cum dictus ab arte, juberet
Ficta novo primum praelia more geri;
Qua gelido magnas a vertice deſpicit urbes,
Per mare velivolas quae regit Urſa rates.
Hinc genitor, belli fulmen, quem Marte furentem
Horruit adtonita ſaepius Iſter aqua.
Hinc patruus, notum cujus ſuper aethera nomen
Pervolat inmenſi Solis utramque domum;
Huttenus, quem fama vehet plaudentibus alis,
Ordo per Europam donec equeſter erit.
Majorum tumulos obliquis Cynthius undis
Adluit, Heroum manibus illa domus.
At tua, quae buſtis fortuna negavit avitis,
Gurgite jam Moenus praeterit oſſa ſuo.

Flos

39. *Bis tria jam coelum permenſus ſecula Titan*] vide notata ad Lib. III. El. 10. ℣. 4. ubi in loco Pindari Thebani Epit. Iliad. ℣. 107. ex fide codicis MS. legendum monuimus,

Interea Sol emenſo deſcendit Olympo.

pro vulgato *inmenſo.* & forte etiam illic *decedit* praeſtiterit pro *deſcendit.* eſt enim imitatio Virgiliana Lib. I. Georg. 449. de Sole:

Hoc etiam emenſo cum jam decedet Olympo.

plura vide apud Marklandum ad Statii Silvas pag. 173. & ſeqq.

50. *Pervolat inmenſi Solis utramque domum*] Imitatur Ovidium Epiſt. IX. ℣. 16.

Impleſti meritis Solis utramque domum.

ubi vide Patrui mei notas.

56. *Gurgite jam Moenus praeterit oſſa ſuo*] Supra in Epicedio Melanchthonis Ek praec. ℣. 16.

— tumulumque recentem
Adtonitus moeſta praeterit Albis aqua.

Flos generis, Mangolde, tui: ſed terra ſepulcrum
  Quaelibet, una omnes grata recondet humus.
Et cineres idem, quod terras, aequora, coelum
  Conteget, ac dulce eſt, cum vocat hora, mori.
Vivere debueras equidem, niſi fata negaſſent.
  Strenuus, excellens, candidus, acer eras.
Si tamen exactae conſidero facta juventae,
  Nil potes hac vitae de brevitate queri.

59. *Et cineres idem*] Non ſatis adſequor quid velit. HOOGST.

59. *Et cineres idem, quod terras, aequora coelum, Conteget*] ita in vulgatis. vitium in voce *idem*, quae primam hic male producit, notavit J. P. Lotichius in Promulſ. Critic. cap XIII. ac ſubſtituit *id idem*, vel *itidem*. id quoque olim exciderat Jano Secundo Lib. I. Epiſt. XI. ✝. 21.

Hoc ego vaticinor: ſed ſi mihi diceret idem
Cynthius, oraclo non foret ulla fides.

ita enim in Secundi ipſius Cod. MS. autographo, qui olim Scriverii, deinde Francii fuit, legebatur, & in prima Hermanni Borculoi editione Ultrajectina habetur, ſed recte reſtituit in ſua editione Scriverius,

— ſed ſi mihi diceret illud
Cynthius.

forſan melius correxiſſet *quod ſi mihi diceret ipſe Cynthius*. eſt enim imitatio Ovidii Lib. IV. Triſt. El. 8. ✝. 45.

Hoc mihi ſi Delphi Dodonaque diceret ipſa,
Eſſe videretur vanus uterque locus.

quo loco commode Berglerus illuſtrat illud Alciphronis Lib. III. Epiſt. 52. οὐδὲ εἰ μαντευμά μοι ἐκ τῆς Δωδωναίας δρυὸς ἐπιτρέποι τὴν πρᾶξιν. *nec ſi oraculum mihi ex Dodonea quercu demandet negotium.* & ſimilia ſupra vide ad Lib. I. El. 8. ✝. 23. Ceterum miror Hoogſtratanum ſenſum hujus loci non adſecutum, cum ſatis apertus ſit, ſi verba diſtinguantur ita ut edidi: coelum idem, quod terras & aequora tegit, conteget cineres, ut quaelibet humus ſepulcrum praebet. ſic in Ecl. II. prope finem:

— quid tum, ſi fata negabunt
In patriam reditus? tellus commune ſepulcrum eſt.

& paullo poſt:

— patriae ſi nulla videndae
Spes ſupereſt? uno ſub Sole jacebimus omnes.

Lucanus Lib. VII. ✝. 818.

Libera Fortunae mors eſt: capit omnia tellus
Quae genuit: coelo tegitur, qui non habet urnam.

eum in ſenſum F. Marius Molſa Epigrammate in Pompeii ſepulcrum: Tom. I. Poët. Ital. Toſcani pag. 56.

Dux Pharia quamvis jaceas inhumatus arena,
Non ideo fati eſt ſaevior ira tui.
Indignum fuerat tellus tibi victa ſepulcrum,
Non decuit coelo te niſi, Magne, tegi.

plura Meibomius in Maecenate cap. XXIV. ubi ſimilibus exemplis illuſtrat Maecenatis verſum a Seneca Ep. 92. adductum:

Nec tumulum curo: ſepelit natura relictos.

62. *Strenuus, excellens, candidus, acer eras*] Verſus hic tot epithetis conſtipatus magis ex ſequiorum poëtarum genio eſt, quam ex caſtigata illa veterum moderatione: quemadmodum poſterioris aevi poëtae amabant ſimiliter diverſas rerum ſpecies uno verſu recenſere. vide Buchnerum ad Venantii Hymn. de Reſurrect. ✝. 23. ſed & ſequenti verſu *exactae juventae*, & ✝. 67. *exacta juventa*; tum *facta juventae* & *factis illuſtribus* ✝. 65. nimis certe ſibi vicina, parum ex concinnitate Lotichiana ſunt.

Jam virtute ſenex, factisque illuſtribus ingens,
  Vertice contigeras ſidera celſa tuo.
Ingenuas vernans exacta juventa per artes,
  Sequana qua tumido labitur amne, fuit.
Arvernisque Liger qua primum e rupibus ortus
  Undoſo latum gurgite pandit iter.
Hinc placidi mores atque aſperitate carentes,
  Majus honorata nobilitate decus.
Nec deerat cultae facilis tibi copia linguae,
  Nec ſine foecundo pectore corpus eras.
Et ſuavi poteras dulcedine praeditus oris
  Gallica nativo verba referre ſono.
Mox tua per varios virtus exercita caſus
  Per numeros ſeſe ſuſtulit aucta ſuos.
Teſtis erit regum qui pugnae accincta duorum
  Matrona dividuis caſtra diremit aquis.
Teſtis Scaldis erit, ripaeque binominis Iſtri,
  Spiculaque averſo qui jacit Hunnus equo.
Vidit & in dubio belli certamine Moenus,
  Sanguinei cunctas Martis adire vices.

Aerā.

65. *Jam virtute ſenex*] vide ſupra ad El. III. hujus Libri ℣. 104.

74. *Nec ſine foecundo pectore corpus eras*] Eleganter exprimit illud Horatii Lib. I. Epiſt. 4. ℣. 6. ad Tibullum:

Non tu corpus eras ſine pectore.

pariter *hominem ſine pectore* Menelaum vocat Paris apud Ovid. Epiſt. XVI. ℣. 305.

Hunccine tu ſperes hominem ſine pectore, dotes
Poſſe ſatis formae, Tyndari, noſſe tuae?

82. *Spiculaque averſo qui jacit Hunnus equo*] vide ad Lib. I. El. 4. ℣. 54.

Aeratasque acies, & equestres ducere turmas;
 Spargereque hostili pingue cruore solum.
Vidit idem Veraris, vidit quoque Tubarus, & quae
 Irriguas Moeno Sala ministrat aquas.
Cum trepidos armis ageres ultricibus hostes
 Alite per campos pulverulentus equo.
Quid tamen ista juvant? quid nomen, & utilis aetas
 Profuit? & laudis tot monumenta tuae?

Num

86. *Spargereque hostili pingue cruore solum*] Durius hoc forsan videbitur nonnullis, quibus suavior ad aures accederet sonus, si scripsisset auctor,

Spargere & hostili pingue cruore solum.

idque magno numerorum poëticorum arbitro adfirmare liceret, Jano nempe Broukhusio, qui in versu Propertiano Lib. II. El. 23. ℣. 67.

Spargereque alterna communes caede penates.

elisionem admodum insuavem esse censebat, ac proinde edidit *Spargere & alterna* &c. & sic locum illum adfert ad Tibull. I. 2. 26. & ita in libris MSS. Livineji, quod P. Francio etiam melius videbatur. Sed Lotichio magis adrisisse alterum, idque in Propertio praetulisse, ex hac imitatione ejus adparet, praesertim cum Tibullo etiam non infrequens sit usus ille peculiaris copulae *que* trisyllabis, & quidem verbis, ut vocant, infinitivis adnectendi in prima pentametri sede. ut Lib. I. El. 3. ℣. 34.

Reddereque antiquo menstrua tura Lari.

ubi id tamen Broukhusium non offendit, neque substituit, *Reddere & antiquo* &c. sic El. VII. ejusdem Libri ℣. 54.

Sanguineque effuso spargit inulta Deam.

ubi *Sanguine & effuso* etiam corrigere potuisset: neque mutavit aliquid, aut pro dura elisione habuit apud Propertium Lib. III. El. 20. ℣. 13.

Jungiteque extremo felicia lintea malo.

apud Poëtas Italos recentiores id non raro me legisse memini; certe Petro Bembo ita placuit, ut bis adhibuerit in una Elegia, nomine Amicae ad Gallum scripta, ℣. 28.

Figereque abstersis oscula luminibus.

& ℣. 76.

Vertereque ambigua fasque nefasque via.

Strozza Filius Lib. I. Amor. p. 68.

Vergereque in cineres liba negata meos.

similiter in bisyllabis observare id licet apud Propertium Lib. II. El. XI. 28.

Taleque sub nostro munere carmen erit.

& Tibullum Lib. I. El. 5. ℣. 11.

Ipseque ter circum lustravi sulfure puro.

Lib. I. El. 9. ℣. 10.

Saepeque mutatas disposuisse comas.

& illorum, puto, exemplo apud Janum Secundum Lib. I. El. 7. pag. 13.

Oreque formoso regia verba loqui.

& Lib. I. Epist. XI. pag. 152.

Oreque de roseo mellea dicta legis.

H. Strozza in Elegiis pag. 55.

Saepeque luctantem se Veneremque domet.

Fracastorius Carm. VI. ℣. 115.

Melleque & Aonio tetigerunt ora liquore.

& apud alios.

91. *Quid tamen ista juvant* &c.
Num minus in gelido &c]
vide ad Lib. V. El. 19. ℣. 127.

Num minus in gelido jam pulvis & umbra sepulcro,
  Maximus ingenio nuper & ense, jaces?
Sic cecidit Pallas, domitor sic Lausus equorum,
  Sic in Echionia Parthenopaeus humo.
Sic jacet, in culto flos qui nitidissimus agro
  Vomere succisus praetereunte fuit.

Sic

95. *Sic cecidit Pallas, domitor sic Lausus equorum* &c.] Respexit Virgil VII. Aen. 651.
Lausus equûm domitor, debellatorque ferarum.
Parthenopaeus ille est, qui Virgilio memoratur, VI. Aen. 480.
— hic inclitus armis
Parthenopaeus, & Adrasti pallentis imago.

97. *Sic jacet, in culto flos qui nitidissimus agro Vomere succisus praetereunte fuit*]
Optima imitatio Catulli Carm. IX. in fine:
Nec meum respectet, ut ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit, velut parati
Ultimi flos, praetereunte postquam
Fractus aratro est.
sic enim recte e veteri codice Thuaneo Is. Vossius edidit, quod firmat liber Commelinianus, & membranaceus Bodlejanae Bibliothecae codex Heinsio collatus. male *tactus* in editione Scaligeri ac Douzae. quomodo & in meo codice, sed *Tractus* in margine, idest *Fractus*. penultimo versu contra metrum *prati* ab omnibus editum fuit. sed *parati* antique pro *prati* rescripsi, secutus Heinsium in notis ad Catull. pag. 637. post Adversaria editis. eumdem Catulli locum imitatur quoque Hier. Fracastorius, egregio filiorum Paulli & Juli Epicedio. carm. III. ỷ. 73.
Ah misera, ah male fausta parens, quid numina fletu
Sollicitas? jacet ille, velut succisus aratro
Flos tener, & frustra non audit tanta gementem.
In hac autem comparatione saepe luxuriant poëtae. Flaminius Lib. II. Carm. 5.
At nunc perpetuam nobis Mors pallida noctem
Portat, & infernos cogit adire lacus.
Et nondum est rugis facies mihi languida; nec dum
Infecit nigras alba senecta comas:
Sic rosa vix laetum calathis pandebat honorem,
Cum cadit, & rutilo murice pingit humum.
& Lib IV. Carm. 10.
Ut flos apricus, terra quem mater suo
Dulci educabat in sinu,
Tunc primum hiare coeperat, cum tabuit
Calore tactus fervido.
Sic pulchram Hyellam flore sub primo inpotens
Amoris aestus perdidit.
Politianus Epicedio Albierae:
Virginea sic lecta manu candentia languent
Liliaque & niveis texta corona rosis.
Laurentius Gambara Epicedio Anglerii Lib. III. Poëm. pag. 445.
Sic cecidit puer angusti sub floribus aevi,
Sic cecidit roseo plurimus ore color.
Flos veluti, quem rivus aquae, quum Sirius ardet,
Liquit, & adtrito cespite languet humi.
Sannazarius Lib. I. El. 10 ỷ. 13.
Sic heu, sic tenerae sulcis resecantur aristae,
Inplumes nido sic rapiuntur aves.
Pro Superi! tenues ibit Syncerus in auras,
Nec poterit nigri vincere fata rogi?
quem Synceri locum non dubito ante oculos habuisse Joh. Anton. Taygetum Tom. II. Poët. Ital. Toscani pag. 277. b.
Pro Superi! lustris rapiar vix quinque peractis,
Atque erit aetatis tam brevis hora meae!
Sic flos vix natus pedibus calcatur euntis,
Sic avido inplumes ungue vorantur aves.

Sic ego ſaepe roſas, ſic uda papavera vidi,
Candida ſic primo lilia vere mori.
Invida mors, quare tantis virtutibus obſtas?
Tot bona cur terris eripit una dies?
Infelix mortale genus, rationis egentes
Secula tot degunt per nemora alta ferae.
Unicus Aſſyriis qui vivit odoribus ales,
Exuviis iterum naſcitur uſque ſuis.

 Nos,

99. *Sic ego ſaepe roſas, ſic uda* &c.] idem hoc diſtichon occurrit Lib. I. Carm. 17. 5.

102. *Tot bona cur terris eripit una dies*] Forte cogitabat Propertium Lib. III. El. 9. ℣. 70.

Tantum operis belli ſuſtulit una dies.

vide ſimilia in notis N. Heinſii ad Ovid. Lib. I. Amor. 15. 24.

103. *rationis egentes*] Adhaeret Naſoni Lib. I. Amor. El. 10. ℣. 25.

Sumite in exemplum pecudes ratione carentes,
Turpe erit ingenium mitius eſſe feris.

ubi forſan in aliis codd. legebatur, *rationis egentes.* nam ſic variant codices Lib. XV. Met. 150.

Palantesque animos paſſim ac rationis egentes.

ubi in aliis *ratione carentes.* ut Lib: III. Faſt. ℣. 119.

Ergo animi indociles & adhuc ratione carentes.

105. *Unicus Aſſyriis qui vivit odoribus ales* &c.] Phoenicem deſcribit, *unicam avem* paſſim a poëtis dictam. Lactantius Eleg. de Phoenice ℣. 31.

Hoc nemus, hos lucos avis incolit unica Phoenix,
Unica ſed vivit morte refecta ſua.

vide Dreſem. ad Joſeph. Iſcan. VI. 381. appoſite Claudianus Lib. II. de Laud. Stilic. 417.

Sic ubi foecunda reparavit morte juventam,
Et patrios idem cineres, collectaque portat
Unguibus oſſa piis, Nilique ad litora tendens
Unicus extremo Phoenix procedit ab Euro.

& recentioribus Hieronymus Vida Lib. VI. Chriſtiados ℣. 306.

Talis, ubi turpe irrepſit ſenium, unicus ales,
Congeſſitque ſibi ramis felicibus altum
Summo in colle rogum, poſuitque in morte ſenectam,
Continuo novus exoritur, nitidusque juventa
Effulget criſtis, & verſicoloribus alis.

Hugo Grotius Lib. I. Elegiarum pag. 175.

Qualis cinnameo Phoenix juveneſcere buſto
Creditur, in terris unica ſemper avis.

ſed omnium pulcherrime Baſilius Zanchius Lib. VIII. Poëm. pag. 203. in carmine, cui titulus *Phoenix*, quod totum cum Elegia poëtae veteris de Phoenice meretur conferri. & de hac recidiva Phoenicis juventa, conparatione apud poëtas frequenti, nos plura ad Catalect. Vet. Poët. ad verſus in laudem Solis, ubi haec inter alia, ℣. 29.

Idque docet Phoenix buſti reparata favillis
Omnia Phoebeo viveſcere corpora tactu.
Haec vitam de morte petit, poſt fata vigorem,
Una cadit toties, ſurgitque ac deficit una.

ut certiſſima emendatione primo in verſu caſtigabat Heinſius, pro eo quod male edidit Pithoeus:

**que docet Phenix iſtis reparata favillis.*

Aſſyrios odores illuſtrant notata Salmaſio ad Solinum T. I. pag. 401. & Barthio ad Statium Lib. II. Sylv. 6. 87. & 88.

Nos, rerum haeredes quos vult Deus esse suarum,
  Tam fragili vitae conditione sumus.
Damna novis reparant agrestes floribus herbae,
  Aspera cum pulso frigore cessit hiems.
Tunc iterum violae, tunc germina mille colorum,
  Quae prius inmitis laeserat aura, virent.

At

107. *Nos rerum haerede: quos vult Deus esse suarum*] pariter Basil Zanchius Lib. II. Poëm. pag. 58.

Deserimus fontemque boni vitamque perennem,
Auctorem rerum, patrio qui vinctus amore
De nihilo, similesque sui, rerumque suarum
Haeredes, quos regna manent, quos praemia vitae,
Edidit, & summo cives transcripsit Olympo.

108. *Tam fragili vitae conditione sumus. Damna novis reparant agrestes floribus herbae* & seqq.] Optime hic Lotichius aemulatur versus ex Elegia auctoris incerti, vulgo Albinovano adscribunt, in obitum Maecenatis ỷ. 113. & seqq.

Redditur arboribus florens revirentibus aetas,
  Ergo non homini quod fuit ante redit.
Vivacesque magis cervos decet esse paventes,
  Si quorum in torva cornua fronte rigent.
Vivere cornices multos dicuntur in annos,
  Cur nos angusta conditione sumus?

ubi pro *ergo* in editione Aldina *Et cur.* non male, licet hic *ergo* pro nempe, vel autem, possit capi cum Passeratio ad Propert. pag. 418. id certius, quarto versu cum Heinsio pro *Si* corrigendum esse *Hi quorum*, cervi nempe. de cujus, ut & cornicis vivaci magis hominum aetate vide notas ad Ovid. III. Met. 194. sed praecipue versus, quos sub poëtae incerti nomine *de aetatibus Hesiodion* vulgavit Pithoeus in Praetermissis Catalectorum pag. 487. ed. Paris. eosdemque tamquam ex Virgilii Adpendice protulit Erasmus, & cum versibus Hesiodi, unde desumti sunt, conparavit in Adagiis, titulo *Longaevitas* p. m. 455. sed qui sunt Ausonii Eidyll. XVIII. p. 533. ed. Tollii, cui recte eos illic vindicat Mariangelus Accursius.

109. *Damna novis reparant agrestes floribus herbae*] Respicit ad illud Horatii Lib. IV. Ode 7. 13.

Damna tamen celeres reparant coelestia Lunae:
  Nos ubi decidimus,
Quo pius Aeneas, quo Tullus dives, & Ancus,
  Pulvis & umbra sumus.

eadem fere conparatione Hadr. Relandus El. x. Galateae ỷ. 89.

Hei mihi quam vestra sors est mea pejor, iniquis
  Nos agimus fatis, & sine sole, dies.
Vos licet acris hiems cultu spoliarit, ademtas
  Reddit, & ornatu ver meliore comas.
At mihi jam toto mea Lux non cernitur anno,
  Ver rediit nobis, & mihi perstat hiems. &c.

Flaminius Lib. IV. carm. 17. Epicedio Hyellae:

Crudelis Pluto, nimium crudelia fata,
  Quae vitae nullas heu posuere moras.
Cum silvam glacialis hiems spoliavit honore,
  Vere novo silvae laeta juventa redit. &c.
At nobis nec laeta suo cum vere juventa,
  Nec mersa inmiti funere vita redit.

vide similia in notis ad Lib. III. El. 7. ỷ. 23. eleganter Broukhusius Lib. IV. El. 8. ỷ. 7. & seqq.

Vos licet horrentes nivibus concreta capillos
  Acriter inmiti frigore adurat hiems.
Vinciat & fontes, & latos vinciat amnes,
  Et maestam lapsis velet humum foliis.
Ver tamen amissam reparat cum foenore formam.
  Pictum purpureis ora sinumque rosis.

At nobis dubii cum flos brevis occidit aevi,
Ad superos duro clausa adamante via est.
Quod si fata negant animos in humata reverti
Corpora, nec quidquam vota precesque valent.
Haec, Mangolde, tamen solatia mortis habebis,
Inclita quod nequeant facta decusque mori.
Nam tua Pierides, quod magnis saepe negatum est
Regibus, aeterna nomina laude vehunt.
Tu quoque, si possis, jam non revivscere velles,
Nec te, si velles, fata redire sinant.

113. *At nobis dubii cum flos brevis occidit aevi,*
Ad superos duro clausa adamante via est] Elegantissima imitatio Propertii Lib. IV. El. XI. ℣. 5.
Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viae.
quem locum bene etiam expressit Josephus Averanius, Florentinus, Pisani quondam Athenaei haud contemnendum decus, carmine inedito in obitum Antonii Rillii V. C.
Nec possum lacrimis, nec possum fletibus ullis,
Lux mea, ab obscuris te revocare plagis.
Stat fixum inmotumque & inexorabile Fatum,
Et solido obseptae stant adamante viae.
quod carmen una cum aliis Averanii ineditis versibus mecum communicavit Celeberrimus apud Florentinos Ant. Fr. Gorius. Janus Broukhusius in Brandenburgicis pag. 368. Poëmatum:
Quid tamen ista juvant? non est remeabilis ulli
Haec via; & aeterno porta adamante riget.
ceterum in loco Propertii dubito an defendi possit locutio *intrare leges infernas*, & an non potius scripserit Propertius,
Quum semel infernas intrarunt funera sedes.
alia enim locutio est in Elegia de Spe, quae habetur in Catalectis Pithoei Lib. I. p. 38.
Orpheus infernas speravit tollere leges,
Tartareum & cantu flectere posse canem.
sedes infernas similiter dixit auctor Culicis ℣. 274.
Defossasque domos, ac Tartara nocte cruenta
Obsita, nec faciles Dictaeo judice sedes.
ut bene restituit Scaliger pro vulgata scriptura, *Ditis sine judice sedes.* & ita Heinsius, qui firmabat loco Statii VIII. Theb. 102.
— scit judicis urna
Dictaei, verumque potest deprendere Minos.

121. *Tu quoque, si possis, jam non reviviscere velles,*
Nec te, si posses, fata redire sinant] Ita legitur in vulgatis, & in apographo Hoogstratani. sed puto hic turbatum esse ab editoribus. non enim haec exprimunt id, quod vult Secundus noster, quem nullus dubito scripsisse hunc in modum:
Tu quoque, si possis, jam non reviviscere velles,
Nec te, si velles, fata redire sinant.

Haec rerum ſeries inmota, Deique voluntas,
Arbitrio fatum qui regit omne ſuo.
Viximus, & multos una tranſegimus annos.
Signa voluntatis mille fuere tuae.
Tempus ad hoc, primo (nam ſaepe recordor) ab aevo
Veſtra mihi patuit ſemper aperta domus.
Nunc tibi parta quies, noſtros fortuna labores
Verſat adhuc, variis inſidioſa modis:
Concilia interea te fortunata piorum
Semper inexhauſta luce ſerena tenent.
Forſitan & noſtri memor in regionibus illis
Laetaris memores nominis eſſe tui.
Invida non omnes capiunt oblivia manes,
Umbra ſoporiferas non bibit omnis aquas.
Nec generoſa meo tua corde recedet imago,
Non mea Lethaeus ſi riget ora liquor.

Ac-

ſtaque ſic edidi, ut poëtae ſua conſtet elegantia. ſimilis oppoſitio eſt in illis Broukhuſii Lib. III. El. 5. pag. 51.

Non alio velles laudari dignius ore,
Non poſſes alio dignius ore cani.

nimirum pentametro exprimit illud Catulli *iter tenebricoſum, unde negant redire quemquam*, etiamſi vellet. Propertius Lib. II. El. 20. ✝. 74.

Conceſſum nulla lege redibit iter.

qui *fatorum nulli revolubile ſtamen* vocat Lib. IV. 7. 51. & talia apud poëtas obvia.

126. *Signa voluntatis mille fuere tuae*] In libris editis eſt *mille futura*, nullo ſenſu. HOOGST. ſupra Eleg. 3. ✝. 118.

Condita nam memori ſub corde recentia ſervo
Signa voluntatis non moritura tuae.

129. *Nunc tibi parta quies*] ſic Lib. II. El. 2. ✝. 33.

Nunc tibi parta quies, geminasque reverſus ad Arctos
Ingenii profers munera larga tui.

Virgilianam imitationem eſſe conſtabit ex notatis ad Eleg. III hujus Libri ✝. 175.

Ibid. *noſtros fortuna labores Verſat adhuc* &c.] eleganter id exprimit noſter ſupra Lib. I. El. 4. ✝.

Nos dolor & vitae mortalis inania verſant
Somnia, & ambiguis ſpesque timorque modis.

138. *Non mea Lethaeus ſi riget ora liquor*] Sannazarius Lib. I. El. VI. ✝. 20.

Te non inmemorem carae fore conjugis unquam,
Et ſi Lethaeus tingeret ora liquor.

Acceptum quodcumque poteſt gratumque ſepultis
  Accidere, exſequiis contigit omne tuis.
Omnia perſolvit pietas tibi fratris amici,
  Marmor & inciſis indicat oſſa notis.
Ipſe etiam, quem tu ſemper conplexus amabas,
  Ultima quae potui munera ferre, tuli.
Non thyma, non violas, tepidi non veris honores,
  Candida luteolis lilia miſta roſis:
Sed quae me viridi Muſae docuere juventa,
  Carmina de patrui fontibus hauſta tui.
Primus is e ſacro doctas Helicone ſorores
  In patriae duxit florida rura meae.
Vivite felices animae, longumque valete,
  Donec in aeterna vita ſit una domo.
Sit tibi terra levis, Mangolde, roſisque ſepulcrum
  Floreat, & cineri grata parentet humus.
Haec tibi Piërides poſt ultima fata rependunt
  Munera: perpetuum rurſus ave atque vale.

139. *Acceptum quodcumque poteſt gratumque ſepultis* &c.] Catullianam imitationem eſſe patebit ex iis, quae notavimus ad Lib. III. El. 5. ✠. 15.

148. *Carmina de patrui fontibus hauſta tui*] Intelligit Ulricum Huttenum, hujus patruum, cui hic laudem primi Muſarum vindicis in Germania tribuit, ut ſupra Lib. III. El. 4. ✠. 66.

Ite procul Muſae, laurique hederaeque valete,
Huttenus patriae quas tulit ante meae.

de eo plura vide infra ad Lib. II. carm. 16.

ELEGIA VI.

IN NATALEM JESU CHRISTI, SERVATORIS NOSTRI.

„Annua natalis venerunt tempora CHRISTI.
Plectra mihi sacrae da, Friderice, lyrae.
Ore pio, Friderice, fave. discedite curae:
Hac bona sunt nobis omnia nata die.

Qua

In Natalem Christi] In editione Voegeliana pag. 203. legitur haec Elegia, sub titulo in *Natalem Servatoris nostri.* nam quod in vulgatis editionibus *Salvatoris nostri* legatur, ut & Lib. II. Carm. 4. id a Lotichio non provenit, sed a sequentibus carminum ejus editoribus. nam in hoc ipso carmine ℣. 149. *Servatoris* voce utitur:

Aetheria missus Servator ab arce salutis.

Sane *Salvatoris* vocem merito viri docti inprobarunt, & in nonnullis veterum auctorum locis intruserunt librariorum sequioris seculi manus. sic apud Ovid. IV. ex P. 15. ℣. 41.

Teque meae caussam servatoremque salutis.

ubi in quibusdam codd. *salvatoremque*, quod monachi manum sapere recte notavit Patruus meus. apud eumdem Lib. IV Met. 736. *servatoremque fatentur.* ubi in nonnullis libris itidem *salvatoremque* supposuit monachorum manus. sed Bersmannus ut barbarum repudiavit. Fuerunt tamen qui *Salvatorem* de Christo rectius dici quam *Servatorem* contendant. vide Dausquej. in notis ad Basilium Seleuc. Orat. XI. & ipse Manutius vocem hanc defendit ad Cicer. Orat. Tom. I. pag. 141. & 179. eumque secutus Jac. Pontanus in Progymnasm. Latinit. Vol. I. pag. 121. verum acriter inpugnat Caelius Calcagninus Lib. II. Epist. 9. vide & Ciofan. ad Ovid. I. Trist. 2. 71. in editione autem Voegeliana additur, scriptam esse hanc Elegiam an. 1548. unde conjicio hoc idem esse carmen, quod poëtae patruus Abbas Lotichius mittit ad Matth. Limpergium, in Epistola, quae legitur in ejusdem Abbatis Opusculis pag. 124. *Mitto etiam quae P. Lotichius, ex fratre nepos, in Natalem Salvatoris nostri scripsit.* nam eodem hoc anno Epistola illa exarata est. ne quis existimet intelligendam esse Elegiam ejusdem argumenti ad Julium Micyllum, quae exstat Lib. V. El. 3. aut carmen ad Martinum Stibarum, quod legitur Lib. II. Carm. 4. ubi etiam male in vulgatis *in natalem Salvatoris.* vel denique Sapphicum Julio etiam Micyllo inscriptum, eodem libro Carm. 7. Ceterum pulcherrimam hanc Elegiam presso pede secutus & non infeliciter imitatus est Johannes Bocerus, discipulus Sabini, & summus olim Lotichii amicus, poëta sacris carminibus nitide & eleganter scriptis juventuti cum primis commendabilis, in binis Elegiis in Natalem Christi, quae exstant Libro primo & secundo Carminum ejus Sacrorum, ubi multa ex hac Lotichii Elegia desumta.

2. *Plectra mihi sacrae da, Friderice, lyrae. Ore pio, Friderice, fave* &c.] Quis sit hic Fridericus, cui haec Elegia dicata est, expiscari nequaquam possum. HOOGST.

In

Qua tu vera Dei ſoboles e virginis alvo
Editus, o JESU, labe carentis, homo es.
Sparge ſacram Titan meliori ſidere lucem,
Purius & rutilo funde nitore jubar.
Nec liquidum nigrae contriſtent aethera nubes,
Ponat & hiberni frigoris aura minas.
Sollemni reſonet templum venerabile cantu.
Voce preces moveas ſupplice, quisquis ades.
Ipſe canam dulces numeros: adhibere ſacratis
Pierios aris fasque piumque modos.
Tu modo, CHRISTE, meum pectus vocemque guberna,
Vera Dei effigies progeniesque patris.

Pax

In ed. Voegeliana haec προσφώνησις ad Fredericum illum non occurrit, ſed Elegiae initium illic tale eſt:

Annua natalis venerunt tempora Chriſti,
Digna pio ſancti moris honore coli.
Quisquis adeſt, faveat, triſtes diſcedite curae,
Hac bona ſunt nobis omnia nata die.
Sparge ſacram Titan &c.

omiſſo diſticho *Qua tu vera Dei ſoboles* &c. in quibus tamen melius eſſet *Quisquis ades, faveas.* ut infra ỷ. 12.

Voce preces moveas ſupplice, quisquis ades.

nam adhaeret, ut paſſim, Tibullo ſuo Lib. II. El. I. init. ut ex emendatione Douzae recte edidit Broukhuſius,

Quisquis ades, faveas: fruges luſtramus & agros,
Ritus ut a priſco traditus exſtat avo.

& Eleg. 2.

Dicamus bona verba, venit Natalis, ad aras,
Quisquis ades, lingua vir mulierque fave.

ſed haec poſtea mutavit auctor, ut Elegiam hanc Friderico illi inſcriberet. de quo non mirum eſt haeſitaſſe Hoogſtratanum. Cogitabam aliquando an Friderico Taubmanno forte inſcripta eſſet haec Elegia, cujus *ſacram lyram* ſibi depoſcere putabam, quia in Taubmanni Carminibus plurima ſacri argumenti leguntur. Sed errantem me in viam reduxit Chriſtianus Daumius, qui in Epiſtola Cycneae Kal. Maj. 1658. data, quae legitur inter Electa Epiſtolica in Cel. Heumanni Tom. III. Poeciles pag. 406. ſcribit male Andream Wilkium, olim Rectorem Gymnaſii Gothani, in Heortologia ſua pag. 20. intellexiſſe Fridericum Herbipolitani Epiſcopatus Principem & Praeſulem, ſed intelligendum eſſe virum nobilem & generoſum Fridericum a Folckerſum, Livonienſem, ad quem etiam Lotichii Secundi Phaloecium dedicatorium cum alia Elegia a Matthia Stoio Boruſſo editum Witebergae 1550. ſe habere addit. quod tamen Hendecaſyllabon cum Elegia illa poëtae noſtri ſeparatim excuſum eo majus nobis movet deſiderium, quia in editis ejus carminibus fruſtra id quaeras, neque in codice noſtro MS. comparet.

Pax erat, & totum finito Marte per orbem
  Omnia tranquillae plena quietis erant.
Jura dabat Caesar populis, & pendere census
  Mandabat, vires nosset ut ipse suas.
Edita gens paret magni de semine Judae,
  Inter bissenas conspicienda tribus.
Ipse etiam veteris Josephus dulcia Bethles
  Moenia, Jëssaeis regibus ortus, adit.
Jamque gravis sequitur coelesti pondere virgo
  Casta, Dei virgo magna futura parens.
Transierant latum qua prospicientis in aequor
  Plurima Carmeli vestit oliva nemus:

Qua

15. *Tu modo, Christe, meum pectus* &c.] Haec paullo aliter, &, ni fallor, vulgatis deinde versibus haud postponenda, leguntur in editione Voegeliana:

Tu modo, tu, castae partus ut virginis edam,
Christe fave, sanctum carminis hujus opus.
Pax erat, & valido pacati milite, victrix
Roma triumphatas orbis habebat opes.
Jura dabat Caesar &c.

quo ultimo versu forte respexit Ovid. 1. Amor. 15. ỽ. 26.

Roma triumphati dum caput orbis erit.

23. — *veteris Josephus dulcia Bethles Moenia, Jessaeis regibus ortus, adit*] In edit. Voegel.

— *Josephus moenia Bethles*
Regis Jessei stemmate natus, adit.

sequenti versu male in omnibus editionibus distinguebatur,

— *coelesti pondere virgo,*
Casta Dei virgo &c.

25. *Jamque gravis sequitur coelesti pondere virgo* usque ad ỽ. 38] Hunc locum ante oculos habuit Johannes Bocerus, cumque totum ita expressit in Elegia in Natalem Christi Lib. II Sacror. Carmin.

Tempus adest; virgo fido comitata ministro,
Jam repetit patriae tecta vetusta suae.
Carmeli saltus, & sacras Cisonis undas
Transit, & in pingui balsama nata Thabor.
Illaque virgineas, sudans sub pondere, plantas
Strinxit per virides Hiërichuntis agros.
Jamque domos Solymas, ubi pars exhausta laborum,
Adspicit, & Bethles tecta propinqua subit. &c.

cum quibus conferenda sunt ista Sannazarii divino opere de partu Virginis Lib. II. ỽ. 235. & seqq.

Nec minus & casta senior cum virgine custos
Ibat, ut in patria nomen de more genusque
Ederet, & jussum non segnis penderet aurum, &c.
Jam fines, Galilaea, tuos emensus, & imas
Carmeli valles, quique altus vertice opacat
Rura Thabor, sparsamque jugis Samaritida terram
Palmiferis, Solymas a laeva liquerat arces,
Cum simul e tumulo muros, ac tecta domorum
Prospexit, patriaeque agnovit moenia terrae.

Qua jacet & liquidis quem Cison adluit undis,
  Foecundo gignens balsama colle Thabor.
Linquitur a laeva, gemino qui surgit in astra,
  Mons sacer antiqua religione, jugo.
Perque suos vidit vestigia flectere campos
  Hierichus, rivis uda liquentis aquae.
Ventum erat ad Solymas arces, ubi Jordanis illós
  Paneades placido mitior amne tulit.

R r   Illic

35. — *ubi Jordanis illos Paneades placido mitior amne tulit*] Ita emendavi, cum vitiose in omnibus, quas vidi, editionibus legeretur *Peneades*. & sic in ed. Voegel. tam hoc versu quam infra ỷ. 76. tamquam a Peneo Thessaliae fluvio originem suam repeteret Jordanes. sed *Paneades* dicitur a regione vel fonte Panea vel Paneade, ex quo amnem Jordanem oriri testis est Plinius Lib. v. cap. 15. *Jordanis amnis oritur e fonte Paneade, qui cognomen dedit Caesareae.* ubi ex Pintiani notis patebit *Peneaden* in Solini exemplaribus, sed corruptis, haberi cap. xxxv. unde forte vitiosam scripturam cum aliis secutus est Lotichius, vel carminum ejus editores. *Peniaden* Delrius. certe Bartholomaeus Barrientus in Silva Adnotation. T. ii. Facis Crit. Gruter. cap. 2. pag. 410. ubi de Jordanis ortu ex hoc fonte agit, in Plinii & Solini locis, quos adfert, inemendatis eorum codicibus usus, continuo male *Peneaden* exhibet. Guido Ravennas, vulgo Anonymus dictus, Lib. ii. Geogr. cap. xiv. *Caesarea Panias, Bicum, Carra. Per quam patriam plurima transeunt flumina, inter cetera quae dicuntur Jordanis & Jeromisus.* ubi tamen forte legendum, *Per quam Paniam plurima transeunt flumina. Panias* illic dicitur, quae Josepho Πανιον Ἰορδάνȣ πηγη Lib. iii. de B. Jud. cap. x. § 7. vide Spanhem. ad Lib. viii. Ant. Jud. cap. 8. § 4. & Ortelii Thesaur. Geogr. in *Panium*. Πανεὰς in Hieroclis Synecdemo pag. 718. Sed copiose veram hujus fontis scripturam vindicavit Salmasius in Exerc. Plinian. Tom. i. p. 406. ed. Ultraj. & de Jordanis fonte a Panea deducto legendus Hadrianus Relandus, immortali Palaestinae Veteris Opere, Lib. i. cap. 43. p. 273. qui plura etiam de Panea notavit Lib. iii. p. 918. quibus adjungenda sunt, quae in Supplemento ad Relandi Librum de urbibus Palaestinae scripsit Harenbergius in Miscell. Lips. Vol. vi. P. ii. pag. 218. & seqq. & vide Holstenii notas ad Stephan. Byzant. pag. 240. b. & praecipue illic Eusebii locum. Ceterum notari etiam meretur, Lotichium hic penultimam in *Jordanis* corripuisse, cum infra ỷ. 76. producat, ubi tamen in ed. Voegel. *Peneades aquae* legitur, ne forte in eadem Elegia bis eadem vox diversa metri lege occurreret. Hunc poëtae nostri locum innuit Petrus Francius pag. 84. Notarum ad Oden suam, quam sub titulo Budae expugnatae edidit in Lauru Europaea; ubi corripuerat quoque illo in versu:

Ite, ite: vobis nutrit Jordanis
Palmeta campis terra patentibus.

quod ne insolens videretur, adnotavit Petrum quoque Lotichium, quem *Germanorum*

Illic parva quidem, ſed magnis debita fatis
  Urbs oculis Bethle facta propinqua fuit.
Protinus ore pio natalia rura ſalutant,
  Rura olim proavi quae tenuere ſenes.
Jamque cadente die, Phoeboque ſub aequore merſo,
  Carpere nox ſolitum fuſca parabat iter.
Ceſpite gramineo, cannisque palude reſectis,
  Pauperis agricolae ſtabat operta caſa.
Textus erat virgis paries muſcoque virebant
  Texta, viam Boreae vimina rara dabant.
Liminis intrabant poſtes agreſtis, in urbis
  Moenibus hoſpitii deficiente loco.

Exi-

norum poëtarum facile principem illic vocat. hanc ſibi licentiam in hoc ipſo vocabulo ſumſiſſe. potuiſſet etiam auctoritate primarii inter Italos poëtae, Herculis Strozzae Filii, id adſtruere Francius. Ita enim ille Elegiarum pag. 57. b. ed. Ald.

Hic & idem ad rapidas operatus Jŏrdanis undas –
Siſtere cum juſſit navis Jēſus aquas.

& e noſtratibus Nicolai Heinſii Lib. II. Juvenil. pag. 278.

Ipſe Deus vatem ter Jŏrdane contigit unda.

nimirum ad eamdem formam hac voce uſi ſunt, qua *Jărdanis nympha* ſecunda brevi exſtat apud Ovid. Epiſt. IX. ℣. 103.

Se quoque nympha ſuis ornavit Jārdanis armis.

ſed illud quidem patronymicum ab Jārdano, Omphales patre, cujus ſecunda corripitur, *terra* vero *Jŏrdanis* ab Jŏrdane fluvio deducitur, cujus media longa. A poëtis Chriſtianis promiſcue nunc produci, nunc corripi, jam notavit G. Fabricius ad Juvencum Lib. III. 462. Malim tamen ego ſequi exempla illorum, qui producunt. e recentioribus, iisque optimis magiſtris Italis, duces habeo Hieronymum Vidam, qui in Libris Chriſtiados ſemper & ubique, ubi Jordanis mentionem facit, producit. vide Lib. II. 443. & 466. Lib. III. 724. Lib. IV. 200. 214. & 1029. & ſic Joh. Jov. Pontanus de Laud. Divin. p. 241. b. Poëm. M. Aurelius Mantuanus in Hymn. Joann. Baptiſt. ℣. 14. Baſil. Zanchius Lib. II. Poëm. p. 15. 26. 44. 46. 48. 50. 215. & alibi. nec aliter Sannazarius Lib. III. de Part. Virg. ℣. 338. & 284. ſed praecipue ℣. 414. & ſeqq. ubi ter producit uno in loco:

Tunc nomen late clarum Jordanis ad auras
Adtollunt montes: Jordanem maxima circum
Aequora, Jordanem ſilvaeque amnesque ſonabunt.

& ſic e noſtris Belgis Grotius Lib. I. Epigr. p. 263. Broukhuſius Lib. II. El. 2. ℣. 4. & Carm. XX. Hendecaſyll. ℣. 4. Hadr. Wallius Lib. I. Heroic. p. 52. Sidron. Hoſſchius in Lacrim. Petri El. VI. init. aliique notae melioris.

48. *hoſpitii*] *hoſpitiis* ed. Voeg.

Exigui ſtipulae foenique rigentis acervi,
Et folia e ramis arida facta jacent.
Ignibus accenſis illos, & paupere victu
Sedulitas miti ruſtica fovit ope.
Jamque fere medio peragebant humida curſu
In coeli vario limite ſigna vicem.
Summa caſae radiis fulgebant culmina Lunae,
Jamque ſoporiferae tempora noctis erant.
Arboreae frondes late, montesque ſilebant,
Dum refovent dulci membra quiete ferae.
Spirabantque leves nullo cum murmure venti,
Mutaque virgultis tecta ſedebat avis.
Languida Joſephi mulcebat pectora ſomnus,
Sicut inops vili ſtramine fultus erat.
Virgo memor ſenſit prope tempus adeſſe beatum,
Quo pareret ventris numen onusque ſui.

56. *Jamque ſoporiferae tempora noctis erant*] In ed. Voegel.
Luna cito, roſeis cornibus, ibat equo.

64. *Quo pareret ventris numen onusque ſui*] Mutatione oportuna, reique apta, imitatus eſt Ovidium Ep. IV. 58.
Enixa eſt utero crimen onusque ſuo.
& Ep. XI. 64.
Et poſitum eſt uteri crimen onusque mei.
ubi in priore loco Naugerius *onusque ſuum* reſtituit. ſed bene tamen alteram quoque lectionem probat. quae certe praeferenda eſt, & Lotichio quoque placuiſſe videtur. ſupra Lib I. El. 8. 14.
Enixa eſt utero cum ſua mater onus.
Juſtinus de Alexandro Lib. XII. cap. 16. *Nam profecto majus humana mortalitate opus utero tulit.* ubi *onus* praefert Graevius, probante Scheffero & Fabro: ſed *opus* illic aliquid auguſtius ſonat. eo autem Juſtini loco firmatur Patrui mei emendatio apud Ovidium Lib. IV. Faſt. 554. ubi ex codice Heinſii legit:
Inque foco pueri corpus vivente favilla
Obruit, humanum purget ut ignis opus.
in vulgatis *onus.* Tibullus Lib. III. El. 4. 26.
— humanum nec videt illud opus.
Auctor Elegiae in obitum Maecen. ℣. 150.
Et magnum magni Caeſaris illud opus.
Albinovanus Epicedio Druſi ℣. 39.
Caeſaris illud opus, voti pars altera veſtri,
Occidit &c.
ubi vide notas.

Plena Dei subito flagranti pectora motu
Sedibus e superis Spiritus intus agit.
Aethereoque domus venerabilis igne reluxit,
Flammeus & claro fulsit ab axe nitor.
Concipit illa preces castas, simul ecce remotis
Nixibus, ecce sacrum molliter edit onus.
Qualiter humidulos post frigora tristia flores,
Vere novo, Zephyris foeta, remittit humus.
Signa dat omnipotens Genitor, micat aurea Phoebe
Purius, & maculis non sinit esse locum.
Laetaque diffundunt rutilantes sidera flammas,
Et vos Jordanis lenius itis aquae.
Involvit tenui nudum velamine mater,
Sacra fovens placide membra tepente sinu.
Plenaque mox rigido tulit in praesepia foeno:
Aspera laeserunt stramina molle latus.
Cultor agri juxta bos, & stridentia carpens
Pabula Josephi vector asellus, erant.
Protinus hirsutos, submisso poplite, vultus,
Oraque divinum corpus ad usque ferunt.
Neve recens natus mala frigora sentiat infans,
Fumificis arcent flatibus acre gelu.

Exci-

66. *Sedibus e superis*] *sanctior a coelo* ed. Voeg. Sed alterum adhaeret Ovidio, licet alia de re,
Sedibus aetheriis spiritus ille venit.

69. — *simul ecce remotis*
Nixibus, ecce sacrum &c.] De elegantia repetitae particulae *ecce* in repentino bono vide supra ad Lib. I. El. 5. ℣. 115.

76. *Jordanis*] *Peneades* ed. Voeg. scribendum *Paneades*. vide supra ad ℣. 35.

Excitus e ſomno Joſephus, ut adſpicit illum
Ante pecus, ſpatio ſtatque ſiletque brevi.
Ut tamen acceſſit, fuditque precantia ſupplex
Verba, piae lacrimis inmaduere genae.
Ah quoties blandis conplexum fovit in ulnis,
Et tremula tenuit brachia parva manu!
Ah quoties, album caput ad cunabula flectens,
Oſcula coeleſti carpſit ab ore ſenex.
Utque ſolo jacuit, fatorum conſcia, tales
Edidit, accepto numine, lingua ſonos:
Sancte puer, tandem vatum promiſſa piorum
Non dubiam factis exhibuere fidem.
Veniſti ſperata ſalus, mundique redemtor,
O populi votis ſaepe petite tui!
At te nec rutilis gemmis pretioſa, nec auro,
Tinctave Getulo murice, texta tegunt.

 Nec

87. *e ſomno*] *a ſomno* ed. Voeg.

102. *Tinctave Getulo murice tecta tegunt*] Ita in vulgatis Lipſienſibus. ſed in ed. Voegeliana rectius forſan *texta*, ut ſtragulas innuat ac velamina, quibus involvuntur & teguntur infantes. *tecta* mox ſequuntur. itaque ſic edidi. *texta* enim ſaepe pro veſtibus ac ſtragulis textis. vide Broukhuſ. ad Tibull. II. 1. 65. ſic in eadem hac re Juvencus Lib. I. Hiſt. Euang. 156.

Illic virgo novo conpleta in tempore foetu
Solvitur, & puerum veteri cunabula textu
Involvunt, duroque datur praeſepe cubili.

pariter Sannazarius Lib. III. de Part. Virg. 443. loco adeo ſimili, ut fere dubitem, an non eum ante oculos habuerit Lotichius:

Sancte puer, non te Pariis operoſa columnis
Atria, non variata Phrygum velamina textu
Excepere; jaces nullo ſpectabilis auro,
Anguſtum ſed vix ſtabulum, male commoda ſedes,
Et fragiles calami lectaeque paludibus herbae,
Fortuitum dant ecce torum, laqueata tyrannos
Tecta, & regifico capiant aulaea paratu.

his conſona ſunt illa Joh. Jov. Pontani in Hymnis de Laud. Divin. pag. 242. b de eadem hac Redemtoris noſtri naſcendi conditione:

Et quem non ſpatiis inmenſus colligit aether,
Non totum coeli circuiere novem.
Hunc tu virginea conceptum mater in alvo
Foviſti, externo poſt paritura ſolo.

Non

Nec Pario radiant adoperti marmore postes,
 Tecta suo capiunt vix satis ampla gregi.
Stella tamen felix, portantes munera Reges
 Huc feret ad cunas praevia duxque tuas.

Et

Non Tyrio subnixa toro spondave nitenti,
Cui tenue hospitium vix casa parva dedit.
Cui stramen tenero dedit incunabula, & ipsa
Arida vix primos praebuit herba toros.
At coeli partum ingentem, atque ingentia mundi
Pignora monstrarunt sidera luce nova.
Luce nova emicuit coeli decus. aurea flavo
Aurora insolitum fudit ab axe diem.

& quae plura illic sequuntur cur his Lotichianis conferenda. sed & videor mihi hoc in loco agnoscere aliquid coloris Tibulliani Lib. III. El. 3. ℣. 13. & seqq.

Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Taenare sive tuis, sive, Caryste, tuis?
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos,
Aurataeque trabes, marmoreumque solum?
Quidve in Erythraeo legitur quae litore concha,
Tinctaque Sidonio murice lana juvat?

cum quibus confer illa Propertii Lib. III. El. I. ℣. 49. & seqq.

Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes.
Nec mea Phoeacas aequant pomaria silvas,
Non operosa rigat Marcius arva liquor.

utriusque poëtae locum, ni fallor, imitatus est Petrus Apollonius Collatius Lib. IV. Excid. Hierosol. pag. 85.

— candenti marmore fultus
Cui paries, Pariaque solum de marmore stratum,
Aurataeque trabes Libani de colle recisae
Munibant summi fulgentia culmina tecti.

sic scribe, non *vario marmore*. sed & inconcinne duorum versuum spatio *marmore* bis occurrit. imitatus etiam est Claudianus in Elegia ad Serenam ℣. 37-42.

Non ego cum peterem solenni more procorum
Promisi gregibus pascua plena meis.
Nec quod mille mihi lateant sub palmite colles,
Fluctuet & glauca pinguis oliva coma.
Nec quod nostra Ceres numerosa falce laboret,
Aurataeque ferant culmina celsa trabes.

eadem variatione *Phariis serica textilibus* apud Propert. I. 14. 22. ut legit N. Heins. vulgo *variis*.

105. *Stella tamen felix, portantes munera Reges*
Huc feret ad cunas praevia duxque tuas.
Et signabit iter &c.]

Pariter hac eadem in re Eobanus Hessus Lib. I. Heroïd. pag. 111.

Non tibi laturos a Perside munera, meque
Ducet adorantes praevia stella Magos.

& noster infra Lib. II. Carm. 7. ℣. 29. ad Jul. Micyllum:

O quae praevia Regibus
Fulsit dona ferentibus
Felix stella: ubi par ei
Aut jucundior ignis?

in hac autem stellae, Regibus his viam pandentis, descriptione usus est Lotichius eadem locutione, qua de columba Argonautarum duce Ovidius in Ibin ℣. 268.

Qualis & ipse fuit, quo praecipiente, columba
Est data Palladiae praevia duxque rati.

eumque secutus Sannazarius Lib. II. El. 9. ℣. 22.

Nec tamen hoc Grajis cecinit Deus ipse carinis,
Praevia nec lato missa columba mari.

quod

Et ſignabit iter, flammasque per aëra ducet,
Hujus egens coelum ſideris ante fuit.
Fallor, an auroram Nabathaeaque regna relinquunt,
Qua vehit Eoo Phoebus ab orbe diem.
Pondera cum myrrhis donabunt divitis auri,
Et quae ſole metit tura peruſtus Arabs.
Ecce quid infantes avellere matribus hoſtis
Pugnat? & armatas injicit enſe manus?
Purpureo ſquallent perfuſae ſanguine cunae,
Nutricumque madent caede rubente ſinus.
Ibimus, & Nili, genetrix, loca tuta petemus.
Has ſoboles latebras debet habere Dei.
Inſidias donec conponens ante, ſolutus
Barbarus horrenda morte tyrannus erit.
Tunc iterum Pharii puer illic litoris exul,
Niliaco referes ſoſpes ab urbe pedem.
Et jam divini peragis mandata parentis,
Verba nec aethereis viribus orba doces.
Jamque fere curſu reſtant tibi fata peracto:
Ultima ſanguineae jam venit hora necis.

Parve

quod egregie illuſtrat Broukhuſius ad illud Propertii Lib. II. El. 20. ℣. 40.

— *quum rudis Argus*
Dux erat ignoto miſſa columba mari.

quem tamen miror praeteriiſſe, quae de columbis praeviis Aeneae ad aureum ramum tendenti ducibus habet Virgil. VI. Aen. 190. & ſeqq. quod a Graecis poëtis petitum docet P. Victorius Lib. III. Var. Lect. cap. 13.

109. *relinquunt*] *relinquent* ed Voeg.

121. *illic*] *illinc* ed. Voeg.

Parve quid ah vagis? tamquam tua vulnera noris,
Dum reparas leto, quae periere, tuo.
Ipse etiam solito privatus lumine Titan,
Purpureos tenebris tristibus abdet equos.
At tu, sancte, tua captivos morte redemtos
Inferno solves carcere victor avos.
Eque Stygis nigrae tenebrosa sede resurges,
Tertia cum coelum triverit axe dies.
Mox patrium repetes, jam non mortalis, Olympum,
Et dabis humanas pondus habere preces.
Sis facilis, magni, bone CHRISTE, salutifer orbis;
Hoc nomen Stygiis auribus horror erit,
Sic ait, & fletus cecidere per ora secuti,
Nec potuit lacrimans ulteriora loqui.
Admonito flebat genetrix quoque tacta dolore,
Inque sinu puerum dulce gerebat onus.
Et modo blanditias dicebat murmure leni,
Nunc tepidi grata lactis alebat ope.

Forte

129. *Ipse etiam solito privatus lumine Titan*] *defectus* ed. Voegel. quae huic disticho duos hos versus praemittit,

Ipsa tremet rapido quoque conscia murmure tellus,
Excussamque trahet vastus hiatus humum.

quos versus cur sequentes editores omiserint, nescio. respicit Ovid IV. Fast. 267.

Mira canam, longo tremuit cum murmure tellus.

& illustrabuntur optime ex notis Broukhusii ad Propert. III. El. 3. ℣. 55.

Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi.

Silius Italicus Lib. V. ℣. 387.

Fulmine nunc Alpes, nunc mixta Ceraunia coelo,
Intremuere simul tellus & pontus & aether.

134. *Tertia cum coelum triverit axe dies*] Cogitabat illum Propertii versum Lib. II. El. 19. ℣. 66.

Aut prius infecto deposcit praemia cursu,
Septima quam metam triverit ante rota.

Forte ſimul pecoris cuſtodes montibus illis
Servabant clauſos nocte ſilente greges.
Cum juvenis ſupra caput illis adſtitit ales,
Et timor (horruerant) ſit procul omnis, ait:
Aetherea miſſus Servator ab arce ſalutis
Vobis ſub tecto paupere natus homo eſt.
Ite citi, agreſtes violis adſpergite cunas,
Ite, ſimul regi munera ferte novo.
Dixit, & in vacuo pendentes aëre coetus
Aetherei dulces concinuere modos.
Inpleruntque vagis diſcurſibus aethera totum,
Gloria ſit ſummo, vox erat una, Deo.
Plenaque tranquillae tellus ſecura quietis,
Et colat humanum jusque piumque genus.
Angelicis longe tenuis concentibus aër,
Ictaque dulciſonis vocibus arva ſonant.
Terror abit, parent juſſis, humilique jacentem
Inveniunt puerum cum genetrice caſa:
Depromuntque ſinu munuſcula dulcia parvi
Ruris, adorato ſupplice voce Deo.

148. *Et timor (horruerant) ſit procul omnis, ait*] Tibullum imitatur Lib. III. El. 6. ℣. 25.

Sed procul a nobis hic ſit timor. &c.

unde & deſumſit noſter ſupra Lib. III. El. I. ℣. 81.

Sed procul a nobis hic ſit timor, & mea ſaltem
In patriis olim ſedibus oſſa cubent.

151. *agreſtes violis adſpergite*] *violis agreſtes ſpargite* ed. Voeg.

155. *totum*] ſic recte ed. Voeg. in vulgatis *notum*.

Nec rutilo possunt saturari lumina vultu,
  Nec se, quin tangat, continet ipsa manus.
Sancte puer salve, tibi candida solvimus ora,
  Sancte, velis populo dexter adesse tuo.
CHRISTE puer, per quem praeclusaque janua leti,
  Inque domos superas rursus aperta via est.
Da veniam nostro sceleri, peccasse fatemur,
  Sis miseris praesens, auxiliumque feras.
Pelle famem, morbosque procul, da pectore casto
  Vivere, quod superest temporis omne, tibi.
Si quid & incauti commisimus, effice laesi
  Ne memor hoc olim vindicet ira Dei.
Pax redeat, lenisque quies, cessentque tumultus,
  Martis & in nostro desinat orbe furor.
Semper ut hanc melius tibi, sancte, canamus ad annum,
  Pondere curarum non remorante, diem.

Scripta an. 1548.

170. *Inque domos superas rursus aperta via est*] Forsan cogitabat Ovidium Lib. I. Fast. 298.
Felices animos, quibus haec cognoscere primis,
Inque domos superas scandere cura fuit.

175. — *effice laesi*
Ne memor hoc olim vindicet ira Dei] Adhaeret Tibullo suo Lib. III. El. 6. ℣. 26.
— *illaque si qua est,*
Quid valeat laesi sentiat ira Dei.
Ovidius Lib. I. Trist. El. 5. ℣. ult.
At mihi perpetuo patria tellure carendum est,
Ni fuerit laesi mitior ira Dei.
& Lib. III. El. 6. ℣. 23.
Numinis ut laesi fiat mansuetior ira.
vide infra ad Lib. V. El. XVIII. ℣. 110.

ELE-

Elegia VII.
AD SPIRITUM SANCTUM.

Ut, nova cum Dominus fabricaſſet corpora mundi,
 Illa Dei fovit Spiritus igne ſuo,
Foecundosque dedit rebus naſcentibus auctus,
 Cuncta ſui reddens plena vigoris ope:
Sic miſeris duro ſolatia tempore praeſtes,
 Sic foveas coetus, Spiritus alme, pios.
Te ponat querulos Eccleſia praeſide luctus,
 Numine curarum mole ſoluta tuo:
Oppreſſaeque malis, feſſaeque ſenilibus annis,
 Adflatu recrea languida membra tuo.
Diſcute ſollicitos terrores, ſuffice vires,
 Corda ſinas coecae noctis habere nihil.
Adſit amans veri ſtudium, probitasque, fidesque,
 Aethereae per quam ſedis adimus iter.
Omnipotensque tuae firmet nos halitus aurae,
 Solamen cunctis, hoſte furente, malis.
Erige tu pavidos, & opis coeleſtis egentes,
 Sicut avis plumis mollibus ova, tege.

4. *plena*] ſic J. P. Lotichius in Promulſ. Crit. cap. XIII. & ita legitur in ed. Voeg. niſi quod vitioſe illic *cuncta ſuo*. in aliis ed. *regna*. pro *plena*. male.

16. *Solamen malis*] vide ſupra ad h. l. El. I. ℣. 76.

Tu requies animi, tuus omnia temperat ardor:
Muneris eſt, quidquid ſpirat ubique, tui.
Tu moderaris opus triplicis mirabile mundi,
Aeternamque doces cunċta tenere fidem.
Aëris & liquidos traċtus, coelique meatus,
Quidquid & in toto naſcitur orbe, foves.
Vis tua praecipiti magnum vertigine coelum,
Non intermiſſis curſibus ire facit.

Tu

21. *opus triplicis mirabile mundi*] ſic & Ovid. Triſt. 2. 425.

Explicat ut cauſſas rapidi Lucretius ignis,
Caſurumque triplex vaticinatur opus.
Hoogst.

vide ſupra ad El. 4. ỿ. 200.

25. *Vis tua praecipiti magnum vertigine coelum*, & ſeqq.] Eleganti variatione Lotichius hic Spiritui Sanċto tribuit rerum omnium moderationem iisdem fere coloribus, quibus ſupra utitur Lib. 1. El. 5. ỿ. 89. & ſeqq. de Luna:

Vis tua, quae coelum, quae magnus continet aër,
Temperat, & terras & moderatur aquas.
Aeſtuat hinc undis refluentibus Amphitrite,
Paullatim primo deficiente mari.
Hinc pecus, aequoreumque genus, volucresque canorae,
Quaeque creat tellus, luxuriare ſolent.
Omnia tu ſuccis vires augentibus inples,
Aptaque naſcendis ſemina rebus alis.

ſed praecipue ad imitationis poëticae artificium conferenda cum his Lotichianis ſunt, quae & argumento & artis elegantia penitus ſimilia exſtant apud Baſilium Zanchium, Hymno in Deum, Lib. 11. Poëm. pag. 40.

Per quem certa ſuo volvuntur ſecla meatu,
Temporaque, & certis diſtinctus partibus annus
Labitur, & flexo ſeſe brevis inplicat orbe.
Per quem purpureo conveſtit lumine terras,
Oceanumque novamque facem praetendit Olympo
Auricomus Sol, ut rubra ſeſe extulit unda.
Per te Luna ſuos exercet menſtrua curſus,
Fraternas imitata rotas, nunc candida cornu
Explicat, & geminum nunc contrahit aurea cornu.
Aſtrorum per te ſtellis variantibus ignes
Nunc lucent coelo, nunc & ſua lumina condunt.

& pulcherrimo Hymno in Adſcenſionem Chriſti Lib. 11. Poëm pag. 79.

Hic Patris aeterni Sophia, hic certiſſima proles,
Hic coelum ac terras & maria alta tenet.
Per quem firma manet ſpatioſi machina mundi,
Qui liquidum vario ſidere pinxit opus.
Per quem purpurei candens nitet orbita Solis,
Pulchraque fraterno lumine Luna micat.
Per quem perpetuus genitalia ſemina rerum
Miſcet, & aeterno foedere jungit amor.
Et circum ſpatia ampla tenet diffuſilis aër,
Et gelido ſitiens rore madeſcit humus.

& quae illic plura, certe egregia, & puritati carminum Lotichianorum nihil cedentia ſequuntur.

Tu regis obliquo contra ſurgentia niſu,
Omnia quae certis legibus aſtra micant.
Quaeque ſuos peragunt clariſſima lumina motus;
Te ſine Sol fixis Lunaque ſtaret equis.
Vis tua felices viridanti gramine colles
Veſtit, & innumeris floribus ornat humum.
Tu patulos mulces foecundo flamine campos,
Ut gravidos onerent frugibus arva ſinus.
Adſpice ſic miſeros, ſic conſolare jacentes,
Rore ſalutifero Spiritus alme juva
Pectora te flammis agitante beata caleſcant,
Sitque Deus, ſoli cui placuiſſe velint.
Nec ſacro avertant nos juſſa minantia verbo.
Auxilio cedat mors quoque victa tuo.
Ut, fragiles ſumma cum luce reliquerit artus,
Vivat in aeternae ſpiritus arce domus.

29. *clariſſima lumina*] Imitatur illud Virgilii Georg. 1. 5.
— *vos o clariſſima mundi*
Lumina, labentem coelo quae ducitis annum.
aliter potius *ſidera* per excellentiam de Sole & Luna dicuntur. vide J. Schulting. ad Senec. Suaſor. 1. pag. 6. & Patrui mei notas ad Petron. cap. 119. ubi *ſidus utrumque* de Sole & Luna explicat.

30. *Te ſine Sol fixis Lunaque ſtaret equis*] Tibullus Lib. II. El. 4. ✝. 18.
Nec refero Soliſque vias, & qualis, ubi orbem
Conplevit, verſis Luna recurrit equis.

35. *Adſpice ſic miſeros, ſic conſolare jacentes*] ſic & Ovidius Triſt. 1. 8. 13.
Ut neque reſpiceres, nec ſolarere jacentem.
HOOGST.

PETRI LOTICHII SECUNDI
ELEGIARUM
LIBER QUINTUS.

ELEGIA I.
DE PHILOMELA.

Dum ſedet, ac dulces iterat Philomela querelas,
  Pendula qua vitreas arbor opacat aquas:
Alitis effigiem ſubjectis ſpectat in undis,
  Blandaque vicinis vox redit icta jugis.
Illaque dum queritur, ſimul ipſa videtur imago
  Aemula ſub ramo dulce virente queri.
Tum ſtupet, & vere volucrem putat eſſe, quod umbra eſt,
  Et ſibi divini carminis eſſe parem.

Per-

Elegiarum Liber Quintus] In vulgatis Lotichii editionibus conſpiciuntur tantum quatuor Elegiarum Libri. Sed ex variis Secundi noſtri Elegiis, quae in Carminum Libris & poſt Eclogas exhibentur in editionibus Lipſienſibus, Librum hunc quintum Elegiarum digeſſerat Hoogſtratanus, quibus & nos alia nonnulla, partim ex Juvenilibus, partim aliunde adjecimus. haec autem prima Elegia eſt egregium & optimae inventionis carmen.

7. *Tum ſtupet & vere volucrem putat eſſe, quod umbra eſt,*
Et ſibi divini carminis eſſe parem] Agnoſcere hic licet nonnihil coloris ex illis Ovidii, de bellua marina quae Perſei volantis umbram in aequore videns, & imagine hac decepta, umbram ipſam pro Perſeo invaſit, Lib. IV. Met. ỿ. 712.

Cum ſubito juvenis, pedibus tellure repulſa,
Arduus in nubes abiit. ut in aequore ſummo
Umbra viri viſa eſt, viſam fera ſaevit in umbram.

ſic enim mox de Philomela addit noſter:

Unguibus & roſtro ſimulacrum invadit & alis,
Inque necaturas inſcia fertur aquas.

ſed in hoc diſticho quem non offendat repetitum *eſſe*, & *το par* cum ſecundo caſu poni, *carminis divini parem*, quod cum

Perſtat, & invidia moerens tabeſcit inani,
  Certa, niſi vincat, victa dolore mori.
Omnia depromit diſcrimina gutturis, omnes
  Elicit, innumeris flexibus uſa, modos.
Poſtremo multas fruſtra dum certat in horas,
  Seque repercuſſo decipit ipſa ſono:
Unguibus & roſtro ſimulacrum invadit & alis,
  Inque necaturas inſcia fertur aquas.
Vidit, & exanimem vicino ceſpite texit
  Triſte genus leti conmiſeratus Acon.
Addidit & titulum: Falsus quam perdidit error,
  Daulias hic viridi conditur ales humo.
Infelix fatum, quae laudis tanta cupido eſt?
  Fallor, an & miſeras nos imitamur aves?

cum ablativo conſtrui patebit ex notis Patrui mei ad Ovid. iv. Faſt. 306. & Heinſii ad Lib. vi. ỷ. 804. Itaque Lotichium ipſum vix dubito ſcripſiſſe,

Et ſibi divini carminis arte parem.

ut ex praecedenti verſu *eſſe* ſubintelligatur. *par ſibi* illuſtrant ejusdem Heinſii notae ad Ovid. Epiſt. xx. 62.

9. *invidia moerens tabeſcit inani*] Adhaeret Propertio Lib. iii. El. 10. ỷ. 9.

Illa quidem interea fama tabeſcet inani,
Haec tua ne virtus fiat amara ſibi.

11. *Omnia depromit diſcrimina gutturis*] elegantiſſime. ita de Pſittaco infra El. 8. ỷ. 5.

Ingeniumve ſagax prius, an diſcrimina vocum,
An tibi tam raram mirer ineſſe fidem.

idque ex imitatione Maronis Lib. vi. Aen. 646.

Nec non Threïcius longa cum veſte ſacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.

& ſic in Epigrammate inedito de vocibus Animalium, quod ex codice Voſſiano in Catalectis producemus:

Quis volucrum ſpecies numeret, quis nomina diſcat?
Mille avium cantus, vocum diſcrimina mille.

16. *Inque necaturas inſcia fertur aquas*] Ovid. i. Triſt. 2. ỷ. 36.

Ore necaturas accipiemus aquas.

E le-

ELEGIA II.

De Muro in Sequanis collapſo, cum inſcriptione victoriam Caeſaris.

Qua veteris ſurgunt nova propugnacula Dolae,
  Ad Dubii liquidas praetereuntis aquas:
Murus erat ſpectans Ararim, ſeptemque Triones,
  Turribus & foſſis cinctus utrimque ſuis.
Juſſerat hic tumidus gentis praefectus Iberae
  Grandibus inſculpi Caeſaris acta notis.
Ticinum, victumque Arnum, domitosque Sicambros,
  Et Libycum vectas per mare mille rates.
Addiderat captosque Duces, nuperque potentis
  Albis Aragonia cornua fracta manu.
Jamque aeterna gerens noſtri monumenta pudoris
  More tropaeorum nobile ſtabat opus.

Ecce

6. *Grandibus inſculpi Caeſaris acta notis*] Ovidium ſequitur Lib. III. Triſt. 3. ✝. 74.

Quosque legat verſus oculo properante viator,
  Grandibus in tumuli marmore caede notis.

ubi *grandes notas* recte de literis majori forma ſculptis interpretatur Patruus meus. ut *grandibus literis inciſum nomen* apud Cic. I. Verrin. cap. 24.

7. *Ticinum, victumque Arnum*, &c.] Neſcio an his verſibus Lotichius non ante oculos habuerit illa Laurentii Gambarae, (quem & alibi aliquando imitatur) Lib. III. Poëm. pag. 440. & 441. ubi rerum a Carolo V. geſtarum tabula elegantiſſimis verſibus depingitur:

Nec non magnanimo victos a Caeſare Reges,
  Additaque imperio clara tropaea Ducum.
Inque fugam verſos Hiſpano a milite Turcas,
  Miſcentemque fero praelia Marte viros.
Adſpicies urbem longa obſidione levari,
  Sebethus liquidis qua petit aequor aquis.
Disjectasque arces Morinum, vicinaque circum
  Oppida, pugnaci captaque ſigna manu.
Ticinumque atro foedatum ſanguine ripas,
  Et captos Albis flumina ad alta Duces &c.
Cernere erat Nomadum turmas, atque horrida caſtra,
  Caeſaris & Libycum per mare mille rates.

10. *cornua fracta*] vide notata ad Lib. I. El. XI. ✝. 18.

Ecce (quis hoc credat?) momento temporis uno
  Omnia ceu trifido fulmine quaſſa ruunt.
Cetera murorum pars inconcuſſa remanſit.
  I nunc, ultores dic nihil eſſe Deos.
Vincere, confiteor, pulchrum eſt: inludere victis
  Non decet: incertas ſis memor eſſe vices.

17. *Vincere, confiteor, pulchrum eſt: inludere victis Non decet* &c.] Sententiam hanc a poëtis ſaepe celebratam illuſtrabunt notata ad Lib. I. El. XI. ℣. 21. quibus adde inſignem Claudiani locum in Epiſt. I. ſeu Deprecatione ad Hadrianum ℣. 12–20. & quae obſervat Barthius ad ejusdem poëtae Bel. Gildon. ℣. 98. ſed quod ad rem facit, Lotichius oportune tam illic, quam hoc loco, ſententia hac utitur de Carolo V. agens, quem in victos hoſtes, licet ſupplices, duriorem & inclementiorem fuiſſe, exemplo praeſertim Electoris Saxoniae, in cujus caſtris poëta noſter quondam militaverat, ibidem notavimus. Contrarii ac longe diverſi, pro ſtudio partium in rebus religionis, argumenti eſt Hymnus ſextus Hieronymi Vidae, poëtae ceteroquin praeſtantiſſimi, Jeſu Chriſto inſcriptus, de Carolo V. ejusque rebus bello Germanico geſtis: & Gulielmi Becani Genethliacon Caroli V. quod habetur in ejus Carminibus Lib. II. Eleg. I.

18. *incertas ſis memor eſſe vices*] Ex Ovidio Lib. III. Triſt. El. 12. ℣. 68.

Humanaeque memor ſortis, quae tollit eosdem
Et premit, incertas ipſe verere vices.

noſter infra Lib. II. carm. 13.

Cuncta licet verſes, & te prope mundus adoret,
Quisquis es, incertas diſce timere vices.

quod imitatus eſt Joh. Petrus Lotichius Lib. III. carm. 2. in fine:

Ipſe ſupra ſortem quamvis videare, ruinam
Sortis, & inſtabiles diſce timere vices.

ELEGIA III.

AD JULIUM MICYLLUM,

De Natali Christi.

Venit laeta dies, castae qua matris ab alvo
 Christus, sub forma paupere, natus homo est.
Scilicet ut veteris solvens contagia noxae,
 Justitiae certas traderet ipse vias:
Et mortale genus revocans e faucibus Orci,
 Deleret meritis crimina nostra suis.
Hanc, Juli, celebrare pio te carmine lucem
 Convenit, & sacra digna referre lyra.
Non haec Pierides dictant, non fautor Apollo,
 Non haec Castaliae suggerit humor aquae:

Sed

9. *Non haec Pierides dictant* &c.] Ex Propertio Lib. II. El. I. ℣. 9.

Non haec Calliope, non haec mihi dictat Apollo.

ubi male in editione Douzarum, *Non mi Calliope.* alia in re noster supra Lib. II. El. 12 ℣. 5.

Non me Pierides, Clusi, fecere poëtam,
 Non Aganippeae lucidus humor aquae.
Sed dolor & lacrimae, saevique Cupidinis ignes.

Hic autem sacri argumenti carmen scribens eleganter venam sibi non irrigari ex fonte Aganippeo, neque ab Apolline se agitari, sed vero divini numinis oestro inpelli indicat: qua oppositione alii quoque poëtae non raro usi sunt, quorum loca nonnulla inter se conferre volupe erit. sic de Sannazarii Opere de Partu Virginis Petrus Gravina:

Non haec humano credas procedere sensu,
 Auctori mentem movit & ora Deus.

Hugo Grotius Lib. I. Epigr. pag. 263.

Non Aganippeo bibit hic de fonte poëta,
 Sed de Jordanis lene sonantis aqua.
Non dedit hos aestus mendax Parnasia rupes,
 Sed pia veridica nobilis arce Sion.

pulchre Nic. Heinsius Lib. II. Juvenilium pag. 278.

Reviades Musae, non vos Helicone profano
 Inbuit Aoniae Cynthius arte lyrae.
Non vos Cirrhaeis bacchata furoribus antra,
 Sacrave lymphantis detinuere Dei.
Felices, meliore piam quis numine mentem
 Sincerae stimulat religionis amor.
Vobis Uranie Superis adfixa poloque
 Munda Palaestinis perluit ora vadis.

Ipse

Sed Pater omnipotens, & lucida Patris imago
Natus, & amborum gratia dulcis Amor.
Dulcis Amor, divumque potens, hominumque voluptas,
Qui regit adflatu pectora caſta ſuo.
At tu ſancte puer, qui nos a morte redemtos
Haeredes regni deligis ipſe tui:
Tu precor, Emanuel, nos dignos effice, quorum
Pectora ſint verbo ſemper aperta tuo:
Da ſuperare graves vitaeque obitusque labores.
Gutta tui nobis ſanguinis una ſat eſt.
Per te, CHRISTE, ſalus nobis eſt reddita, per te
Tartara victrici ſunt ſpoliata manu.
Haec, facunde, pio tu carmine concine, Juli,
Et pura ſanctas concipe mente preces.
Nec dubitare decet, voces gemitusque precantum
Fert ſupra nubes, & ſuper aſtra fides.

Ipſe Deus vatem ter Jördane contigit unda,
Cantanti titulos adnuit ipſe ſuos. & ſeqq.
& Broukhuſius Lib. II. El. 2.
Non hi Pegaſeo veniunt de fonte liquores,
Jordanis Muſas abluit unda tuas. &c.
Ora Deus movet ipſe viro, dictatque canenti,
Quae velit a longa poſteritate coli.
& Carm. XX. Hendecaſyllaborum:
Non laurove bederave comta crinem
Sed Jordanis in amne lota ſacri.
Et coeleſtibus inplicata gemmis.
idem Lib. II. Epigr. 13. quae dulciſſimi illius oloris Apollinei ſuprema cantio fuit:
Clara ſalutiferi celebrans miracula Chriſti
Pagina, Idumaeo mellea lacte magis.
Non te Cyrrha loquax genuit, non Phocidos udae
Mobilis arguta nutriit humor aqua:
Sed caſtus, totusque Dei, te ſpiritus inplet,
Divinoque ſonat tacta canore chelys.
& Epigr. 15. ejusd. Libr.
Coeleſtes epulae, Muſaeo tincta lepore,
Pagina, & aeterno nectare foete liber.
Vosne ſacri de culminibus laetiſſima Pindi
Detulit, & Clario lavit in amne Charis. &c.
An potius magna flammatum mente poëtam
Aurea divinus duxit ad aſtra furor?
Aeternique patris non enarrabile lumen,
Contigit adflatu pectora mota ſuo?
Non haec Pimplaei latices, non dictat Apollo
Carmina; de coelo ſpiritus ille fuit.

ELEGIA IV.
AD
LEONARDUM MUNSTERUM.

Sollicitas habili citharae dum pollice fila,
  Succinis & tenui murmure, vive tibi:
Et vitare mones praeluſtria: chordaque dulces
  Pulſa dat, & chordas vox imitata, ſonos:
Ducere cum Muſis videor, Munſtere, choreas:
  Quoque ſedes, Helicon eſt locus ille mihi.
Quis Deus adflatum rapit hoc ſuper aethera pectus?
  Monſtrat & adfectus poſſe docere lyra?
Non ita populeis maeret Philomela ſub umbris,
  Huic ſimilis quamvis nulla ſit inter aves.
Ad vada nec tali dulcedine pura Cayſtri
  Carmen olor moriens exſequiale canit.
Sic celebrans epulas citharam cum voce movebat
  Demodocus, lacrimas eliciente ſono.

Car-

ELEGIA IV.] Legitur haec quoque in ed. Pariſ. pag. 24. & Voegel. pag. 36.

2. *vive tibi*] Ex Ovidio adumbratum Triſt. 3. 4. 4.

Uſibus edocto ſi quidquam credis amico,
Vive tibi, & longe nomina magna fuge.
Vive tibi, quantumque potes praeluſtria vita.
Saevum praeluſtri fulmen ab arce venit.

quam Ovidianam ſententiam duobus Epigrammatibus expreſſit poëta anonymus, forte Pentadius, in Lib. 1. Epigr. vet. Pithoei, pag. 33. ed. Pariſ.

Ingentes Dominos & famae nomina clarae,
Illuſtrique graves nobilitate domos
Devita, & longe vivens fuge, contrahe vela. & ſeqq.
Nunc & non Reges tantum fuge. vivere doctus
Uni vive tibi, nam moriere tibi.

6. *Quoque ſedes*] Poëtis uſitatius eſt, *Quaque ſedes.* ſcil. parte. licet ſequatur *locus.* ut ſaepe apud Virgilium, Propertium, & Ovidium. vide ſupra ad Lib. II. El. 4. 51.

9. *Non ita populeis*] Virgilius Georg. 4. 516.

Qualis populea moerens Philomela ſub umbra.

HOOGST.

Carmina pectoribus, mulcendis auribus apta
Est lyra, me chordis vox sociata juvat.
Utraque cum praestes, quid, dulcis amice, rependam?
Hoc precor, ut vivas tempus in omne tibi.

14. *Demodocus*] de celebrato hoc a veteribus citharoedo lege Homerum Odyss. Lib. VIII. 44. 62. & seqq. 254 & 471. & Lib. XIII. 27. ejus quoque meminit Ausonius in Periocha Odyss. VIII. *accitoque ad convivium Ulyxe, citharam jubet pulsare Demodocum.* e recentioribus vide Angelum Politianum in Nutric. ℣. 336. & plura in notis Interpretum ad Ovidii Ibin ℣. 274.

ELEGIA V.

AD MARCUM ERIDANUM.

Ut vetus hoc merito, quam praeterit herbifer Albis,
Urbs de virginibus nomen adepta gerit!
Tot quoniam facie praestantes, Marce, puellas,
Quamlibet e mediae sanguine plebis, habet.
Nostra nihil certe videt his formosius aetas:
Vix Helene talis, vix Ariadna fuit.
Sunt tamen & faciles (mirum) fastuque carentes,
Numen & Aonidum qui venerantur, amant.
Jamque peregrino suspirat in hospite furtim,
Adgemit & nostris multa puella malis.
Me geminae torquent, spectabilis altera vultu,
Altera conpositis, utraque virgo, comis.

 Divi-

ELEG. V.] exstat & in ed. Paris. p. 32. b. & ed. Voeg. pag. 51.

10. *Adgemit &*] Elegans imitatio loci Ovidiani Trist. I. 3. 112. *Adgemit & nostris ipsa carina malis.* Hoeus. vide Heins. ad Lib. V. Fast. 400.

Dividor, & flagrant duplicatis pectora flammis,
  Saeva nec in curas quod Venus addat, habet.
Tu placidis Aloës feliciter ignibus ardes,
  Cura suburbanae virginis, Eridane.
Quid tamen Aemiliam loquar, Aemiliaeque sorores?
  Pulchrior hoc facies nulla sub axe fuit.
Vive potens in amore tuo, jam, Marce, propinquat
  Mollior exsilio sors positura modum.

19. *Vive potens in amore tuo*] imitatio Catulli Carm. 101. ℣. 8.
Sis felix, Coeli, sis in amore potens.

ELEGIA VI.
DE PUELLA INFELICI.

Abditus arboribus secreto nuper in horto
  Solus, amans virgo dum quereretur, eram.
Dum legit hic violas, dum fletibus irrigat illas,
  Auribus haec hausi tristia verba meis:
Ah nimis infidum genus & crudele virorum!
  Sic igitur falli digna puella fui?
Mater ïo, si quid post fata novissima sentis,
  Quae mala, morte tua sola relicta, fero?
Deferor infelix, alias monitura puellas,
  Non juvenum verbis semper inesse fidem.

Cui

ELEG. VI.] in ed. Parif. pag. 34. & ed. Voeg. pag. 54.

Cui tamen has violas? cui ferta, miferrima virgo?
  An dabis haec illi munus? an ipfa geres?
Finge dari, renuit: florum me dedecet ufus:
  Tam cito fic igitur fpernor amata diu?
Nunc odii fingit cauffas, nunc perfida dicor:
  Nunc omnes clamant: culpa, puella, tua eft.
Juro tibi, mea lux, nil te mihi dulcius uno,
  Nunc etiam, quamvis fim tibi vilis ego.
Hactenus, & repetens fufpiria, lumina terfit.
  O numquam vacuo pectore quisquis amat!

20. *O numquam vacuo pectore quisquis amat!*] Adhaeret Propertio Lib. I. El. XI. ℣. 30.

Is poterit felix una remanere puella,
Qui numquam vacuo pectore liber erit.

quod imitatus eft Janus Secundus Lib. 2. El. 8.

Et modo in alterius fe jurat amore perire,
Nec vacuum ad flammas pectus habere novas.

quibus Secundi verfibus confert Broukhufius alium Propertii locum Lib. III. El. 15. 11. fimilia prorfus cum hoc loco funt illa Joh. Joviani Pontani Lib. II. Amor. El 2. in fine:

Sic quos junxit amor, triftis cuftodia folvit,
O nullo vacuum pectore quisquis amat!

idem Lib. II. Eridanor. pag. 132. ubi de vario amoris aeftu queritur:

Semper enim variat dubius femperque vacillat,
Quam mifer eft omni tempore quisquis amat!

& denuo Janus Secundus Lib. I. El. 5. 16.

Exitus aut fic eft, aut fic fperandus amanti,
O natum trifti fidere, quisquis amat!

non diffimili exclamationis colore querulam de perfidia Cynthiae Elegiam finit Propertius Lib. I. El. 15. ℣. 42.

Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum invitis ducere luminibus.
Quis ego nunc pereo, fimiles moniturus amantes,
O nullis tutum credere blanditiis!

quem locum nofter in animo habebat fupra hac Eleg. ℣. 9.

Deferor infelix, alias monitura puellas.

ELEGIA VII.
DE PEGASO EQUO AURORAE ET GEORGIO SABINO BRANDEBURGENSE.

Admonitrix operum tenebris Aurora fugatis
Vecta Medusaeo praepete mane rubet.
Hunc prior alati pedes ictibus edidit aetas
Fontis equum venas elicuisse novi:
Virgineas Helicon lauros ubi, praemia vatum,
Educat, Aonius templaque coetus habet.
Pandite Pegasides, cur hujus origo liquoris
Dicitur Aurorae Pegasus ales equus?

Tem-

De Pegaso &c] Legitur hoc carmen in ed. Parif. p. 34. & Voeg. p. 54. & in Sabini Adoptivis p. 393. ubi & Johannis Schosseri Epigramma in Pegasum Sabini pag. 397. scriptum autem est in nobilitatis insignia, clypeum coeruleum, & in eo Pegasum candidum ex nubibus volantem, alis in altum porrectis, Sabino concessa a Carolo V. Imp. an. 1541. singulari diplomate, quod habetur in Epistolis Sabini pag. 456. & apud Th. Crusium in notis ad P. Albini vitam Sabini pag. 124. ex quo huic carmini non parum lucis adfunditur. Huc respicit, puto, Felix Fidlerus in Descriptione Fluminum Germaniae pag. 209. in Bregela, ubi Academiam Regiomontanam ab Alberto Marchione Brandenburgensi erectam memorat his inter alia versibus:

Hospitium sacris quia praebuit utile Musis,
Quas manus Alberti Principis alma fovet.
Et quibus, aërii qui nubila findit Olympi
Pegasus Aonias fonte reclusit aquas.
Ac veluti mugire feras, silvasque sonantes
Audit ad Eoae lustra profunda plagae.
Sic ubi labentem recipit Mons Regius, audit
Ad strepitum doctae carmina facta lyrae.

ubi per *Pegasum* sine dubio innuit Sabinum, ad haec ejus insignia respiciens. Gymnasium enim illud consiliis praesertim Sabini, qui etiam per aliquot annos in eo docuit, erexit Princeps ille Albertus, ut infra notabimus ad Lib. II. Carm. IX. Sabinus ipse in Epigrammatibus pag. 299. ita de Pegaso suo gloriatur:

Hoc insigne mea peperi virtute Sabinus,
Cum mihi nobilitas nomen equestre dedit.
In sublime volans coelum pernicibus alis
Ardua Gorgoneus nubila findit equus.

etiam Pegasum equum, insigne paternum, celebrat Bembus in Carm. Poët. Ital. Toscani T. I pag. 174.

Tempus (ait Clio) matris ſub Memnonis ortum,
  Aoniis gratum vatibus eſſe ſolet.
Tunc vigor intus agit major, tunc pectora coelo,
  Ingeniis prima luce favente, calent.
Inde fluunt ſacri latices, ſtudioque perennes
  Fons matutino fundit apertus aquas.
Cur tamen acer equus radiantibus additur aſtris?
  Et quae fodit aquas ungula, clara micat?
Conſpicui fulgent (dixit Dea) ſideris inſtar,
  Ingenioſa mori quos monumenta vetant.
Vatis at in clypeo cur nunc volat ille Sabini?
  Sic ego, ſic Clio protinus orſa loqui:
Pegaſus ut cunctis pernicibus ocior alis:
  Inpariter junctis ſic prior ille modis.

ELEGIA VIII.
AD
DANIELIS STIBARI, EQ. FRANCI
PSITTACUM.

Pſittace, qui vincis genus omne canore volucrum,
  Et docili fingis gutture mille ſonos:

ELEG. VIII.] Legitur & in ed. Voeg. pag. 55.

1. *Pſittace, qui vincis genus omne canore volucrum* &c.] Pſittaci laudes plurimi paſſim celebrarunt poëtae. confer e veteribus Ovid. II. Amor. El. 6. & Statium Lib. II. Sylv. 4. ibique Interpretes. in Pſittacum quoque ſcriptum eſt optimae notae Epigramma antiquum, quod ſine ullo titulo edidit Pithoeus Lib. IV. Epigr vet. pag. 153. & quod ſub inepta *Petronii Indici ad Apollinem Delphicum* inſcriptione retulerunt inter Epigrammata Petroniana. ut pluribus ad ipſa veterum poëtarum Catalecta videbimus. e recentioribus lectu digniſſimum eſt elegans Joh. Paſſeratii carmen, quo ſingulas Pſittaci virtutes decantavit, quod legitur in Delic. Poët. Gallor. Tom. III. pag. 61. & ſeqq.

Dicere ſi fas eſt (ſicut reor eſſe) latentem
  Humanae partem tu quoque mentis habes.
Ingeniumne ſagax prius? an diſcrimina vocum,
  An tibi tam raram mirer ineſſe fidem?
Tu vacuas mulces jucundis cantibus auras,
  Comiter excipiens ſi quis adire velit.
Saepe choros ducis lepidos, & amabile quiddam
  Succinis, & dulci riſus ab ore ſonat.
Temporibus certis tamen apta ſilentia praeſtas,
  Poſtmodo quodque canas mens tua verſat opus.
Voce nec admiſſum tu detegis ullius index,
  Damna tua nemo garrulitate tulit.
At cur ſaepe vocas nigrum? niger ecquid inhaeret
  Pectoribus turtur, Pſittace fide, tuis?
Hunc nec honore parem, nec amoeni dotibus oris,
  Cum tibi ſit rari forma coloris, amas.
Quid facere humanis debemus ſenſibus aucti,
  Nomen amicitiae cum venerantur aves?
Scilicet in domini te vertis, Pſittace, mores,
  Hinc ea dexteritas, hinc tibi tanta fides.
Dì faciant longos ſit uterque ſuperſtes in annos,
  Gloria tu volucrum, temporis ille ſui.

5. *an diſcrimina vocum*] vide ſupra ad El. 1. hujus Libri ✠. 11.

Elegia IX.

AD

MALA AUREA.

Aurea mala meae donum ſalvete puellae,
  Aurea purpureis addita mala roſis.
Quae mihi ſupremo, cum jam diſcedere vellem,
  Tempore formoſa tradidit ipſa manu.
Addidit & voces blandas, repetitaque fixit
  Oſcula, cum lacrimis admonitura ſui.

Ad Mala Aurea] Elegans & venuſtum carmen hoc Lotichii, quod, licet poëtae recentioris, ſi quis conferat cum duobus ſimilis argumenti Epigrammatibus poëtae antiqui a P. Pithoeo Lib. IV. Epigr. vet. pag. 150. editis, quaeque incipiunt,

Aurea mala mihi, dulcis mea Marcia, mittis & ſeqq.

non iniquam eſſe fatebitur cenſuram Jani Douzae Lib. III. Praecidan. cap. 5. ubi poëtae foetum eſſe pleni ruris & inficetianum dicit. ac Petronio recte abjudicat; nam a nonnullis inter Catalecta Petroniana fuerunt relata. e recentioribus hoc ipſum carminis Lotichiani initium ante oculos habuit Paulus Meliſſus in Schediasm. Poët. pag. 382.

Aurea ſerta meae donum ſalvete Roſinae,
Illius o nivea ſerta ligata manu &c.

ſed plenius, neque omnino infeliciter, hoc Patrui ſui carmen aemulatus eſt Joh. Petr. Lotichius Poëmat. pag. 119.

Salvete o noſtrae, ſalvete o dona puellae,
Sit mihi delicias quae tegat arca meas.
Vos numquam externas mecum veniſtis in oras,
Magna foret quamvis haec quoque cura mihi. &c.
Sed bene ſub patriis adytis recubate, tenebunt
Mox cuſtoditae vos ubi rite ſerae.
Tale fuit forti, quod, dum ceſſaret ab armis,
Pelidi Grajae contribuere nurus.
Tale Helenae raptor quondam Priamelus ille
Victrici tenuit mente manuque Paris.
Eſte, precor, longum ſinceri pignus amoris
Eſte, ſimul certas arguitote notas.

ſimili fere elegantia in violas ſibi a puella ſua datas luſit Angelus Politianus in Poët. Italis Toſcani T. II. pag. 111. & Joh. Ant. Taygetus ibid. pag. 281. & in annulum ab amica donatum Titus Strozza Pater Lib. I. Erotic. pag. 8. b.

4. *formoſa tradidit ipſa manu*] ſimiliter Janus Secundus Eleg. 2. Juliae.

Caſtalioque tibi promens argentea fonte
Pocula, formoſa porriget ipſa manu.

quae adhaerent Ovidio Lib. I. ex P. Epiſt. 10. ℣. 12.

Nectar & ambroſiam, latices epulasque Deorum,
Det mihi formoſa nava Juventa manu.

Efte, precor, mecum femper, quafcumque per oras
  Nunc vagus ignotis gentibus hofpes ero.
Longa nec interea noftros via mutet amores,
  Grata nec emigret pectore cura meo.
Talia Naufìcaë decerpfit ab arbore poma:
  Hefperidum tales vix tulit hortus opes.

Tale

11. *Talia Naufìcaë* &c.] totus hic locus usque ad ỷ. 20. adumbratus eft ex Carm. xv. Priapejorum:

Qualibus Hippomenes rapuit Schoeneïda pomis:
  Qualibus Hefperidum nobilis hortus erat.
Qualia credibile eft fpatiantem rure paterno
  Naufìcaam pleno faepe tuliffe finu.
Quale fuit malum, quod litera pinxit Aconti,
  Qua lecta, cupido pacta puella viro eft.

ubi verfu primo forte cum N. Heinfio ad Ovid. Ibin ỷ. 374 legendum *cepit Schoeneida pomis.* ut apud Ovid. Epift. xxi. ỷ. 123.

Cydippen pomum, pomum Schoeneïda cepit,
  Tu nunc Hippomenes fcilicet alter eris.

& fic nofter mox, *malo Schoeneida cepit.* quia tamen P. Victorius Lib. xxxvii. Var. Lect. cap. 13. vulgatam *rapuit* probaverit, & commode explicuerit, fexto potius Epigrammatis iftius verfu corrigendum videtur: *cupido capta puella viro eft.* fic enim ipfe Acontius apud Ovid. Epift. xx. ỷ. 44.

Sit dubium poffifne capi, captabere certe,
  Exitus in Dis eft, fed capiere tamen.

& praecipue ỷ. 66

Denique dum captam tu te cogare fateri,
  Infidiis efto capta puella meis.

ceterum in hac comparatione faepe fibi indulgent poëtae. Auctor Elegiae ad Meffalam ỷ. 25.

Non illa Hefperidum ni munere capta fuiffet,
  Quae volucrem curfu vicerat Hippomenem.

Sidonius Apollinaris Epithalamio Polemii & Araneolae in praef. ỷ. 13.

Non hic Oenomai cruenta circo
Audit pacta Pelops; nec infequentem
Pallens Hippomenes ad ima metae
Tardat Schoenida ter cadente pomo.

quo loco bene Marklandus conjecturam fuam firmat apud Statium Lib. 1. Sylv. 2. 86.

Vidi ego & inmiti cupidum decurrere campo
Hippomenem, nec fic meta pallebat in ima.

Epigramma vetus *ἀνέκδοτον* de Citrio, quod ex fchedis Salmafii, qui id produxit ad Hiftor. Auguft. in Catalectis edemus:

Hippomenes vicit tali certamina malo,
  Talia poma nemus protulit Hefperidum.

Schoeneïs autem Atalanta diverfa eft ab altera Atalante Jăfide feu Jafii filia. ut erudite docet Spanh. ad Callimach. Hymn. in Dian. ỷ. 216. & Dorville in notis ad Charlton. pag. 544. vide plura de hac Atalanta apud Muretum in Scholiis ad Propertium in initio; notas ad Ovid. II Trift. 399. Gyraldum Dialog. xx. in T. II. Facis Crit. Grut. pag. 434. & Lipfium Lib. III. Antiq. Lect. pag. 161. ubi illud ipfum Epigramma ex Lufibus Liberis illuftrat, & *poma*, *mala* in rebus his oportune explicat. Notum *pomo* & *malo petere*, feu Graecorum μήλῳ βάλλειν, five ut apud Ariftophanem μηλοβληθῆναι, apud poëtas frontis minime feverae dici pro follicitare ad amoris commercia, vel ex folo Virgilii verfu, *Malo me Galatea petit* &c. hinc nofter mox:

Poma fuo quondam juvenes in amore juvabant
  Auxilium multis poma tuliffe ferunt.

vide If. Voffium ad Catull. pag. 253. id multis illuftrarunt Nannius Lib. VI. Mifcell.

cap.

Tale fuit roseis in odorae vallibus Idae,
  Victrici tenuit quod Cytherea manu.
Poma suo quondam juvenes in amore juvabant,
  Auxilium multis poma tulisse ferunt.
Regis aquae pronepos malo Schoeneïda cepit.
  Quam nequiit cursus, poma tulistis opem.
His tibi Cydippe (scit candida Delos) Aconti,
  His patruo Cereris filia juncta suo est.
Foetibus arboreis dominam placare solebat
  Pastor amans, mittens aurea mala decem.
Fallor? an haec etiam nobis cum traderet illa,
  Sensimus insolito pectus amore rapi?
Fulgor & extincto jam paene reluxit ab igne,
  Lenis ut a Zephyro crescere flamma solet.
Sive tamen fesso, quod amem, dabit altera tellus,
  Seu mihi cura recens finis amoris erit:

cap. 5. Meursius in Spicileg. ad Theocrit. pag. 31. Schottus ad Proverb. Gr. p. 484. Mollius ad Longi Paster. pag. 20. & 21. Tollius in Compar. Theocr. & Virg. p. 383. & Markland. ad Statii Silvas pag. 141.

13. *odorae*] *Oderae* vitiose legitur in edd. Lipf.

17. *malo Schoeneïda cepit. Quam nequiit cursus* &c.] hos Patrui sui versus fere descripsit Joh. Petr. Lotichius Poëmat. p. 122.

Sic facto Hippomenes vicit Schoeneïda cursu,
  Quam nequiit cursus, poma dabatis opem.
Cydippen contra sic cepit Acontius arte,
  Fecit ut ante suos verba legenda pedes.

22. *mittens aurea mala decem*] Oculos intentos habet in locum Virgilianum Eclog. 3. ℣. 71.

Aurea mala decem misi: cras altera mittam.
HOOGST.

26. *Lenis ut a Zephyro crescere flamma solet*] similis comparatio apud Ovid. Epist. XIII. ℣. 114.

Ut solet adfuso surgere flamma mero.

ex quo corrige Maximianum Eleg. 3.

— ignesque in pectore crescunt
Ut solet adjecto crescere flamma mero.

sic lege, non *rogo*, ut edidit Pithoeus.

Virginis adſidue meminiſſe juvabit amatae,
  Semper inoblitus muneris hujus ero.

30. *Semper inoblitus muneris hujus ero*] ſic ſupra Lib. II. El. 5. ℣. 50.
Semper inoblita vos pietate colam.
& Lib. IV. El. I. ℣. 102.
Aſſidueque tuum, meriti non inmemor umquam,
Nomen inoblito pectore dulce feram.
quae adhaerent Ovidio Lib. IV. ex P. Ep. 15. ℣. 37.
Semper inoblita repetam tua munera mente.

ELEGIA X.

AD

MATTHIAM STOIUM BORUSSUM.

Quaeris ſollicitos cupidis in amantibus ignes,
  Stoi, cur toties ſine carere putem.
Et memoras, quorum veteres meminere poëtae,
  Quos ferus extrema tabe peredit amor.
Confiteor, flammas alit adſuetudo latentes,
  Ponere nec facile eſt, quae placuere ſemel.
Inproba plus animos penetrant tamen oſcula, Stoi,
  Oſcula conſtantes inmoderata movent.
Scilicet alterni captatus ſpiritus oris,
  Neſcio quid junctis motibus intus agit.

Ex

ELEG. X.] in ed. Voeg. occurrit in Libro Carminum pag. 59.

6. *Ponere nec facile* &c.] Reſpicit forſan Catullum Carm. LXXVII. ℣. 13.
Difficile eſt longum ſubito deponere amorem.
vide ſupra ad Lib. I. El. 2. ℣. 64.

Ex animaque vagum lenem velut excipit auram,
Dum cupit ardores cor relevare ſuos.
Non aliter riguas tellus bibit arida limphas,
Languidulas aliter non fovet aura roſas.
Utque peregrina coaleſcit in arbore ramus,
Inque vicem ſuccos miſcet uterque ſuos:

Alter

11. *Ex animaque vagum lenem velut excipit auram,*
Dum cupit ardores cor relevare ſuos] In hac elegantiſſima oſculorum deſcriptione ſequitur Lotichius veſtigia veterum, qui amicarum oſculis eam vim paſſim adſcribunt, ut non tantum ardores cordis ſaucii & amore confecti relevent, ſed animam quoque jam deficientem revocent, & ita in gemino corpore duos amantes unus alat ſpiritus. Ex veteribus utriusque linguae poëtis exempla vide apud Barthium ad Claudian. pag 791. conferant poëticae laudis ſtudioſi dulciſſimos Jani Secundi verſus Lib. 1. El. IV.

At tibi lex haec ſit, folii viridantis ut orba,
Oſcula cogaris mox dare pauca mihi.
Oſcula quae poſſint fugientem ſiſtere vitam,
Reſtet ubi nullis ſpes medicaminibus.
Pallidulamque animam Stygiae ſubducere lintri,
In non conceſſas & revocare vias.

& Eleg. V.

Te juvet in noſtris poſitam languere lacertis,
Me juvet in gremio, vita, cubare tuo.
Et cum ſuaviolis animam deponere noſtris,
Eque tuis animam ſugere ſuaviolis.
Sive meam, lux, ſive tuam; ſed ſit tua, malim,
Ipſe tuo ut ſpirem pectore, tuque meo.

quo loco feliciſſime aemulatur Propertium Lib. 1. El. 13. ℣. 17.

Vidi ego te toto vinctum langueſcere collo,
Et flere injectis, Galle, diu manibus.
Et cupere optatis animam deponere labris,
Et quae deinde meus celat, amice, pudor.

iterum Janus Secundus Baſio X.

Seu labris querulis titubantem ſugere linguam,
Et miſcere duas juncta per ora animas.
Inque peregrinum diffundere corpus utramque,
Languet in extremo cum moribundus amor.

ſed ante omnia in divino illo Baſio XIII. cujus elegantia omnes Antiquitatis veneres provocat.

Baſiolum, Stygia quod me de valle reduxit,
Et juſſit vacua currere nave Senem.
Erravi. vacua non remigat ille carina,
Flebilis ad manes jam natat umbra mea.
Pars animae, mea vita, tuae hoc in corpore vivit,
Et dilapſuros ſuſtinet articulos.
Quae tamen inpatiens in priſtina jura reverti
Saepe per arcanas nititur aegra vias.
Ac, niſi dilecta per te foveatur ab aura,
Jam collabentes deſerit articulos.

non diſſimilis venuſtatis ſunt illa Jacobi Bonſadii, poëtae inter Italos diſerti, ſed meliore fato digniſſimi, Eleg. 11. pag. 215. ed. Vulpii:

Hic mihi, (vos coryli teſtes ſanctaeque latebrae)
Dum capio miſſum ſuaviolum ambroſia,
Seſe anima ipſa in labra ejecit; meque relicto
Ad ſibi dilectam Phyllida tranſiliit.
Illa, ubi me adſpexit moribundum, amplexa fovere
Coepit, ſuaviolum dulcius ingeminans.
Tum, mea dum inſueto perfundit labra liquore,
Ore fovens, ſenſim tranſiit ad me anima.

Nunc

Alter in alterius ſic corpore vivit, & ardens
 Pectoris eſt vere pectus amantis amans.
Dulcis amarities amor eſt: tu, candide Stoï,
 Mollibus illecebris oſcula miſta cave.

Nunc vivo; & vita eſt multo mihi carior, in me,
Quum memini, de quo venerit illa loco.

optime Johannes Jovianus Pontanus Lib. I. Amor. pag. 18. ed. Ald.

Oſcula ſi ſummis ſaltem mihi pacta labellis,
Conceſſum ambroſio ſi ſemel ore frui.
Languidulis animam poteras tum reddere membris,
Et nudum inferno me revocare lacu.

& paullo poſt:

Baſiolum nigra quod me revocavit ab unda,
Atque animam feſſis reddidit articulis.

quibus verſibus non dubito quin ante oculos habuerit illud Propertii Lib. II. El. 20. ✝. 71.

Jam licet & Stygia ſedeat ſub arundine remex,
Cernat & infernae triſtia vela ratis,
Si modo clamantis revocaverit aura puellae,
Conceſſum nulla lege redibit iter.

ubi recte id Broukhuſius exponit de Cynthiae halitu, quo ab inferis poëtam revocat, & quaſi e morte vitae reddit: contra ac alii fuerant interpretati. & ita intellexiſſe Janum Secundum patet ex primo ejus loco, aperta imitatione ex illis Propertianis verſibus expreſſo. quod non animadvertiſſe Broukhuſium equidem miror. vide plura egregie huc facientia in notis N. Heinſii ad Claudian. Epith. Pallad. & Celer. ✝. 132. & Erhardi ad Petron. cap. 79.

19. *Dulcis amarities amor eſt*] An reſpicit Catullum Carm. LXIX. ✝. 18.

— non eſt Dea neſcia noſtri,
Quae dulcem curis miſcet amaritiem.

quod imitatus etiam videtur Gul. Becanus Idyll. III. in fine:

Dulcis amarities lacrimarum, ipſaeque querelae,
Ipſi delectant, qui ſunt in amore, dolores.

vide Menagium ad Taſſi Amintam p. 280.

E L E-

